



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

Henrici Canisi, Noviomagi J. C. Prælectiones Academicæ In Lib. Tertium
Decretalium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

HERICI CANISI,
NOVIOMAGI J.C.
PRÆLECTIONES ACADEMICÆ
IN LIB. TERTIUM DECRETALIUM.

IN TIT. I. DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM, & XI. seqq.



INSUPERIORI actum est de ordine iudiciorum. Deinceps lib. 3. & 4. agitur de rebus ipsis, quæ in iudicium venire solent. Rerum aliæ sunt Ecclesiasticæ, aliæ profanæ Ecclesiasticarum quædam sunt propriæ Clericorum, qualis scilicet personarum Ecclesiasticarum debeat esse vita & conversatio: quædam Clericorum propriæ, sed externæ, in quibus potissimum beneficia considerantur, aliæque vitæ subsidia, per easdem personas rectè riteque tum acquirenda, tum administranda: quædã denique per-

sonarum & rerum simul, quò spectant ea, quæ cù Clericis & Regularibus, tum etiam laicis ad Deum cultum promovendum, populique salutem procurandam ex officio incumbunt.

Primo quidem Tit. agitur de vita & honestate Clericorum, quæ de re D. Canis. in Summa sua juris Canonici lib. 1. tit. xxvi. In primis autem Clericos dedecet incontinentia & impudicitia, puritati mentis & corporis maximè inimica, c. vi. Clericorum 13. hoc tit. De vita & honestate. Unde Canones prohibent, ne Clerici cum aliis mulieribus habitent, quam cum matre, avia, matertera, amita vel cum sorore; nisi & illæ de vita lubrica suspectæ sint, uti docet.

Tit. II. De cohabitatione Clericorum & mulierum. Vide Summam d. tit. xxvi. §. 4.

QUOD tamen non de omnibus Clericis accipiendum est, sed maiorum Ordinum tantum; quorum susceptioni est annexum quoddam perpetuæ continentiæ votum. Minorum Ordinum Clerici non prohibentur uxores ducere. Unde sequitur.

Tit. III. De Clericis coniugatis.

AD vitam & honestatem Clericorum etiam pertinet præsentia sive residentia assidua eorum in Ecclesiis; in quibus beneficium Ecclesiasticum obtinent: de quo est.

Tit. IV. De Clericis non residentibus in Ecclesia vel præbenda. V. Summam lib. 11. tit. xxx.

PRÆBENDÆ autem & dignitates Ecclesiasticæ pertinent ad bonâ Clericorum externa, & vitæ subsidia quæ Ecclesia Clericis suppeditat ratione ministerii Ecclesiastici: de quibus est.

Tit. V. De præbendis & dignitatibus. V. Summam lib. 11. tit. xxvii.

CLERICIS tamen ægrotantibus & debilitatis, licet officium & ministerium suum obire non possint, beneficia sua non sunt auferenda, uti docetur.

Tit. VI. De Clerico ægrotante vel debilitato.

PORRO res externe Clericorum bifariam considerari possunt, vel per se, vel ratione fructuum. Per se, qualiter beneficia Ecclesiastica acquirantur. Ubi notanda est Reg. Beneficium Ecclesiasticum non posse licitè sine canonica institutione obtinere.

Tit. VII. De Institutionibus Vide Canis. ad d. Reg. & in Summa lib. 11. tit. xxix.

VERUM non potest quis institui in beneficio Ecclesiastico, nisi vacet, imò ne promitti quidem alteri beneficium nondum vacans.

Tit. VIII. De concessione præbendæ & Ecclesiæ nondum vacantis. V. Summam lib. 11. tit. xxviii. §. 3.

Et

ET quamquam Sede vacante in iis, quæ sunt jurisdictionis, Capitulum interim fungatur vice Episcopi, non tamen succedit in collationem beneficiorum vacantium, quæ jure communi vel consuetudine ad collationem Episcopi pertinent. *Canif. in Summa d. tit. xxviii § 7.*

TIT. IX. Ne Sede vacante aliquid innovetur.

EPiscopus autem vel alius Ecclesie Prælatus, non nisi cum consilio & consensu Capituli beneficium ullum suæ Ecclesie conferre, aut nominatos & præsentatos à patronis, vel aliis, ad quos jus nominandi pertinet, instituere potest, nisi fortè consuetudine vel statuto Ecclesie aliter receptum esset. *Canif. d. tit. xxviii. §. 2.*

Tit. X De his, quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli.

Vbi verò consensus Capituli requiritur, non est necessarius consensus omnium & singulorum, qui sunt de Capitulo, sed sufficit eorundem majorem & saniozem partem consentire, de quo est.

Tit. XI. De his, quæ fiunt à majori & saniori parte Capituli.

Porrò quicumque beneficia conferendi jus habent, siue sit Canonicus, ad quem turnus conferendi redierit, siue Capitulum solum, siue Capitulum cum Prælato, vel Prælatus solus, ea conferre tenentur sine deminutione. De quo est sequens.

Tit. XII. Ut Ecclesiastica beneficia sine deminutione conferantur.

Sequitur deinceps, quid juris habeant Clerici in beneficiis, & maximè in rebus Ecclesie, ex quibus fructus percipiunt, ratione beneficii sui; quò spectat sequens *Tit. De rebus Ecclesie non alienandis V. A.*

IN TIT. XIII. DE REBUS ECCLESIE ALIENANDIS, VEL NON.

In Cap. Nulli liceat §.

S U M M A R I A.

1. Alienationis nomine quid hic veniat.
2. Cur res Ecclesie alienari nequeant.
3. Clerici tantum habent procuracionem & administrationem.
4. Alienatio permessa est ex causa necessitatis.
5. Ex causa pietatis.
6. Ex causa utilitatis.
7. Ob incommoditatem rei Ecclesiastica.
8. Hypotheca generalis rerum Ecclesie an permessa.
9. Solemnitas qua requisita in hujusmodi alienatione.
10. Conductio rerum Ecclesie quanam prohibita.
11. Item in emphyteusim datio.
12. An qui alienavit illicitè ad restitutionem ejusdem rei agere possit?
13. Illicita alienatio qua dicitur.

HOc Cap. prohibetur alienatio & hypotheca specialis rerum Ecclesiasticarum immobilium, tum etiam mancipii rustici, quod videlicet ex colendo agro est destinatum & adscriptum.

Alienationis verò verbo etiam propriè domini translatio continetur, *l. Alienatum 67 in pr. D. De verb. sig. hoc tamen textu nostro latius patet, cum & continetur venditio, donatio, permutatio, & emphyteusos perpetuus contractus, item conductio; scilicet ad longum tempus, cum per hanc dominium utile in conductorem transferatur, c. 2. §. 5. inf. De locat. & conduct. junctà l. 1. §. 5. & l. 3. D. Si ager vectig. id est, emphyt. per. Adde ex Pauli II. Constitutione in c. 5. in pr. De reb. Eccles. non alien. in Extravag. commun. infeudationem, locationem & conductionem ultra triennium; de qua tamen infra latius.*

Quorum omnium hæc ratio est, quòd res Ecclesiasticae sint ipsius Ecclesie propriæ, siue Dei, in cujus usum & ministerium sunt collatæ, *can. 3. xii. q. 2.* Non igitur à Clericis, etiam à S. Pont. siue alio quocumque alienari possunt, *can. Non liceat 20. d. q. 2. & toto h. tit. & in lib. 6. de reb. Eccles. non alien.* cum nemo plus juris in alium transferre possit, quàm ipse habet, *l. Nemo 54. D. De R. I. neque debet alteri per alterum iniqua cõditio*

ditio inferri, *l. Non debet 41, D. eod.* Quò sit, ut alienationis verbū ad usumfructū, & servitutes prædiales rectè quoque pertrahatur, & hæ non minus in rebus Ecclesiasticis sint interdixæ, propter juris regulam in *d. l. c. confirmat textus in l. fin. C. De reb. alien. non alien. & De prob. rer. alien. vel hypoth.*

3 Itaque Clerici nullum alienandi jus habent in rebus Ecclesiasticis, sed tantummodò procuracionem, & administracionem, *c. 2, inf. De donat. nisi quibus casibus ipsis permiffa est alienatio à saceris Canonibus, qui quatuor enumerantur à Glossa, in summa d. q. 2, & à Navarro an d. can. 20.*

4 Quorum primus est, si necessitas Ecclesiæ alienationem urgeat, puta propter debitum Ecclesiæ, *can. 2, in pr. x. q. 2,* qui textus desumptus videtur ex *Auth. Hoc jus C. De sacros. Eccles.* aut ob aliam justam necessitatem, *Clem. 1, in pr. De reb. Eccles. non alien. c. 1, inf. De pignori b. quia, ut dici solet, necessitas non habet legem, exc. 4, inf. De reg. jur. & exc. 2, § fin. inf. De observat. jejun.*

5 Secundus casus est, ob causam pietatis, utpote pro redemptione captivorum, & sustentatione pauperum, *can. Sacrorum 15 & can. Aurum 70 d. q. 2,* ubi textus discretè inquit, melius esse, ut vasa viventium serventur, quàm metallorum, scilicet Ecclesiæ. Quæ eadem ratio hæc in re extat apud Justinianum in *l. Sanimus 21, C. De sacros. Eccles.* quoniam non absurdum est, ait, animas hominum quibuscumque vasis, vel vestimentis præferri.

6 Tertius casus est si id postulet utilitas Ecclesiæ, *can. Sine exceptione 52, in pr. xii. q. 2, & d. Clem. 1, in pr.* Et ratio est, quia quod ob favorem sive utilitatem Ecclesiæ est introductum, non debet retorqueri in ejus incommodum, *l. Quod favore 6, C. De legib.*

7 Quartus casus est, propter incommoditatem rei Ecclesiasticæ, ut quia res magis est damnosa, quàm utilis Ecclesiæ, *can. Terrulas 53, d. q. 2,* Verùm hic quartus casus rectè sub tertio includitur, & idcirco eadem ratio hic militat, quæ in tertio casu.

Adde ex prædicta Pauli Constitutione in *d. c. 2, in pr.* prohiberi quoque alienationem rerum mobilium Ecclesiæ, quæ servando servari possunt; ita ut hæc Constitutio Pauli II. latius pateat, quàm textus noster, qui tantummodò prohibet mancipium rusticum alienari.

Id tamen, quod tertio casu dictum est, ob utilitatem posse alienari rem Ecclesiæ, non indi-

stinè accipiendum est, sed cum hac moderacione, ut si agatur de alienatione rerum, quæ non sunt destinatæ ad altaris ministerium, nec ad cultus divini celebrationem, ut sunt domus, prata, vineæ, & similia, quòd hæ scilicet alienari possunt & pignori obligari, propter utilitatem Ecclesiæ, præmissa tamen solemnitate Canonica, de qua inf. Sin de aliis rebus, quæ ministerio & cultui divino sunt deputatæ, sicuti sunt vasa, vestimenta, calices, & similia, quòd hæ non aliter alienari possunt, nec in pignori tradi, quàm ex summa necessitate, ita ut qualibet necessitas non sufficiat. Ita ex *Did. sententia Covarr. Par. rejol. lib. 2, c. 16, n. 8, ubi hanc rem latius prosequitur, & probat text. in d. c. 1, in V. justissima, inf. De pignori b.*

Iam ad textum nostrum regediendo, videtur eo ipso, quòd prohibet specialem hypothecam, permittere hypothecam generalem, argumento à contrariatione casu deducto, quod in utroque jure receptum est, *per text. in l. 1, in pr. V. Hujus rei fortissimum argumentum D. De officio ejus. cui mand. est. juris d. & in c. 7 § fin. sup. De his. que sunt à Præl. sine cons. Capite Unde Panorm. hic sub n. 3, aliique Doctores putant, generalem hypothecam, quæ omnium bonorum est, hoc jure permissam esse Prælato in rebus Ecclesiæ. Quod tamen mirum videri posset, cum per generalem hypothecam non minus præjudicetur Ecclesiæ, quàm per specialem; siquidem per utramque res ab Ecclesia avocari potest & distrahi. Et quidem de speciali hypotheca dubium non est, sicuti videre licet sub tit. D. De distract. pignorum & hypoth. & C. eod. tit. De generali verò hypotheca, quòd similiter per eam res capi & distrahi possit, probat text. in l. Si generaliter 6. C. Qui pot. in pig. hab. in l. 2, C. De pig. & hypoth. & in l. fin. C. Quæ res pig. oblig. poss. vel nō, quare diversitatis ratio hic est inquirenda. *Did. Covarr. præallegat. loco n. 7,* putat hanc rationem esse, quòd specialis hypotheca plus afficiat rem, quàm generalis; siquidem, ait, servus specialiter hypothecæ obligatus non potest manumitti; aliter, si generaliter sit obligatus, *per text. in l. 3, C. De servo pig. dato manum.* Sed facile huic occurritur, quòd id singulari jure admissum sit in servo, favore libertatis: at in aliis rebus rectè contradicatur, in quibus generalis hypotheca quæ afficit res, atque specialis, etiam quod attinet ad distractionem rerum, *l. 2, D. Qui pot. in pig. hab. & d. l. 6,* Quare hæc contrarià ratione motus Imola, *hic sub n. 3,* videtur idem statueri in generali hypotheca, quod in speciali, ut scilicet utraq; in rebus Ecclesiasticis pro-*

prohibita sit: nihilominus Aug. Beroius hic n. 11, cum seq. non obstant eadem ratione contrariâ, existimat, generalem hypothecam minime prohiberi per hunc text. à contrario sensu. & per Iust. Novell. 7, eadem ratione ductus, quâ Covarr. nisi quod Beroius in speciali hypotheca putet adquiri jus in re, in generali verò jus ad rem, l. fin. C. Quæ res pig. oblig. poss. vel non. Verum idem tex. d. l. fin. hanc rationem aperte refellit, dum eandem vim tribuit generali hypothecæ, quam habet specialis. Ego verò hanc rationem veriore esse existimo, quòd generalis hypotheca ideo permittatur in rebus Ecclesiasticis, etiam absque ulla solemnitate Canonica, quòd in ea facile perveniri non possit ad venditionem rei generaliter obligatæ. Nam, si statuamus creditorem agere hypothecariâ actione ad rem particularem, quæ generali hypothecariâ continetur, ut ejus possessionem nanciscatur, & eandem postea distrahat; hic certè opus erit solemnitate Canonica, cum hoc modo ad alienationem rei deveniatur.

9 Solemnitas verò Canonica, ut hic paucis verbis inferam, in eo consistit, ut in alienanda re, quæ est Ecclesiæ cathedralis, præter Episcopi auctoritatem, adhibeatur Capituli consensus, & subscriptio, d. can. 52, in pr. xii. q. 2, Clem. 1, in pr. De reb. Eccles. non alien. c. 1. & passim sup. De his, qua sunt à Prælat. Sin. alterius Ecclesiæ, adensus quoque Episcopi requiratur, can. Placuit 5, d. q. 1, In alienatione verò rerum monasterii opus est non tantum consensus Capituli, sed & Episcopi, can. Abbatibus 41, d. q. 2. & can. In venditionib. 40, in prin. xvii. q. 4, Intellige hæc iis casibus, quibus alienatio rerum Ecclesiasticarum permittitur, quos supra quatuor recensuimus. Igitur, ut antè dixi, licet in generali hypotheca, quæ est omnium bonorum Ecclesiæ, hæc solemnitas Canonica non requiratur, ea tamen exigitur, ubi ad alienationem rei particularis devenitur; in qua, cum accidere possit, ut consensus Capituli, vel Episcopi repugnet alienationi rei particularis, quam elegit creditor ex generali hypotheca, vel, si quam fortè aliam elegerit; hic tandem necesse erit, creditorem eâ re contentum esse debere, quæ placuerit Capitulo, vel Episcopo. In quo minus præjudicium vertitur Ecclesiæ, quam si specialis hypotheca creditori esset constituta: nam cum hæc sola sit in obligatione, potest creditor ad eam possidendam præcisè agere, & postea legitimo tempore vendere. Ut hinc quoque

notanda sit differentia inter generalem hypothecam rerum Ecclesiasticarum, & aliorum privatorum, quòd scilicet in illis creditor non possit rem, quam velit, eligere, in rebus privatorum contrà, prout sup. deductum est.

Secundò, quòd in textu nostro prohibeatur rerum Ecclesiasticarum conductio (alii legunt, conditio, sed utraque lectio defendi potest, juxta interpretationem Joan. Imolæ hic sub n. 7,) accipiendum est de ea conductione, quæ ad longum tempus, decem videlicet annorum, contrahitur, sicuti in pr. c. meminimus, & probat Imola hic n. 7. in fine. Nam quòd ad minus tempus, videlicet septem annorum, conductione valeat, liquet ex c. 4, §. 3, inf. Ne Prælati vires suas vel Eccles. sub ann. censu conced. nisi quòd hodie conductionis tempus restrictum sit ad triennium inclusivè, ex Pauli II. Constitutione, in c. un. in princ. de reb. De reb. Eccles. non alien. in Extravag. comm. quam tamen exaudire oportet de rebus Ecclesiæ, quæ quotannis excoluntur, & fructum reddunt; alioqui, si res Ecclesiæ ejus sint conditionis, ut ex iis quolibet triennio unicus tantum fructus percipiatur, potest ut in novem annos locari. Ita post alios à se citatos Did. Covarr. Var. resol. lib. 2, c. 16, & tradit Navar. add. can. 20, xii. q. 2, nec enim æquum videtur, ut steriles agri fertilibus quoad hanc prohibitionem æquiparentur. Facit text. opt. in l. 7. D. Quæmad. ferm. amitt. quia & certum est, eandem Constitutionem Pauli II. contrariâ consuetudine tolli posse. Aut enim ea alicubi recepta non est moribus populi, quo casu utique non ligat subditos, per text. in can. 3, cum c. seq. Dist. 4, Ratio est, quia leges à Principe consentur eâ conditione & intentione ferri, ut non aliter obligent, quam si recipiantur à subditis, sicuti ex Dominico, & communi aliorum sententia tradit idem Covarr. supra alleg. loco. Aut verò semel recepta est, sed contrariis subditorum moribus sublata, quæ etiam specie amplius non obligat subditos, cum per consuetudinem contrariam lex rectè abrogetur, c. fin. sup. De consuet. c. l. De quibus 32, §. 1, D. De legib. & longa consuet. quòd videtur respexisse Conc. Tridentinum Sess. 25, cap. 11. §. locationes De reform.

Tertiò, Prohibetur hoc textu nostro emphyteuseos perpetuus contractus, ut hinc temporalem emphyteusim permissam esse rectè quis dixerit, arg. sumpto à contrario sensu Perpetuâ emphyteusim eam interpretatur Panorm. hic, quæ est 30.

annorum: sed rectius eam perpetuam dicemus, quæ semper & in infinitum durare potest, quamdiu pensio sine canon ejus nomine solvitur; per text. in §. 4. *Inst. de locat. & conduct.* §. l. 2. *C. De jure emphyt.* Ita quod emphyteusis concessa ad 30. annos, vel ad secundam & tertiam generationem, vel ad vitam alicujus, non sit perpetua, sed temporalis. *Berolius hic sub n. 35.* ac proinde hoc textu nostro non sit interdicta, sed per d. Constitutionem Pauli II. ubi simpliciter emphyteusos contra hunc prohibetur in rebus Ecclesiasticis, cum per hanc ut de dominio transferatur, l. 1. §. 5. *§. l. 3. D. Si ager vestig. &c.*

Neque obstat, quod hæc Constitutio Pauli II. pœnis traheuda videatur ad dispositionem hujus Cap. nostri, ubi solius sit mentio emphyteusos perpetuæ, non temporalis, per text. in l. *Non est novum 26. & ibi §. l. cum l. seq. D. De legib.* quo loco dicitur, posteriores Constitutiones ad priores pertrahendas esse, declarationis vel supplementationis causâ. At vero, cum Constitutio Pauli II. simpliciter prohibuerit emphyteusim, textus verò noster solummodò emphyteusim perpetuam, consequens videtur, eandem Constitutionem non nisi de emphyteusi perpetua exaudiendam esse. Sed responderetur, verum quidem esse, posteriores de eadem re constitutiones ad priores revocandas esse, ut quantum fieri potest, evitetur correctio jurium, quæ alioqui odiosa est, text. in c. *Cum expedit 29. De elect. lib. 6. §. l. un. C. De inoff. dot.* non tamen id obtinet, ubi posterior lex priori aperte contraria est; hoc enim casu priori per posteriorem contrariam derogatur, etiam si prioris nulla mentio facta sit in posteriori, per text. in c. 1. *De constitut. lib. 6. & in l. Sed & posteriores 28. D. De legibus.* Item non obtinet, ubi ex circumstantiis posterioris legis contraria mens legislatoris colligitur, ut in præsentis casu: quippe absurdum esset, prohiberi conductionem rerum Ecclesiasticarum ultra triennium, & tamen permitti emphyteusim longi vel longissimi temporis. Quod autem & emphyteusis temporalis rerum Ecclesiasticarum expressè interdicta sit, probat etiam textus in *Clem. 1. §. 5. De reb. Eccles. non alien. & in l. 1. §. 1. & i. fin. D. Si ager vestig. &c.* ubi emphyteusis perpetua & temporalis æquiparantur, cum ex utraque actio realis oriatur, ratione utilis domini translati.

Notandum verò, in ea Constitutione Pauli II. res ab aptiquo solitas in emphyteusim conce-

di, si ad Ecclesiam redierint, rectè iterum in emphyteusim concedi, suadente tamen Ecclesie utilitate. Idem est in bonis feudalibus, per eandem *Constit. in pr. & text. in c. 1. inf. De feud. & qua ibid. dicimus.* Interpretamur verò eam rem solitam in emphyteusim dari, quæ pacificè 40. annis titulo emphyteutico possessa est ab uno vel a pluribus, per text. in c. 5. *in pr. De præbendis & dignit. lib. 6.*

Atque hæc quoad explicationem textus nostri, & d. *Constit. Pauli Secundi*, quæ & alienationem factam omninò irritat, & nullius esse momenti declarat, adnexâ excommunicatione tam in alienantem, quam in recipientem rem Ecclesiasticam, aliisque pœnis.

Sed quæritur, an is, qui illicitè alienavit, ad restitutionem ejusdem rei agere possit? Et magis est, cum possit, per text. in c. 6. *h. n. t.* etiam si alias turpe sit, venire contra factum proprium, & idcirco audiri non debeat, l. 4. *C. De revoc. donat. l. 30. C. De transact. &c. §. fin. inf. De donat.* quod enim semel placuit, amplius displicere non potest, c. 21. *De R. l. in 6.* Sed diversa ratio hic subest, quod Clericus, qui alienavit rem Ecclesie illicitè, non suo, sed Ecclesie nomine agat: & sic ex capite Ecclesie admittitur ad recuperationem rem Ecclesie à se illicitè alienatam.

Sed & constitutum est in d. c. 5. §. fin. quod etiam quilibet ex Clericorum ordine eandem rem possit repetere, etiam cum fructibus: nec enim debet delictum personæ in detrimentum Ecclesie redundare, c. *Delictum 76. De R. l. lib. 6.* quod utique fieret, si res unâ cum fructibus non restitueretur. Interim emptor si malæ fidei sit, hoc est, si scivit rem Ecclesie esse, pretium amittit, & Ecclesie applicatur, l. *Tubemus 4. §. 1. C. De sacros. Eccles.* Sin bonæ fidei sit, pretium ab alienante recuperat, non autem ab Ecclesia, nisi in defectum, ut quia alienans solvendo non est; tunc enim ad Ecclesiam recurritur, quatenus scilicet ipsa ex pretio facta est locupletior, argum. c. 1. §. 1. *inf. De depof. Panorm. add. c. 6. n. 13.*

Illicitam verò alienationem hanc vocamus, quæ facta est extra casus à iure permittos, quorum quatuor supra enumeravimus. At quæstionis est, si non servatâ solemnitate Canonica in casu permisso alienatio facta sit, utrum ea quoque illicita censeri debeat? Et verius est, illicitam & hanc dici, quia contra sacrorum præscriptum Canonum facta est, arg. l. 1. *D. De injusto rupt. irr. sacro testam.* ubi testamentum non iure factum

factum dicitur, quod suis solemnitatibus est constitutum; imò pro infecto habetur, quod contra jus factum est, l. 5. C. de legib. Et d. §. 1. Et Quia contra 64, De R. l. in 6, Idque in foro exteriori indubitatum est; nam quoad forum interius, id est, conscientie, aliter censet Ant. de Butrio ad c. 8. n. 12, inf. De immun. Eccles. ut, si quis ab Ecclesia rem emerit, omittis solemnitatibus, vero tamen pretio: & causa legitima intercedentibus, quod nihilominus subsistat emptio & venditio quoad forum conscientie, dummodo consensus eo-

rum, quorum interest, intervenerit: nam quòd sacri Canones solemnitatem adhiberi velint in alienatione rerum Ecclesiarum, id fit ob periculum Ecclesie, & fraudes evitandas; quæ cum cessarint in conscientie foro, nihil est quod de effectu solemnitatum simus solliciti. Et probat hoc dictum Butr. Panorm. ad d. e. 8, num. 31, aitq. ad multa accommodari posse. Facit optimus text. in l. fin. C. de fideicom. Et in §. ult. Inst. de fideicom. hered.

IN TIT. XIV. DE PRECARIIS.

Distinguit hic inter Precarias & Precariam Hostiensis, ut nomine Precariarum veniat contractus, quo veluti precarius usus prædii Ecclesiastici alicui conceditur, de quinquennio in quinquennum renovandus, ad perpetuam rei memoriam, c. 1 h. t. can. Precaria de quinquennio x. q. 1. can. Longinquitate xii. q. 2. Precaria verò sit contractus, quo jus percipiendorum fructuum ex prædio Ecclesiastico alicui ad vitam tantum precario conceditur. Nam qui olim res suas Ecclesie donabant & cedebant, rogare deinde fo-

lebant, ut sibi quoad viverent, uti liceret illis vel aliis Ecclesie bonis. Canones tamen distinguere non videntur, d. can. Precaria de quinquennio, Et can. Precaria à nemine x. q. 2, Et c. 2, h. t. Ut precarie sive precaria nihil sit aliud, quàm jus percipiendi jus ex prædio Ecclesiastico alicui vel gratuito, vel numeratâ certâ mercede, in vicem donationis Ecclesie ab eo factæ, concessum Vide D. Canis in Summa lib. 111, tit. 1, ut & ad duos Tit. seqq. de Commodato & Deposito, eod. lib. tit. 17. V. A.

IN TIT. XVII. DE EMPTIONE ET VENDITIONE.

In Cap. Dilecti 3.

SUMMARI A.

1. Venditio ultra dimidiam justipretii an valida?
2. Facti species.
3. Causâ pluribus delegatâ quis cognoscat.
4. Sententia contra jus lata est nulla ipso jure.
5. Cur in casu h. cap. venditio non sit ipso jure nulla.
6. Deceptio circa pretium unde proveniat.
7. Dolus dan: causam contractui quid operetur.
8. Et quid incidens in contractum.
9. Error circa pretium non vitiat contractum.
10. Quid si ultra dimidiam justipretii deceptio contingat?
11. L. 2. C. De resc. vend. an in emptore locum habeat?
12. Lasso ultra dimidiam justipretii qualiter inveniatur.
13. Quid si lasso contigerit ex parte emptoris?
14. Decisio d. l. 2, an locum habeat in venditore, sciente res pretium?

15. Intellectus l. Domum 57, §. 2, D. De contrah. empt.

16. Et quid si emptor renuntiet auxilio d. l. 2,

17. An decisio d. l. 2, habeat locum in ceteris contractibus.

18. An in transactione?

19. An in conscientie foro.

Celebris hujus Cap. decisio est, desumpta ex l. 2, C. De resc. vend. ejusque sententia hæc est: quòd valeat venditio, etiam venditio, etiam si venditor deceptus sit ultra dimidiam justipretii; sed agere posse eundem venditorem, ut sibi vel restitatur res, vel justum pretium suppleatur ab emptore; idque disjunctivè, nam alterutrum præcisè perendo succumberet venditor.

Facti speciem videamus: Quidam Canonici Beluacenses, ignorante Capitulo suo silvam quamdam vendiderant Abbati, & Fratribus Cariloci, certo & constituto pretio: cujus occasione lite subortâ, & delatâ ad S. Pontificem, causa ab

ab eodem cognoscenda & dirimenda delegata fuit Morinensi Episcopo, & Decano Rhemenfi, adnexâ hac clausulâ: ut, si uterque simul causæ cognitioni superesse non possit, alter nihilominus procederet. Nam, ut obiter hoc inferam, † causâ duobus vel pluribus simpliciter delegatâ, unus sine alio cognoscere & sententiam dicere non potest, c. *Causam* 16, § 1, *sup. De offic. & potest. jud. deleg. & l. Duo ex tribus* 39, D. *De re judic.* Si cum prædicta clausulâ, ut, si uterque causæ cognitioni, &c. sufficiat alterum procedere, si alter vel alii sint impediti, c. *Prudentiam* 21, §. 2, & § 4. *sup. d. 1. De off. & pot. jud. deleg.* Igitur, quia delegatoni causæ clausulâ illa interta fuit, Decanus Rhemenfis solus causam cognovit, & pronuntiavit, venditionem non valere, adjudicavitque solum Beluacensi Ecclesiæ, eò quòd infra dimidiam justî pretii vendita fuisset. A qua sententia cum appellatum esset ad S. Pont. hic auditis partibus utriusque rationibus & juribus, sententiam Decani retractavit, tamquam juri contrariam. † Brevis sententia contra expressum jus lata ipso jure nulla est, l. *Si expressim* 19, D. *De appellat. l. 2. C. Quando provoc. non est necesse & c. 1, sup. De sent. & re jud.* Fuit autem sententia Decani contra expressum jus lata, eo quòd constituti juris sit, ut, si res infra dimidiam justî pretii sit vendita, in arbitrio emptoris sit, vel supplere, quod deest justo pretio, vel rescindere venditionem, restituendo scilicet rem ipsam venditori, *per text. d. l. 1, C. De rescind. vend.* salvo tamen jure Canonici Beluacensibus eadem de re aliud judicium resumendi & intentandi contra Monachos eisdem. Hæc quoad facti speciem. Singula diligenter perlustramas.

Ubi hæc prima difficultas occurrit, cur S. Pontifex non pronuntiaverit potius, venditionem ipso jure nullam esse, ex hoc capite, quòd illa ignorante Capitulo sit facta. Nam in alienatione rei Ecclesiasticæ consensus Capituli requiritur, *can. Sine exceptione* 52, *in pr. xii. q. 2, & c. Vt super* 8, § *fin sup. De reb. Eccl. alien. vel non.* Similiter, cum contra utilitatem Ecclesiæ alienatio facta videatur, utpote quòd enormiter circumventa sit Ecclesia circa æstimationem pretii, cur non vel ex hac causa S. Pont. declaraverit eandem venditionem non valere, cum & in alienatione rei Ecclesiasticæ nullitas spectari debeat, *d. can. 52, in pr. & d. §. fin.*

Sed priorem obicem ita tollit Bernard. *hic,* quòd, licet narratum fuerit in libello, venditio-

nem ignorante Capitulo factam fuisse, tamen in progressu judicii nil amplius fuerit de eo actum, sed tantum de deceptione pretii, ob quam petierant Canonici Beluacenses rescindi contractum, conclusio autem libelli à giudice potissimum spectatur, *uti ex Bart. eleganter tradit Ber. hic num. 3, & probat text. in c. Licet Heli* 31, §. 1, *juncta ibid. Glos. in verbis. judicii formam, inf. De simonia.* Quod verò ad alterum attinet, respondet Beroius *hic* quòd, tamen in venditione graviter læsa fuerit Ecclesia, non tamen obid inferatur, inutilem fuisse Ecclesiæ ejusmodi venditionem: nam res ipsa inspiciatur, utrum expediat Ecclesiæ eam diutius retineri; error autem circa pretium per accidens intervenit, qui per remedium hujus cap. corrigitur, vel per restitutionem in integrum, c. *1, sup. De in integ. restit. & c. 2, in pr. eod. tit. in 6.*

Secundò, hic observandum, deceptionem circa pretium, *de qua hoc c.* non intelligi eam, quæ ex dolo contrahentium procedit, sed quæ provenit ex re ipsa, quæ nihil aliud est, quàm error circa æstimationem rei, *cujus mentio fit in l. Si quis 36, vers. idem est D. De verb. oblig.*

Unde sciendum est, tria genera deceptionum evenire posse circa contractus. Aut enim deceptio dat causam contractui, puta dolo venditoris inducor, ut rem emam, alias non empturus: quo casu emptionis contractus ipso jure nullus est, sicut & ceteri contractus bonæ fidei, l. 7, *in prin. D. De dolo malo & l. 3, §. fin. D. Pro socio.* Nam stricti juris contractus valent ipso jure, sed decepto succurritur per exceptionem doli mali, d. l. 136. † Aut incidit in contractum, quia rem quidem empturus eram, sed dolo tuo persuasus pluris emi; quâ specie valet quidem contractus, sed agitur ad restitutionem ejus, quanto pluris emi, l. *Julianus* 13, §. 4, D. *De act. empti & vend. vel ad resolvendam emptionem actione ex empto, ut pretio restituito res reddatur, l. ex empto* 11, §. 5, D. *d. t. De act. empti & l. Dolus* 10, C. *De rescind. vend.* † Aut verò dolus neque causam dat contractui, neque incidit in contractum, sed error circa pretium, propter ignorantiam justæ æstimationis, committitur; & hoc casu sustinetur contractus ex sententia Pomponii Jurisconsulti, cum inquit, contrahentibus licere naturaliter in pretio emptionis & venditionis se circumvenire, l. *In causa* 16, §. 4, D. *De minorib. quemadmodum & in locatione & conductione, ut est text. in l. Item* § 22, §. *fin. D. Locati.* Ut hic subau-

subauditi semper debeat, dum modò ab sit fraudandi animus, sed sola deceptio veniat ex re ipsa, quæ, si dimidiam justii pretii excesserit, recurritur ad remedium hujus *text. nostri*, & in d. l. 2. C. De rescind. vend. Cum enim hæc deceptio enormis sit, & cum omni humanitate pugnans, meritiò decepto hoc cap. nostro succurritur, ne nimium emptor locupletetur cum venditoris injuria, *contra text. in l. Nam hoc natura 4. D. De condit. et leib. Et in c. Locupletari 48. De R. l. lib. 6.*

10 Sed, inquires, cur non idem receptum est, si infra, vel etiam ad dimidiam justii pretii deceptio contingat, siquidem & hac specie emptor locupletatur cum alterius injuria? Id rationis est, ne ex nimia æqualitatis observatione impediatur hominum commercia, adcoque nullus litium finis sit, si ob quamlibet læsionem agi possit, *facit text. in l. fin. in pr. D. Pro suo*. Itaque ut remedio hujus *textus nostri*, & d. l. 2. experiri possit venditor, necesse est, ut ultra dimidiam justii pretii deceptus sit. Neque audiendus est emptor, si id, quod deest dimidietati justii pretii, velit supplere: ut si, v. g. venditor rem valentem 100. vendat 40. non satis est ad excludendam læsionem ultra dimidiam justii pretii emptor, 10. adjiciat, sed necesse est, integrum pretium suppleat, vel rem restituat, *per hunc text. Et in cap. pen. eod. Et d. l. 2. in verbis, quod deest justii pretio*. Ubi adde, quòd in justo pretio subducendo vel incendo incipiat tempus celebrati contractus quanti videlicet eo tempore res valuerit, non quanti postea, *d. c. pen. Et l. Si voluntate 8. C. De rescind. vend.*

11 Et quamvis *textus noster* de venditore decepto loquatur, idem tamen juris statuendum est in emptore enormiter decepto, *ex sententia omnium DD. teste Ario Pinello ad d. l. 2. p. 2. c. 2. num. 1. cum seqq.* Æqualitatis enim ratio postulat, ut, quem admodum venditori enormiter læso succurritur, ita & emptori læso enormiter, succurratur.

12 Cæterum magna difficultas est apud Interpretes, quæ ratio ineunda sit inveniendæ læsione ultra dimidiam justii pretii. Et profectò in venditore læso omnes eò decurrere videntur, ut intelligant venditorem tunc deceptum esse, quando nondum recepit dimidium pretium justæ æstimationis rei venditæ: v. g. si res valet 10. & pretium conventum sit minus 5. vel si res 20. valeat, & pretium conventum ad 10. non ascendat, idque aperte evincit *text. Juris Civilis, in d. l. 2. in verbis, si nec dimidia pars veri pretii soluta sit.*

13 At magis controversum est de læsione ex parte

emptoris. Nam sunt, qui eandem rationem observandam censent in emptore, quæ est in venditore, consideratâ scilicet in utroque eadem quantitate, in venditore infra, & in emptore supra: veluti, si pro re valente 10. emptor ultra 15 numeravit. Nam sicut venditor dicitur læsus, si dimidium justii valoris non receperit, ita & emptor, si præter justum pretium adhuc dimidium & eo amplius solverit. Ita ex Gl Bartolo & Baldo, & communi Dd sententiâ tradit Pinel. in d. c. 2. nu. 6. cum seqq.

Nonnullis aliter placuit in emptore, ut hic non aliter ultra dimidium justii pretii dicatur læsus, quàm si rem duplo, & amplius emerit & solverit, veluti si res valeat 10. emptor verò ultra 20 emerit. Hujus sententiæ recensentur auctores Petr. Cyn. Conan & alii apud eundem. Pinel. d. nu. 6. cum seq. qui in hoc Doctorum dissenso putat posteriorem sententiam veriorē esse, eamque hac ratione comprobat: nam, inquit, scopus veræ computationis in emptore & venditore est, si quilibet eorum non accipiat dimidium ejus, quod dedit. Secundum quam computandæ rationem si justum rei pretium sint 100. venditor, qui rem tradidit, læsus dicitur ultra dimidium, si acceperit minus 50. emptor autem, si dederit ultra 200. quia in venditore 50 sunt dimidium pretium ipsius rei: in emptore valor rei, quam accepit. Quare emptor deceptus ultra dimidium dici non potest, nisi 200 & ultra solverit, quia res ipsa, quam emptor accepit, 100. supplet.

Contraria verò opinio in eo hæere videtur, quòd ad emptorem & venditorem idem exemplum numerati pretii adcommoedet Res, inquit, valet 100. dimidium pretium sunt 50 venditor, qui minus 50 accepit, læsus est ultra dimidium justii pretii: emptor verò dans ipsa 100. & præterea 50. & ultra, læditur ultra dimidiam juxta computationem contrariam sententiam tuentium, quæ computatio (putat Pinel.) non potest consistere, cum ea fieri debeat considerando, an quilibet acceperit dimidium ejus, quod dedit. Idque ex mente *text. in d. l. 2.* doceri posse putat Pinellus, dum inquit: Minus autem pretium esse videtur, si nec dimidia pars veri pretii soluta sit; hæc enim verba, si ad emptorem accommodentur, ita accipienda sunt. Minus autem emptor videtur accepisse, si nec dimidium accepit ejus, quod dedit: v. g. Si pro 15. à se numeratis accepit rem valentem 12. nam si 19. tantum solvisset, jam plus quàm dimidiam accepisset, videlicet

Y rem

rem valentem 12. ac proinde dici non potest, cum ultra dimidiam deceptum fuisse. Et hæc ex subtili consideratione Pinelli, cui hæcenus non vidia quoquam responsum esse.

Existimo tamen contrariam opinionem & veriorum, & æquiorum esse, propter nimiam inæqualitatem, quæ ex posteriori subductione exurgit ex parte emptoris. Etenim, si dixerimus, emptorem tum demum ultra dimidiam justipretii deceptum esse, si pro re valente 12. solverit 25. sequeretur, non solum emptorem ultra dimidiam rei, sed etiam in tota re fuisse deceptum: nam totum pretium rei justum, & ultra ipsi abest; res enim valet 12. quæ si ex 25. conventis sive solutis deducantur, remanent adhuc 13. quæ tota sunt damno ipsius emptoris, & sic in tota re empta sive justa ipsius æstimatione, & ultra, læsus dicitur.

Quare, æqualitatis conservandæ gratiã inter venditorem & emptorem, necesse est statuamus, quod sicut venditor pro re valente 12. accipiendo 5. ultra dimidiam læsi dicitur, quia 7. illi absunt, ita & emptor solvendo 19. læsus dicatur in 7. quæ illi similiter absunt.

Neque obstant verba d. l. 2. C. De rescind. vend. quia respondetur, textum ibidem præmississe, quod venditor rem suam minoris justo pretio distraxerit; ergo venditor totam rem non amisit, sed aliquid pretii recepit, quod aliter in emptore usu venit, si rationem Pinelli sequamur: nam pro 13. quæ emptori absunt, justamque rei æstimationem excedunt, nihil sibi reliquum manet. Ideoque verba illa d. l. 2. simpliciter ad emptorem transferenda non sunt, sed cum simili moderatione, intelligendo videlicet, in emptore aliquid rei pro 12. ad se pervenisse; quod non est, si Pinelli, & similibus computationem sequamur. Atque hanc posteriorem sententiam veriorum, & receptiorem esse, restantur Ant. Gomez. Var. resol. lib. 2. c. 2. num. 22. Did. Covarr. Var. resol. lib. 2. c. 3. nu. 8. Imò & ipse Pinellus sup. allegato loco num. 7. negare non audet, eam æquitate juvari.

4. Cæterum hic aliquot quæstiones incidunt, quarum prima hæc est, Utrum decisio text. nostri, & d. l. 2. locum habeat in venditore sciente verum rei pretium? Et apud Doctores obtinuit, quod non, sicut ex Bart. Baldo, & aliis tradunt Tirac. de retract. gent. §. 1. num. 14. & Covarr. d. lib. 2. c. 4. nu. 2. siquidem donatio intelligitur ejus, quod dimidium justipretii excedit; juxta juris regu-

lam, Cujus per errorem dari repetitio est, ejus consulto dari donatio est, l. 53. D. De R. I. Verum, si hoc simpliciter admittamus, sequeretur, hanc decisionem textus nostri nunquam competere venditori læso; cum quilibet præsumatur scire æstimationem rei suæ aut saltem debere scire, quæ pari passu ambulat, per text. in l. Quisquis major 15. C. De rescind. vend. Sed respondet Covarr. d. num. 2. non præsumi scientiam veri valoris sive justipretii, ubi læsio ultra dimidiam excurrit; nam hoc casu potius error præsumitur: secus, si non excurrit, quæ specie magis præsumitur scientia, neque ita accipiendum esse text. in d. l. 15. At Arius Pinell. in p. d. l. 2. c. 2. num. 11. cum seqq. contra retorquet, majorem scilicet scientiam præsumi in enormi læsione, quàm in modica: cum in majore, & evidentiore non tam facile erremus, quod docet experientia. Quocirca ipse putat, venditori non obesse, etiam si ultra dimidiam deceptus sciverit iustum rei valorem. Deinde venditor potuit necessitate coactus, vel alia de causa rem suam vendidisse, non igitur venditor, licet sciens, donasse præsumendus est, si aliquam causam alienationis alleget, l. 50. D. De solut. & liberat. & l. 24. §. 1. D. De pign. act. quam & in dubio præsumet Judex; cum nemo censetur rem suam iactare, si ve donare in dubio, l. 15. in pr. vers. qui enim solvit D. De probat. & præsumpt. & l. fin. C. Unde vi.

Et hanc Pinelli sententiam contra alios non solum probat Eman. Soarez in add. ad eundem Pinell. citato loco, sed & ipse Covarr. in post. edit. sua d. c. 4. ubi hanc sententiam sequitur, rejectâ prioribus; quæ certè & mihi probabilior videtur.

Neque obstat d. iuris regula, Cujus per errorem, &c. quia tunc donatio præsumitur in consulto dante, quando nulla causa adversi potest, cur donatum voluerit: & quod dici solet, scienti nullam iniuriam fieri, verum non est, nisi & sciens consentiat, per text. in c. 27. De R. I. lib. 6. ubi conjunctim scientia & consensus requiruntur. Idem est in l. Sicut 8. §. 15. D. Quib. mod. pign. vel hypoth. sol. & in l. 2. C. De remiss. pign. Nam si verè constaret, venditorem in damnum suum sive læsionem quantamcumque consensisse, dubium non est, decisionem text. nostri, & d. l. 2. omnino cessare: si enim rem integram donare potuit venditor, cur non & partem aliquam licet maximam? l. Non debet 21. D. De R. I. & c. 51. eod. tit. lib. 6.

Sed nobis negotium facessit text. in l. Domum 15. §. 7. §. 2. D. De contrah. empt. quo loco respondet Pau-

Paulus Jurisc. emptorem, si sciverit domum, antequam eam emitteret, exultam esse, ignorante tamen venditore, teneri nihilominus ad exsolutionem integri pretii; vel, si solverit, pretium repetere non posse: unde colligi videtur, deceptum ultra dimidiam, scientiam suam nocere. Verum huius rei alia ratio est: neque enim emptor eo casu læsus dicitur circa æstimationem rei emptæ, de qua nostra est disputatio, sed circa rem ipsam, quam ipse sciens de flagratam censetur potius donationis causâ emisse. Etenim si emptor pretium domus exultæ donare voluisset venditori, utique eum monuisset domum suam exultam esse, ut ita vilius comparasset aream domus. Aliter verò accidit in æstimatione rei, quam propter affectionem nostram, aut alia de causa quandoque pluris, interdum minoris emimus, vel distrabimus, & sic sæpè scientes læsionem enormem incurrimus. Quid si autem hæc clausula adiecta fuerit, quòd venditor donat sive remittit, quantò pluris res valeat; vel e contra emptor, quanto minoris empta sit? Et rectè responderet, ex sententia Bart. & aliorum Arius Pinell. d. l. 2. in d. p. c. 2. num. 20. C. De rescind. vend. quòd adhuc locum habeat remedium text. nostri, & d. l. 2. per text. in l. Hac adjectio 192. D. De verb. sign. ubi verbum (pluris) ad modicum refertur, non ad enormem quantitatem. Et licet Salicet, ad d. l. 2. num. 13. illud modicum iudicis arbitrio relinquendum esse existimet, eoque sublato inspicendum esse illud, quod remanet, an dimidiam iusti pretii transcendat: rectius tamen & tutius censet idem Pinell. d. c. 2. num. 21. illud modicum deducendum non esse, ubi læsio dimidiam excedit, quasi contrahens hanc conditionem tacite intellexerit, nisi enormis sit læsio, quæ scilicet dimidiam iusti pretii excedat.

16 Item quaeritur & de altera clausula, quæ apponi solet in instrumento, quæ venditor, sive emptor expressè renuntiat auxilio huius text. nostri, & d. l. 2. Et certè hæc clausula valet ad impediendum hoc auxilium, per text. in l. Quaritur 14 §. 9. D. De adil. editio, ubi remittentibus actiones suas nullus regressus conceditur: at si generaliter tantum renuntiaverit venditor, vel emptor, non impediuntur uti hoc auxilio, text. est elegans in l. fin. §. 3. D. De conduct. in deb. & latius tradit Did. Covarr. lib. 2. Var. resol. c. 3. num. 1.

17 Succedit alia quaestio, An decisio huius text. nost. & d. l. 2. habeat locum & in cæteris contractibus? De bonæ fidei contractibus, quales sunt,

præter emptionem & venditionem, locatio, conductio, permutatio, & similes, de quibus in §. 2. 9. Inst. De act. inter Doctores communiter convenit, quòd locum habeat. Ita enim arsestantur. Ant. Gomez. Var. resol. lib. 2. c. 2. vers. 22. in fine, & Pinell. ad d. l. 2. in part. c. 3. in princ. & probant textus in l. 3. C. Com. utriusque iud. & in l. 3. C. Quib. ex caus. major in integ. restit. quarum legum iidem auctores sunt, qui & d. l. 2. videl. Dioclet. & Maximianus Imp. & suadet eadem æquitatis ratio; igitur & idem iuris est in cæteris contractibus, quod est in venditione & emptione. Imò ob eandem utilitatem Arius Pinell. d. c. 3. num. 5. transfert decisionem d. l. 2. ad contractus stricti iuris; dummodò contractus bonæ fidei & stricti iuris sint commutativi, hoc est, quòd in eis utrimque aliquid datur, vel promittatur: nam, exempli causâ, in donatione, nullâ ratione admittitur, cum ab altera parte nihil veniat; neque donatio exerceri potest absque læsione & diminutione patrimonii nostri.

Cæterum apud Doctores celebris contentio est, An etiam locum habeat in transactione? ut si, v. g. Titius transegerit cum Sempronio de lite 300 aureorum, recipiendo tantum 100. aureos, aut aliam summam, quæ 150. aureos non adæquat, quaestio est, utrum agere possit Titius, tamquam ultra dimidiam deceptus, ad rescissionem transactionis, vel ad supplementum 300. aureorum? Cuius controversiæ duo existunt capita in Jure civili sibi invicem, ut apparet, repugnantia: unum est in l. Si pupillus 75. §. fin. D. Ad S. C. Trebull. quo hæres fideicommissarius in restituendo hæreditatem alteri ultra quadruplum læsus non restituitur adversus transactionem suam. Alterum est in l. Si superstitio 5. C. De dolo malo, quo consultur filiæ emancipatæ per actionem in factum contra transactionem cum patre initam. Et quidem Bart. ad d. l. 2. num. 7. C. De resc. vend. in hac controversia duo considerari vult; unum circa valorem rei, de qua transactum est; alterum circa dubium eventum litis, cuius dirimendæ causa transactio est interposita; scilicet priori casu valeat transactio, non obstante læsione ultra dimidiam, per text. in d. §. fin. quem & DD. ita communiter intelligunt, teste Pinello ad d. l. 2. in p. cap. 4. num. 12. posteriori verò casu locum habeat decisio c. nost. & d. l. 2. Idem probat Panorm. ad cap. 6. num. 7. inf. eod. præter alios, quos enumerat Pinell. d. loco & Andr. Gail. lib. 2. Obs. 70. Verum idem

Gall. ibid. refert Baldum, Jasonem, Aretinum, & alios D. D. contrariam secutos, quod scilicet transactio obtentu læsionis ultra dimidiam justii pretii non rescindatur; ad eod quod utraque opinio, licet invicem sibi contraria, communis videatur. Et licet prior opinio æquitate destruita non sit, eod quod tam enormiter læsus non videatur deliberatò transigisse, posterior tamen opinio melioribus juribus, & rationibus nititur: nam pro hac extant textus aperti in d. §. fin. in l. In summa 6 §. 1. in verbis, licet rei nulla, D. De condit. indeb. in l. A. divo Pio §. 3. D. De re judic. & confirmant potissimum duæ rationes, quarum una hæc est, quod transigens eo ipso, quod à lite discedit, non tam lædatur, quam commo aliquo afficiatur. Cum enim transactio non fiat, nisi datà, vel retentà si ve promissà aliquà re, l. Transactio 38. C. De transact. utique commo afficitur transigens, si certi quid accipiendo incertum litis eventum omitrat. Nam & hinc fit, quod is, qui timore litis etiam injustè motæ, vel movendæ, transactionis causà aliquid solvit, id ipsum, tamquam indebitè solutum, reperere non possit, propter dubium eventum litis, quâ se per transactionem liberavit text. elegans in l. 2. C. De trans. & in d. l. 6 §. 1. Altera ratio est, quod transactio sit comparata ad finendas lites, quas ne quidem Imperatorum rescripto, aut instrumentis postea repertis resuscitari oportet, l. Causas 16. & l. Sub preteritu 9. C. De transact. Imò, cum transactio pariat exceptionem litis finitæ, eâ oppositâ in Judicio, amplius res, de qua transactum est, coram Judice deduci non potest, c. 1. De lit. contest. in 6. & l. Eleganter 21 §. 3. D. De condit. indeb. juncto c. un. §. un. sup. De lit. contest.

Et hanc posteriorem sententiam, tamquam veriore, aliquoties Càmèra secuta est, prout testatur Andr. Gall. d. obf. 70. num. 1. Neque obstat text. in d. l. 5. C. De dolo malo, quo contraria senten-

tia niti videtur, quia is exaudiendus est de transactione dolo malo inita, sicut indicat ipse text. in verbis (non de dolo) propter paternam verecundiam, quasi contra alium, qui pater non est, actio de dolo competeret, Nos verò de ea transactione loquimur, quæ bonâ fide absque fraude inita est, quam ob immodicam læsionem retrahari non conducit, jurib. & rationib. supra allatis. Quod autem dolus patris in specie, d. l. 5. intercesserit, colligitur quoque ex eo, quod patrem latere non potuerit, quid in hæreditate matris fuerit, quam pater administravit, & ejus nomine pater cum filia transigit: igitur propter immodicam læsionem facile dolus in patre præsumitur. facit optimè text. in l. Omnes 17 §. 1. D. Quæ in fraud. cred. factæ sunt ut ressit.

Tertia quæstio est, An, quod antè dictum est, licere contrahentibus se invicem decipere usque ad dimidiam justii pretii, obtineat quoque in conscientiæ foro? Loquimur verò hic de deceptione, quæ ex te ipsa oritur, non quæ dolo contrahentium, sicut sup. in principio hujus Capituli monuimus. Et constat ex D. Thomæ sententia in 2. 2. quæst. 77. art. 1. non obtinere in conscientiæ foro, eo quod pugnet cum æqualitate justitiæ: unde consequens est, contrahentem, si postea resciscat proximum suum læsisse, teneri ad hujus læsionis restitutionem vel compensationem, ne locupletetur cum alterius injuria, contra naturalem æquitatem, l. 14. D. De condit. indeb.

Sed objicies, cur igitur jura permittunt hanc deceptionem usque ad dimidiam justii pretii? Id fit consulendæ reip. causâ, ne propter læsionem qualemcumque interturbentur rerum commercia, & replentur litibus tribunalia publica: nec enim omne, quod licitum, est honestum, l. 114. in pr. D. De R. l. vide latius Covarr. Var. resol. lib. 2. cap. 4. num. 11.

IN TIT. XVIII. DE LOCATO ET CONDUCTO.

In Cap. Propter sterilitatem.

SUMMARI A.

1. Pensio ob sterilitatem immodicam quando conductoris remittenda sit.
2. In emptione & venditione periculum omne ad emptorem pertinet.
3. Sterilitas & læsio immodica quid?
4. Quando scilicet conductor, solutâ pensione, manes læsus ultra dimidium justii pretii.
5. Deducit tamen prius à conductore impensis.
6. Et factâ locatione in unum tantum annum, non in plures.
7. Remissio quibus casibus cesset.
8. Damnum in propriis rebus coloni contingens non inducit remissionem.

9. Pensio

9. Pensio an ob nimiam ubertatem augeri debeat.
10. Immodicum lucrum quod dicatur.
11. Quid si fructus tempore messis plurimi valeant, ager vero vilis conductus sit ob vilitatem annonae?
12. Inquilinus ante tempus à domo expelli potest, si dominus probet domum propriis usibus necessariam esse.
13. Secundo, si domus refectioe indigeat.
14. Quid si inquilinus domum iure pignoris seu hypotheca possideat?
15. III. Si inquilinus in domo male versetur.
16. Quales deterioratio sit necessaria ad hunc effectum.
17. Expulsus conductor an teneatur reparare damnum, & quâ actione
18. IV. Si inquilinus per biennium cesset in solutione pensionis.
19. Idque locatione factâ ad longum tempus.
20. V. Si res conducta ab ipso domino sit vendita, vel aliter alienata.

HOc Cap. § Pont. duo decidit: unum, quòd propter sterilitatem immodicam agri ab Ecclesia conducti pensio remitti debeat conductori pro rata, nisi cum ubertate præcedentis, vel subsequenter anni sterilitas compensari possit. Alterum est, quòd inquilinus è domo conducta eiici possit ante tempus locationis finitæ, quatuor ex causis. Quarum prima hæc est, si domus ipsi domino necessaria sit ad inhabitandum. Secunda, si dominus eam reficere voluerit. Tertia, si inquilinus in domo conducta male versetur. Quarta, si per biennium cesset inquilinus in solutione pensionis, id est, mercedis conductionis.

Quod ad prius atinet, idem responsum est in privatorum agris ab Ulpiano Jurisc. in l. Ex conducto § 2, junctâ l. Si merces 2 § 6, De Locati cond. qui illud allatis exemplis illustrat: inquit enim, si vredo fructum oleæ corruperit, aut solis fervore non assuetus id acciderit, damnum domino futurum, id est, dominus hoc damnum in se suscipere debet, remittendo scilicet pensionem conductori. Quod & ad cæteros casus fortuitos idem Ulpian. accommodat in d. § 2. dum ex Servio recitat, omnem vim, cui resisti non potest, dominum colono præstare debere, ut puta fluminum, graculorum, sturnorum, &c. si quid simile acciderit; aut si incursum hostium fiat. Cujus decisionis ratio hæc est, quòd pensio sive merces locationis promittatur sive constituatur in recompensationem fructuum percipiendorum: at verò fru-

ctibus omnino non aut malè perceptis, cessat causa conductionis, ergò etiam ipsa pensio cessare debet, aut remitti pro rata perceptorum fructuum, c. Cum cessante 60. sup. De appellat. & l. Quòd dictum 32, D. De pact. id enim æquitati & bonæ fidei convenit, per text. in l. 8, C. De locat. & vend.

Neque obstat, quòd in emptione & venditione statim post contractum inritum etiam ante ipsam traditionem omne periculum rei pertineat ad ipsum emptorem, §. 4, Inst. De empt. & vend. & l. Necessario 8, D. De peric. & commodo rei vend. quia id singulari jure receptum est in contractu emptionis, propter eius majorem frequentiam cum summa utilitate conjunctam, ut eò liberiora sint hominum commercia. Deinde contractus emptionis momento quasi absolvitur, id est, quando conventum est de pretio, d. §. 4. quam conventionem simili quasi momento temporis subsequi potest rei emptæ traditio per venditorem, rem scilicet ipsam tradendo, §. Vendita 41. Inst. De rer. divis. vel constituendo se nomine emptoris possidere, l. Quòd meo 18, in pr. D. De adquir. vel amit. poss. vel etiam eandem rem ab ipso emptore conducendo, l. 4, C. De peric. & commodo rei vend. nam his casibus possessio tradita intelligitur, iam dictis jurib. & l. Quædam mulier 77, D. De rei vind. Quapropter, si ante traditionem res pereat, emptori potius imputandum est, quòd non egerit ad traditionem rei emptæ: si post traditionem res pereat, utique res periculo emptoris est, id eò quòd res pereat domino suo, l. Pignus 9, C. De pig. act. Contractus verò locationis etiam quoque frequens sit, non tamen reip. æquè necessarius, habetque tractum, ut loquuntur, successivum; nam ad mensem, annum, aut biennium, aut aliud certum tempus res conducitur, ita, quòd nihil conductori possit imputari, si in re conducta damnum aliquod incidat; intellige de damno immodico, prout iam latius explicabitur.

Verum apud Doctores controversum est, quæ 3 dicatur immodica sterilitas, aut læsio fructuum, ob quam fieri debeat remissio pensionis. Nam de modico damno, quin illud conductor æquo animo ferre debeat, nulla contentio est, propter aperta Jurisc. verba in d. §. 6. eò quòd in contractu locationis permixtum sit contrahentibus se invicem circumscribere, text. in l. Item si 22, §. fin. D. Loc. conducti.

Et quidem id apud omnes constat, tum remitti pensionem debere, quando conductor ex fundo ne quidem semen collegit, quòd accidit con-

sumptis omnibus fructibus; quâ specie loquitur Jurisc. in d. l. 15, § 2, D. Loc. cond. hanc rationem adferens, ne cogatur conductor supra damnum seminis amissi mercedem agri præstare.

Sed tota difficultas in eo vertitur, quando collectis aliquibus fructibus dicitur sterilitas sive læsio ad pensionem remittendam conductori; hac enim specie textus noster loquitur, & Jurisc. in d. § 6, ¶ Bart. ad l. Licet coris 8, C. De locat. & conduct. ommissâ longiori disputatione, omnium optimè censet, sterilitatem agri tunc inducere remissionem pensionis, quando tam exigui fructus collecti sunt, quod conductor solvendo pensionem remaneat læsus ultra dimidium iusti precii. Quam sententiam Barcoli Baldus, Imola & c. sequuntur apud Ariam Pinell ad d. l. 2, in 1, p. c. 3, num. 21. C. De resc. vend. & confirmant text in d. l. 2, l. Si voluntate 8, C. d. t. De resc. vend. & inc. Cum dilecti 3, & c. Cum causa 5, sup. De empt. & vend. qui textus licet de contractu emptiois loquantur, tamen rectè applicantur ad ceteros contractus, ex communi Doctorum sententia, sicut latius probavi ad d. c. 3.

Figamus igitur me conduxisse agrum 20. florenis: ego autem non nisi fructus novem florenorum collegi; hoc certè casu immodica læsio dicitur, ob quam justè remissio pensionis petitur, pro rata scilicet fructuum perceptorum, per hunc text. nostr. & in d. § 6, in verbis, si plus, quàm tolerabile est, læsi fuer fructus.

Non movet text. in l. Ex conducto 15, § 3, D. Locati. cond. quo dicitur, non esse habendam rationem exiguitatis fructuum; quia is accipiendus est de modica exiguitate fructuum: siquidem, ut antè dictum est, in locatione & conductione, quemadmodum & in emptione & venditione permillum est contrahentibus se invicem circumvenire, d. l. 22, § fin. D. Loc. cond. Intellige re ipsâ, prout aliàs declaravi, ad d. c. 3, sup. De empt. & vend. Textus autem Cap. nostri loquitur de magno incommodo sive insigni sterilitate, sicut & Cajus Jurisc. in d. l. 25, § 6, D. Loc. conducti.

Ubi igitur fructus percepti non æquant dimidium mercedis constitutæ, remittenda erit pensio, pro rata fructuum perceptorum; deductis tamen prius ab ipso conductore impensis, quas querendorum, colligendorum, & conservandorum fructuum gratiâ fecit: nec enim aliter fructus intelliguntur, nisi his impensis, & fructibus detractis, l. Si à domino 26, § fin. D. De hered. pet. l. 7 in princ. D. Solutio matrim. & l. 1, C. De fruct. & lit. ex-

pen. atque sic ex reliquo fructuum perceptorum sterilitas modica, vel immodica aestimanda erit. Quæ similiter ad vestigialium, & hospitiorum conductores non incommode transferuntur, ubi propter bellum, aut alium casum inopinatum vestigialia diminuta, aut hospitia minus frequentata fuerant, per text. in l. 4, § 1, D. De censib. & in d. l. 15, § 4, vers. hoc idem D. Locati cond.

Atque hæc exaudienda sunt, si in unum tantum annum locatio facta fuerit; secus, si in plures annos: nam hac specie si immodicum damnum in uno anno incidit, inspiciendi erunt anni subsequentes, vel præcedentes, utrum ex eorum ubertate sterilitas sive damnum eiusmodi compensari & rescirari possit, text. h. in princ. & in d. l. 15, § 4, & in l. 8, C. De locat. & conduct. Ue hac ratione utriusque, locatoris & conductoris, damno ex æquitate consulatur, arg. l. Bona fides 50, D. De act. empti & vend.

Adde, duobus casibus non fieri remissionem pensionis propter sterilitatem etiam immodicam: primò, si culpâ conductoris sterilitas vel aliud damnum circa fructus emerferit, sive illud in pactum deductum sit, per text. in l. Videmus 11 in pr. cum duab. seqq. L. Locati cond. & c. 2, in pr. sup. De depof. Alter eit, quando damnum non propter exiguitatem fructuum perceptorum, sed ex ipsis fructibus profectum est, ut si, v. g. vinum coacuerit, vel segetes herbis sive ramis corruptæ fuerint, d. l. 15, § 2, Et ratio est, quia hæc non accidunt fortuito casu, quem locator conductori suo præstare tenetur, sed potius culpâ ipsius conductoris, qui debitam diligentiam in curandis vitiis, & agro excolendo non adhibuit. Nam si vi extrinseca, id est, tempestate cæli sive alio fortuito casu hæc contingerent, omninò putarem pensionem conductori remittendam esse, prout antè à me dictum est.

His adiciendum est & illud, quod damnum propriis in rebus coloni ipsius contingens nullam inducat remissionem pensionis, videlicet si oves, vel equi ex agro, vel villa à se conducta à prædonibus abigantur, per text. in l. Damnum 12, C. De locat. & conduct. Idem & in fructibus jam à colono collectis & à solo separatis, etiam si nondum in horreum sunt reconditi: cum enim perceptione & separatione fructus facti sint ipsius coloni, l. Si apes 26, § 1, & ibi Bart. D. De furt. & §. Is verò 36, inst. De rer. divis. utique coloni damno sunt, l. Pignus 9, C. De pig. act. etiam si Paul. Castr. ad d. l. 15, § 2, contrarium dixerit, existimans etiam hoc casu remiss-

remissionem fieri debere, cum eadem hic sub-
ratio, quæ in fructibus adhuc in solo consistenti-
bus, & nondum separatis. Sed non advertit Ca-
sarens collectio fructuum per colonum factâ,
statim eos fieri coloni, & consequenter illi perire,
juxta vulgatam Juris sententiam, Res perit
domino suo. d. l. 9.

9. Ceterum hic quaestio est, An, sicut ob im-
modicam sterilitatem pensio pro rata remittitur;
ita è diverso ob nimiam ubertatem agri pensio au-
geri possit? Quod ex stimant Ant. Gomez Var. ve-
sol. lib. 2. c. 3. num. 18. *vers. quod attende*, quando sci-
licet eiusmodi ubertas ex benignitate sive for-
tuito casu evenerit: suadet enim id æ qualitatis
ratio inter locatorem & conductorem, arg. d. l. o.
D. De act. empti & vend. & l. fin. D. De acceptil. Hinc
colligit Panorm. hic num. 20, si locavi, inquit,
molendinum, ex quo conductor percipere sole-
bat 50. nunc autem, quia alia molendina sunt de-
structa, vel aliâ de causa sublata, recepi 100. fiet
augmentum, inquit, pensionis pro rata. Quam
sententiam licet & alii sequantur, ego probare
non possum, propter expressum text. in d. l. 2. §. 6.
D. Locati cond. ubi Jurisconsultus his verbis re-
spondet: *Via major, &c. non debet conductori damno-
sa esse, si plus, quam tolerabile est, laesi fuerint fructus:
alioquin modicum damnum a quo animo ferre debet colo-
nus, cui immodicum lucrum non auferitur* Et ratio dif-
ferentiæ hæc est, quia non ita favorabilis est eius
causa, qui propter ubertatem nimiam desiderat
sibi pensionem augeri, quam alterius, qui propter
vim tempestatis & calamitatis mercedem sibi
remitti cupit: siquidem prior de lucro captan-
do, hic de damno vitando certat, per text. in l. In eo
33. D. De R. I. Idem probant Salicet. Fulgos. Castr.
& alii relati ab Ario Pinello ad d. l. 2. in prima p. cap.
3. num. 34. C. De res. ind. vend.

10. Sed fortè quis obiecerit, immodicum in d. §. 6.
appellari, quod iustum modum excedit, ut & in l.
Alieno 11. §. 4. *vers. fin. autem certo* D. De fideicom. li-
bert. in l. Circa legem 60. §. fin. D. Ad L. Falc. & in l. Non
dubium 4. §. fin. D. De legat. lib. 3. Sed melius est in
præsenti argumento immodicum accipi pro eo,
quod maximum est, & nimium excedit; idque di-
ctat subiecta materia, quemadmodum etiam rectè
accipit Pinel. d. loco Ad quid enim Jurisconsultus
in d. §. 6. cum ante de modico damno dixisset, non
idem dixit de modico lucro, sed usus est verbo,
immodicum? Deinde id apertius colligitur ex
text. in d. l. 8. C. De locat. & conduct. & in d. l. 15. §. 4.
D. Locati conducti, tum etiam ex hoc textu nostro:

quibus locis ubertatis nulla habetur ratio, nisi eo
casu, quando unius anni nimia sterilitas evenit,
ut tunc fiat compensatio sive suppletio sterilita-
tis cum ubertate præcedentium vel subsequen-
tium annorum. Neque obstat text. in l. 2. C. De
alluvion. ubi propter incrementum agri, quod ex
inundatione Nili accessit, tributa augentur, sicut
è contra propter detrimentum illatum tributa
deminuuntur: quia respondetur, diversam esse
huius rei rationem; nam is textus de augmento
ipsius agri loquitur, cuius respectu maiora tribu-
ta exsolvenda sunt, non verò agit de auctione
fructuum, de qua nostra est dispositio: nam tri-
buta juxta quantitatem terræ penduntur, quod
satis indicant verba d. l. 2. dum inquit, *pro terris,
quas possident, tributorum præstationem agnoscant.*

Atque hæc multò magis obtinent, si operâ &
diligentia coloni in summam ubertatem ager
reductus sit: nam hæc specie pensionem augen-
dam non esse, à nemine, quod sciam, addubitatum
fuit & probat text. in l. fin. C. d. t. De alluvionib. ubi
ratio redditur & in l. fin. C. Depositi.

Quid autem, si fructus tempore messis plurimi
valcant, ager verò vilis conductus sit, propter
vilitatem annonæ, quæ erat tempore conductio-
nis? Et non augendam esse pensionem, docet ex
Bart. hic Butr. num. 2. quemadmodum neque re-
mittendam, si contrâ accidar. Et ratio est, quia
hoc extra rem conductam accidit solo commer-
cio hominum contrahentium, unde in considera-
tionem trahi non debet, arg. l. Si sterilis 21. §. 3. D.
De act. empti vel vend. & d. l. 12. C. De locat. & cond.
Simile evenit in pecunia mutua, vel in pensione
annua, in certa moneta persolvenda, ut eadem
semper solvi debeat, licet æstimatio ipsius aucto-
ritate Principis, vel vulgi facta auctior, vel di-
minutior facta sit, e. Cum Canonici 26. inf. De
censib.

Nunc ad posteriorem partem huius Cap. nostri
transgrediamur, in qua quatuor casus recensentur,
quibus inquilinus ante finitum tempus loca-
tionis potest licitè a domino expelli è domo con-
ducta; qui & Jure civili extant in l. 3. C. De locat.
& conducto.

Primus autem hic est, si dominus domum à se
locatam proprio usui necessariam esse probet,
puta, si domus, quam inhabitabat, corrumpitur, vel
igne consumpta est, vel uxorem duxit, ob quam
amplioribus ædibus opus habet, vel alia necessi-
tas eum urget, text. hic in §. un. & in d. l. 3. Quod
tamen intellige de tali necessitate, quæ post con-
tractum

tractum locationis celebratum inopinatò acci-
dit; nam si illa ante contractum initum accide-
rit, aut si locationis tempore imminebat, ita,
quòd prævideri potuerit ab ipso domino locato-
re, nulla causa erit inquilinum eiiciendi, *probat*
text. nos. in d. §. un. in verbis, quæ tamen non immine-
bat. Utriusque autem decisionis ratio hæc est,
quòd priori specie idè succurratur domino lo-
catori, quòd contrahendo cum inquilino non
censeatur consensisse in casum necessitatis, quæ
fortuitò & præter opinionem suam accidit, *arg.*
l. 5, D. De transact. Altero verò, quòd dominus
suae facilitati imputare debeat, quòd domum
suae sibi necessariam futuram temerè alteri elo-
caverit, *per text. in l. 1, §. fin. cum l. seq. D. Ut in poss. le-*
gat. Unde singulariter notat Panotus *hic num. 6,*
in fine, quòd licet contractus à principio sit vo-
luntarius, & ex post facto necessarius, *l. 5, C. De*
oblig. & act. eundem tamen altero etiam invito
dissolvi posse, propter necessariam causam super-
venientem. Sed cur non idem in emptione, si
videlicet emptor fortuitò impediatur uti re em-
pta? Rationem sup. dixi, *h. c. in princ.*

13 Alter casus est, eiiciendi inquilinum, si domus
refectione indigeat, puta propter vetustatem, vel
alia ex causa, *text. h. in §. un. & in d. l. 3, C. De locat. &*
cond. nam aliter non licet domum reficere vel
demoliri, invito inquilino; alioqui ad interesse
domino tenetur, *l. Qui in sulam 30, in pr. D. Locati*
cond. Et hoc casu idem observandum est, quod in
superiori diximus, ut scilicet ea refectione necessa-
ria sit, & præter opinionem domini locatoris post
contractum evenit, *per h. text. nos. in d. §. un.*

14 Sed hic controversitur, An hæc locum habe-
ant eâ specie, quâ inquilinus pro observatione
contractus eandem domum pignoris sive hypo-
thecæ nomine obligatam habet? Sunt, qui existi-
mant, eo casu conductorem expelli non posse,
propter jus pignoris, quod in re conducta habet.
Si enim conductor potest domum pignori sibi ob-
ligatam à quocumque possessore avocare, *l. Pigno-*
ris 17, D. De pignor. & hypoth. junctâ l. Si cum venditor
66, in pr. D. De evict. & dupl. stip. multò magis eam
retinere poterit, secundum Juris regulam: Cui
damus actionem, eidem exceptionem competere
multò magis quis dixerit, *l. 156, §. 1, D. De R. l. &*
l. 1, §. 4. vers. nam cui damus D. De superficib.

Verùm hæc sententia mihi non probatur, cum
talis hypotheca non ob aliam finem contrahatur
& constituatur, quàm ut locationis contractus
eo sit firmitior. Est autem de natura locationis, ut

possit dominus inquilinum suum ædibus eicere
propter necessitatem, aut refectionem necessa-
riam, ut jam probatum est; ergò etiam eo casu,
quo eadem domus pignoris jure inquilino est ob-
ligata: pignus enim quid accessorium est ad con-
tractum locationis, qui si dissolvatur, necesse est
& ipsum pignus dissolvi, *c. Accessorium 42, De R. l.*
in c. & l. Cum principalis 178, D. eod. tit. Prædicta
verò juris regula, *Cui damus actionem, &c.* tum lo-
cum obtinet, si emptor, donatarius, aut alius
quispiam tertius, qui rem ab ipso domino conse-
cutus est, velit inquilinum ex re conducta expel-
lere, non autem si ipse locator aut eius hæres, qui
in eundem contractum successit; siquidem ad-
versus illum se esse se tueri poterit jure pignoris,
non autem adversus hunc post dissolutum con-
tractum locationis. *Vide Did. Covarr. Var. resol.*
lib. 2, c. 15, num. 4.

Tertius casus est, inquilinum è domo condu-
cta eiiciendi, si in ea male, vel (ut verbo text. no-
stri utar) perversè versatus sit. Quod duobus
modis accedere potest, vel quia damnum intulit
rei locatae, puta in prædio urbano, parietibus, re-
cto, sive fenestris nocendo: in prædio quoque
rustico, vites, arborese incidendo, aut aliud
quid agendo, quo res locata deterior redditur,
arg. text. in l. Si cuius 13, §. fin. D. De usufr. vel quia in
re locata inhonestè versatur, videlicet rem loca-
tam in lupanar, aut in alium turpem usum con-
vertendo. *Bald. ad l. 3, num. 15, C. De locat. & con-*
duct. Nec enim locator rem suam ita elocasse cen-
sendus est, ut vel rei, vel æstimationi suæ condu-
ctor possit nocere, sed potius, ut omnia ex bona
fide & honestate fiant, *l. 4, C. De oblig. & actionib.*
Nam & in emphyteuta, & vasallo receptum est,
ut propter deteriorationem rei uterque ju-
re suo privari possit à domino. *Aub. Qui rem hu-*
jusmodi C. De sacros. Eccles. & tit. 17, §. 5, lib. 2, Feud.

Cæterum hic duplex occurrit quaestio: una,
qualis scilicet deterioratio requiratur, ut condu-
ctor ex re locata expelli possit per locatorem; nec
enim ob quamlibet deteriorationem, præcipuè,
si ea minima sit, conductor expellendus est, *per*
text. in l. Habitatores 27, in pr. D. Locati cond. & in l.
Res bona fide 34, D. De contrah. empt. Altera est, an,
si expellatur inquilinus à domino, teneatur præ-
terea refarcire damnum, & quâ actione?

Quod ad priorem quaestionem attinet, ea tota
pendet ex arbitrio judicis, qui pro rei, & perso-
narum qualitate æstimare debet magnitudinem
damni, ob quam conductor justè eiici possit, jux-
ta com-

ta communem doctrinam Dd. quã dicitur, ea, quã à jure nullo tempore aut modo definita sunt, pendere ex arbitrio iudicis, Menoch. *de arbit.* *jud. casu* 78, num. 7, & confirmat text. in l. 1, §. fin. D. De jure delib. & in c. fin. §. fin. sup. De transact. Cum enim pleraque talia incidunt, quã quia propter varietatem rerum, & personarum certa lege comprehendi non possunt, necessariò in iudicis arbitrium reiiciuntur; sicut fit cum de mœra est quæstio, quando scilicet ea commissa sit; item in examinatione testium, quam fidem faciant, Iudicis est arbitrari, l. Mora 32, in pr. D. De usur. & l. 3, §. 1, D. De testib.

17 Quò verò ad alteram quæstionem, certi juris est, conductorem ob damnum rei locatæ refarciendum conveniri posse duplici actione, vel actione locati, vel actione legis Aquiliæ, l. Qui merces 25, §. 5, l. Qui insulam 30, §. 2, & l. Si vulneraverit 43, D. Locati cond. Actione locati, quæ oritur ex ipso contractu locationis & conductionis, daturque non solum ad petendam mercedem locationis, sed etiam ad refarciendum damnum per conductorem illatum, d. §. 3, cum §. seq. Actione verò legis Aquiliæ, quia ea competit, quotiescumque in re aliqua damnum etiam ex levissima culpa acciderit, per text. in l. In lege 44, & passim D. Ad l. Aquil. Neque in ea habetur ratio, contractus aliquis intervenerit, vel non intervenerit; quia actio legis Aquiliæ ex re, id est, ex maleficio oritur, Inst. De oblig. qua ex delict. nasc. §. 1. Ubi autem unã eorum actû fuit, ad alteram non recurritur, d. l. 25, §. 5, cum §. fin. D. Locati cond. & d. l. 43, nisi in altera plus insit, l. Item quaritur 13, in pr. D. eod. tit. & l. Sed si 47, in pr. cum l. seq. D. Pro socio: nec enim bona fides patitur, ut bis idem exigatur, l. 57, D. De R. I. Quæ certè notanda sunt contra eos, qui rei alicui non à se, sed à alio conductæ, damnum inferunt, quòd nulla ratione se tueri possint propter contractum conductionis non à se initum, sed ab alio: tamen nihilominus ex lege Aquilia ad damnum restituendum compelli possunt.

18 Quartus & ultimus casus est eiiciendi inquilinum, si mercedem locationis non solverit per biennium, text. h. in §. un. & in l. Quarto 54, §. 1. D. Locati cond. Quòd intelligendum est de locatione ad aliquot annos facta: nam si ad unum annum, vel biennium, dubium non est, quin conductor, elapsò anno vel biennio, statim expelli possit è domo conductæ, licet mercedem locationis solverit, & majorem quoque pensionem in futurum

offerat, per text. in l. Ne cui liceat 31, C. De locat. & conduct. & arg. l. 6, C. De rese vend.

Rectè autem Panorm. hic num. 10, huic textum nostram interpretatur de locatione ad longum tempus, id est, decem annorum, ut tunc biennium requiratur, antequam ejici possit inquilinus ob non solutam pensionem: secus enim est, si ad minus tempus locatio contracta sit, nam hæc specie biennium non expectatur, sed statim conductor debito tempore non solvens expelli potest, l. 3, à contrario sensu C. eod. tit. Rationem differentie hæc adfert, quòd priori casu conductor jus in re conductæ habeat, quòd vocamus utile dominium, l. 1, §. 5, & l. 3, D. Si ager vicig. id est, emphyt. per. ac proinde ut minimum biennium exigatur: posteriori verò casu nullum tale jus habes conductor, adeoque ne quidem possessionem rei, l. 1, C. Comm. de usucap. atque idcirco, cum non solvendo peccet contra fidem contractus, justè ex re conductæ à domino expellitur, c. 75, De R. I. in 6, & c. 3, §. fin. sup. De jurejur. Addit tamen hic text. noster §. un. nisi conductor celeri satisfactione sibi providerit, ex quo discimus, moram post biennium purgari posse à conductore, offerendo confestim pensionem debitam vide latius Joan. ab Imola hic n. 10, cum aliquot seqq. Arque hi quatuor casus sunt, quibus potest inquilinus ex domo conductæ expelli à domino. Quibus subiicimus est.

Quintus casus, quo non ab ipso domino, (de quo hætenus egimus) sed ab alio tertio conductor justè eiicitur, videlicet, si eadem res conductæ vendita sit à domino, vel aliter alienata: nam emptor, legatarius, donatarius, usufructuarius, & similis successor singularis, potest jure expellere conductorem rei jam à se empræ, vel aliter adquisitæ, per text. in l. Emptorem 9, C. De loc. & cond. in l. Qui fundum 32, D. eod. & in l. Arbores 59, §. 1, D. De usufr. Dico, singularis successor; nam successor universalis, qualis est hæres, conductorem constitutum à defuncto, cui ipse successit, & quem repræsentat, eiicere non potest, l. Viam 10, C. De soc. & cond. In singulari verò successore hæc ratio est, quòd, cum is rei conductæ dominus factus sit, (intellige per traditionem, vel quasi, ut in usufructuario, l. 4, D. De usufr.) meritò eam vindicare potest ab ipso conductore, l. In rem actio 23, in pr. D. De rei vind. & §. 3, Inst. De act. Conductor enim nullum habet jus reale in re conductæ, sed tantum habet actionem conducti contra locatorem suum; quæ actio, cum personalis sit, contra tertium non competit, l. fin. §. 1.

D. De *contrah. emp.* Quare hoc casu potius ipse conductor contra locatorem ager in id, quod sua interest re conductâ frui, non adversus emptorem, aut alium singularem successorem, cum quo non contraxit. Unde cautè fecerit conductor, si pro securitate contractus rem, quam conducit, vel omnia bona locatoris, pignoris sive hypothecæ jure sibi obliget, vel ad longum tempus, id-

est, decem annos, rem conducat: cum enim his casibus jus in re conductâ constituitur, nullâ ratione expelli poterit conductor, propter retentionem, quam habet, *l. 1, §. 1, cum §. 3, D. De superfic. & l. 1, §. fin. cum l. 3, D. Si ager velig. &c. Adde Bart. ad l. 9, C. De locat. & conduct. Covarr. lib. 2, Var. resol. c. 1, & Ant. Gomez de loc. & cond. num. 9.*

In Cap. ultimum.

SUMMARI A.

1. *Emphyteusis quid*
2. *Emphyteuta dominium utile quatenus vendere possit.*
3. *An & donare possit, vel alio titulo transferre?*
4. *Denuntiatione domino non factâ, vel pensione non solutâ intra biennium vel triennium, res cur cadat in commissum.*
5. *Pœna commissi an ipso jure infigatur?*

Hoc Cap. tractat de Emphyteusi Ecclesiastica, duoque potissimum continet: unum, quod emphyteuta jus suum alteri vendere possit, prius tamen denuntiatio pretio ipsi Ecclesiæ, si fortè ipsa idem pretium numerare & emphyteusim in se recipere velit. Alterum est, quod hujusmodi denuntiatione omissa, vel propter canonis dilationem ultra biennium, emphyteuta jure suo cadat.

Cum autem hæc materia ab aliis latissimè pertractata sit, præcipuè à Jalone ad tit. C. De jure emphyt. & Julio Claro lib. 4. Sentent. §. Emphyteusis, dicam tantùm breviter, quæ ad explicationem hujus Cap. nostri pertinent: illud ante omnia præmittens, quod Emphyteusis nihil aliud sit, quam res immobilis sub canone, id est, annua pensione in perpetuum, vel ad certos heredes sive generationes, concessa, §. 4. Inst. De locat. & conduct. l. 1, §. nm. D. Si ager velig. & Novell. 120, cap. 6. §. 1. Nam in emphyteusi pacta sive conventiones in primis spectantur, l. 1, & l. 2, C. De jure emphyt. quemadmodum & in cæteris contractibus, l. 1, §. 6, De Depos. & l. Contractus 23, D. De R. I. Consequitur autem emphyteuta, rem immobilem in emphyteusim recipiendo, utile ejus dominium, directo penes ipsum dominum remanente, l. Possessores 12, C. De fund. patrim. lib. 11.

1. Hoc itaque dominium utile potest emphyteuta vendere, ita tamen, ut pretium sibi ab emptore oblatum prius domino denuntiet: qui si eodem

pretio se nolle renuntiaverit, vel à denuntiationis tempore duo menses effluxerint, tunc venditor emphyteuta potest emptori jus suum addicere: idque in utraque emphyteuti tam Ecclesiastica quam seculari constitutum est, per text. huic in pr. & in l. 3, C. De jure Emphyt.

Et licet textus noster dumtaxat meminerit venditionis, idem tamen juris est, si donationis, vel alio titulo emphyteuta jus suum in alium velit transferre, quod aperte constat ex d. l. 3. vers. & ne avaritia, in verbis, vel astimationis loci & ibi Gl. & ex §. 4, Inst. De locat. & conduct. tamen si Franc. Sarmientus lib. 2. Select. Interp. c. 2, contra disputet, existimans solum venditionis contractum permissum esse emphyteuta, non autem donationis, in quo pugnat cum jam allegatis juribus. Itaque in donatione, alioque contractu, quam venditionis, astimatio iuris emphyteutici inicitur, & denuntiat domino; quam & præstare tenetur dominus, si malit in se recipere emphyteusim. Interim tamen, si nolit dominus, sed consentiat, ut alienetur, vel ipse post denuntiationem factam patiatur duos menses elabi, tenebitur novus emphyteuta, in quem emphyteusis translata est, inferre domino quinquagesimam partem pretii constituti sive astimationis, d. vers. & ne avaritia. Et hanc 50. partem vulgò appellamus laudemium. Julius Clar. d. §. Emphyteusis q. 23.

Prædicta autem denuntiatio ad eò necessaria est, ut, si ea omissa, vel etiam facta, sed ante lapsum duorum mensium res alienata fuerit, ipsa in commissum incidat, hoc est, emphyteuta omni suo jure privetur, text. hic in §. un. & in d. l. 3. Idem obrinet, si intra biennium constitutam pensionem, quam canonem vocamus, non solverit, per hunc text. nostr. quod tamen in emphyteusi Ecclesiastica singulare est: nam in seculari triennium observatur, priusquam emphyteuta ob non solum canonem possit expelli, l. 2, C. De

jura

jure emphyt. Utriusque ratio in eo consistit, quòd emphyteuta non denunciando pretium, aut non solvendo canonem, videatur dominum directum contemnere; atque idcirco rectè puniatur in privatione juris sui, *arg. tit. 2. 4. vers. denique lib. 2. Feud.* Ut hinc pulchrè inferant Doctores, quòd, si emphyteuta rem magni valoris pro pensione minima in emphyteusi possidens cesserit prædicto tempore in solutione pensionis, res nihilominus in caduci causam veniat, & pleno jure ad directum dominum revertatur. Jul. Clar. d. 5. *Emphyteusis, q. 8. vers. sed pone, Bald. ad Auth. Fraterea n. 3. C. De sacros. Eccles.*

Atque hæc pœna statim ipso jure infligitur, etiam nullâ præmissâ monitione, cum dies inter-

pellat pro ipso domino, *text. hic & in d. l. 2. C. De jure emphyt.* Addit tamen hic textus noster. *nisi ceteri satisfactione postmodum sibi consulere studuissent:* cujus hic sensus, quòd post elapsum biennium possit emphyteuta purgare moram suam, statim offerendo canonem nondum solutum; idque in emphyteusi Ecclesiastica constitutissimum est, *per text. nostr.* Non autem idem concedendum est in emphyteusi sæculari, in qua non est admittenda illa purgatio moræ, propterea quòd in ea biennium, sed triennium præstitutum sit, antequam ob non solutum canonem possit emphyteuta expelli; atque sic longius tempus in emphyteusi sæculari loco purgationis moræ statutandum non est.

IN TIT. XIX. DE RERUM PERMUTATIONE.

SUMMARI A.

1. Permutatio quid, & quarum rerum.
2. Res sacra & spirituales quatenus permutari possint.

Inter contractus innominatos principem locum tenet permutatio, quâ una res datur pro alia qualicumque. Nam permutationem non contrahi tantum, cum species pro specie datur, sed & cum species pro genere, vel genus pro genere, vel quantitas pro quantitate, veluti decem modii frumenti pro decem doliis vini, adversus Bartolum obtinuit. Estque species alienationis: unde quemadmodum res Ecclesiasticæ, sive immobiles fiat, sive mobiles, quæ servari possunt, regulariter alienari prohibentur, ita & permutari; saltem non nisi ex justa & legitima causa, debitisque solemnitatibus adhibitis, *c. 1. 2. 3. & 4. h. tit. & dictum est sup. De reb. Eccles. alien. vel non.*

3. Quæ situm fuit de rebus sacris & spiritualibus,

uti sunt beneficia Ecclesiastica, jus patronatus, jus decimarum & c. an aliquo casu permutari possint. Et certum est, promiscuam harum rerum permutationem fieri non posse, sed talem, per quam res sacrae aut spirituales cum aliis rebus sacris aut spiritualibus commutentur, ita ut functionem & conditionem suam retineant, & possessorem tantum mutant, idque ex peculiari Canonum permissione ac præscripto. Ita due Monasteria, quæ singula sibi parochias annexas habeant, possunt eas inter se permutare; licet etiam altera ratione possessionum alteri præponderet, in cuius rei recompensationem potest alteri eo nomine refundi certa pecuniæ quantitas, *s. Ad questiones 6. h. tit.* quia pecunia illa non habet rationem pretii respectus rei spiritualis, id est non numeratur pro re spirituali, scilicet pro Ecclesia, sed pro fructuoribus prædiis sive possessionibus. An verò Clerici beneficia sua inter se permutare possint, & qualiter, vide C. Canif. in Summa lib. 111. tit. xiiii. V. A.

IN TIT. XX. DE FEVDIS.

SUMMARI A.

1. Feudum quid?
2. Feudum quatenus sit beneficium.
3. Feudum etiam pecuniâ acquiri potest.

4. Consistere debet in re immobili, & qua vice rei immobilis est.
5. Cur non in re mobili.
6. Nonne usufructus in descriptione feudi venit dominium utile.

Z 2

7. Hæc.

7. *Hereditum appellatione in materia feudi non continentur famina.*
8. *Famina in feudiis cur non succedant.*
9. *Quando ad successorem feudi admittantur.*
10. *Quid si famina ab initio investita filius ex se reliquerit?*
11. *Quid si reliquerit masculos & feminas?*
12. *Famina semel exclusa per masculum an conceatur perpetuo exclusa?*
13. *Feudum regulariter perpetuum esse debet.*
14. *Finalis eius causa est prestatio fidei & debitorum servitiorum.*

Hic Tit. duobus Capitulis constat: uno con-
nectur casus singularis, quo non tenetur
creditor fructus feudi pignori sibi obliga-
ri imputare in sortem, *contra text. in l. 1, §. 1, C. De pign. ad & in c. 5, inf. De pignorib.* Altero agi-
tur de alienatione feudi, quatenus ea permessa
est Prelato Ecclesie. Utrumque separatim ex-
plicabimus; si tamen prius quaedam præmiseri-
mus, quæ ad plenioris & exactioris rei cog-
nitionem pertinent.

Iraque à definitione feudi ordiamur, quam his
verbis tradit *text. in tit. 2, lib. 2, Feud.* Feudum
est beneficium, quod ex benevolentia ita datur
alicui, ut proprietates quidem rei immobilis bene-
ficiatæ penes dantem remaneat, usus fructus verò
illius rei ita ad accipientem transeat, ut ad eum
heredesque suos masculos sive feminas (si de his
nominatim dictum sit) in perpetuum pertineat,
ad hoc, ut ille & sui heredes fideliter domino
serviant, sive servitium illud nominatim, quale
esse debeat, sit expressum, sive indeterminatè sit
promissum. Hæc definitio sive descriptio pleris-
que nimis proluxa videtur, ac proinde novam
eamque brevioris conscribunt. Nos tamen à
prædicta descriptione textus non discedamus,
etiam totam feudi naturam, ut communiter con-
cedi solet, nobis ab oculos ponat: quam, ut re-
ctius assequamur, necesse est singulas descriptio-
nis partes explicemus.

Igitur loco generis est, *beneficium*, quod nihil
aliud est, Seneca auctore, quam benevola actio
tribuens gaudium capientibus, *tradit idem text. in
d. tit. 2, 3.* Quo fit, ut rectè è numero feudorum
explodatur pignus, quod eo pacto creditori da-
tum est, ut, nisi pecunia constitutâ die solva-
tur creditori, cedat loco feudi; cum hoc casu non
amore aut benevolentia, sed necessitate quadam
constituatur feudum, contra naturam sui gene-

ris, quod est beneficium, *text. est in tit. 27, lib. 1, Feud.* Neque tamen hanc benevolentiam ita stric-
tè interpretamur, ut ea debeat esse merè &
omniò gratuita; sed sufficit eam habere aliquam
rationem beneficii, ita ut ex benevolenti animo
profecta accipientem gaudio perfundat, sicut
habet definitio beneficii jam allata; & eleganter
probat *text. in l. 3, D. De obsequ. parentib. & patr. prest.*
Unde absurdum non est, si quandoque feu-
dum pecuniâ aut aliâ re quâpiam adquiratur, *ut in
tit. 7, 20. & 24, lib. 1, Feud. in c. 15, lib. 2, Feud.* Ad-
deò, ut nihil interfit, pretium, quod pro feudo
datur, eius æstimationem adæquet, aut etiam ex-
superet & excedat; dum tamen id fiat benevolè
& cum gaudio recipientis; si quidem contractus
potissimum ex mente contrahentium metimur, *l.
Semper D. De R. l. §. 1, C. De contrab. emp. &
vend.*

Secundo loco positum est in descriptione feu-
di, *proprietates rei immobilis*; quia feudum non nisi
in re immobili potest consistere: ea enim sola ad
hæredes utiliter & in perpetuum transit. Nomi-
ne autem rei immobilis non solum venit, quæ
proprie immobilis est, veluti prædium, tam ur-
banum quam rusticum, verum etiam quæ vice rei
immobilis fungitur, sicut cum de camera, id est
ætarario, vel de caverna, id est, cella vinaria feudum
conceditur, *tit. 1 lib. 2, Feud.* Idem est de annuo
reditu; nam & hic inter immobilia censetur, *c. 1, §. 9. De verb. sig. in Clem. & in Nov. 7, in princ. §. 1.* Im-
mobilia loco sunt iurisdictio, Regnum,
Ducatus, Comitatus, aliaque similia, quæ & in
feudum rectè dantur, *c. Si diligenti 17, sup. De præ-
scrip. c. 2, §. 6, De sent. & re jud. in Clem. tit. 14, lib. 1,
Feud. & tit. 10, lib. 2, Feud.*

Quare rei immobilis nullum feudum contra-
hi potest, eò quòd eius usus consumptio sit &
nullam perpetuam causam habeat; ita ut cum uti-
litate ad hæredes transmitti possit. Neque mo-
vet, quòd cautio Senatusconsulti in rebus mobi-
libus, quæ usu consumuntur, quâsi usum fructum
constituat, *§. 3, Inst. De usufr. & toto tit. D. De usufr.
earum rer. quæ usu consumuntur.* quia hæc cautio tan-
tùm locum habet in usufructu, qui naturâ suâ
perpetuus non est, sed cum persona usufructuarii
extinguitur, *§. 4, Inst. d. r.* Feudum verò in perpetuum
in hæredes transfunditur, sicut constat ex
descriptione feudi supra allatâ.

Subsequitur in descriptione feudi, *usum fructum*
verò illius. Per usum fructum intellige utile domi-
niû, prout rectè interpretatur Bald. in prælu. feud.
num.

num. 27. quia ex omni perpetuo contractu utile dominium acquiritur, quo datur in rem actio, l. 1. §. un. D. Si ager vestig. id est, emphyt. per C. l. 1. §. 3. D. De superfic. Si enim proprius usufructus intelligeretur, feudum neque in heredes transitorium esset, neque in perpetuum. Usus est autem, eo descriptionis feudi Auctor, quod aliud nomen commodius non occurreret, forte nondum inventa distinctione directi & utilis domini, quam postea doctrinae causa excogitarunt Interpretes. Itaque proprietatis nomine designatur dominium directum, usufructus vero utile dominium.

7 Quarto subiungitur in eadem descriptione, ut ad eum heredesque suos masculos sive feminas, &c. Quibus verbis aperte insinuat, in materia feudali heredum appellatione non contineri feminas, probat etiam textus in tit. 13. lib. 1. tit. 34. §. 2. vers. profecto lib. 2. Feud. Secus accidit in bonis allodialibus, id est, non feudalibus, in quibus feminæ simul & æquo jure cum masculis succedunt, l. Inter 11. C. Fam. eris. l. 4. C. De lib. prater vel exhered. C. No. vel 1. 8. e. 4. † In feudis idcirco aliter receptum est, ut feminæ non æquæ, ut mares, debita servitia dominis exhibere possint, l. 36. lib. 2. Feud. nam neque arma tractare, neque ob pudorem feminæ publico carui possunt interesse, l. 2. §. 1. C. De his, qui rem stat. imper. neque etiam dominis consilium constans & solidum subministrare, aut secretum ejus continere, l. 4. C. De sponsalib. Bald. ad l. 2. num. 7. C. De ius. & legit. lib. Quæ abhorrent à propria & vera natura feudi, sicut constat ex fidelitatis sacramento, quod præstant vasalli dominis suis, tit. 5. cum tit. 6. C. 7. lib. 2. Feud. Quæ mirum non est, si à successione feudi rejiciantur feminæ: siquidem beneficium, quale est feudum, datur propter officium, tit. 21. lib. 2. Feud. † Nisi (ut in descriptione additur) nominatim de feminis dictum sit: nam hæc specie in successione feudi admittuntur feminæ, ut probat text. in tit. 6. §. 1. C. in tit. 8. §. 2. lib. 1. Feud. Cùm enim quilibet rei suæ moderator & arbiter sit, l. 21. C. Mandati, potest is, quam vult, rei suæ legem imponere, l. 1. D. De solut. l. Legem. C. De pact. C. l. In traditionibus 48. D. eod. Sibi que imputet dominus, quod temerè mulierem in beneficium feudi admisit, arg. §. fin. Inst. De societ. C. l. Cùm mandatu 23. D. De minorib. Quod tamen cum hoc temperamento exaudiendum est, ut tunc succedant feminæ, cum nullus extat masculus ex primo investito, d. §. 1. C. d. §. 2. tit. 6. C. 8. lib. 1. tit. 11. C. tit. 17. lib. 2. Feud. nam semper mares præferendos esse feminis, dicitur ipsius

feudi natura propria, & præsumpta domini intentio, qui in dubio potius censetur masculos prætulisse feminis: quippe cùm per masculos ipsi melius, & securius sit consultum, ex ratione supra allata. Dixi, in dubio; si enim expressè contaret, dominum voluisse æquo jure feminas unà cum masculis succedere in feudum, omnes pariter & æqualiter succederent; cùm hæc specie cesseret præsumpta intentio domini, & sibi imputer, quod & feminas in successione feudi sibi adsciverit; habebitque locum hæc juris regula, Quod quis ex culpa sua damnum sentit, non intelligitur damnum sentire, l. 203. D. De De R. l.

Sed quid, si femina à principio fuerit investita, 10 atque filias ex se reliquerit? Et dubium non est, hæc matri succedere in feudum, per text. in tit. 30. lib. 1. de Feud. cùm feudum in principio hæc succedendi qualitate sit affectum, arg. l. Qui quatuor. C. §. 5. D. De leg. C. fideicom. lib. 3.

Quod si verò mater masculos & feminas simul 11 reliquerit, idem ordo servabitur, qui superiori casu, hoc est, ut feminæ, non nisi deficientibus masculis, admittantur in feudum, d. tit. 30. lib. 2. Feud. Ut hæc ratione quàm minimum à propria natura feudi recedatur, quæ hæc est, ut antè dixi, ut ad masculos potius, quàm ad feminas feudum transmittatur, tit. 3. §. 3. lib. 1. Feud.

Cæterum hæc quæstionis est, An femina semel 12 exclusa per masculum, perpetuò censetur exclusa; ut, v. g. feudum concessum est vasallo pro se & descendens, masculis & feminis: accidit, quod vasallus decedens reliquerit ex se filium, & filiam. Filio mortuo sine liberis, filia cupit admitti in successione feudi; quæritur, an audienda sit? Quod putat Soneb. multis alijatis argumentis, in comment. suo ad Jus Feud. p. 9. num. 128. cum aliquot seq. quæ, cùm parum urgeant, non lubet hæc repetere. Præcipuè verò allegat text. in tit. 14. lib. 1. Feud. ubi ex sententia Soneb. feudum concessum pro masculis & feminis descendens æquiparatur novo feudo, dato duobus fratribus, eà lege, ut sibi invicem succedant: at verò eo in textu frater fratri defuncto succedit propter adjectum pactum; ergò similiter femina fratri suo defuncto. Verum si rectius mens d. tit. inspicatur, alia ejus sententia erit: tantummodò æquiparatio in eo vertitur, quod, sicut frater ex pacto succedit fratri in feudo novo, aliàs cessante pacto non succedens, tit. 12. lib. 1. Feud. Ita quoque soror succedat ex pacto, deficiente fratre. Adducit etiam text. in tit. 11. C. 17. lib. 2. Feud. item in tit. 8. §. 2. lib. 1. Feud.

Sed ex his textibus non nisi argumentum ducitur a contrario sensu, quod etsi alias validum & receptum sit à jure, *per text in l. 1. in pr. D. De off. ejus cui mand. est jurisd. & in c. 7. §. fin. sup. De his, qua fiunt à prel. sine consens. Cap.* tamen non procedit, ubi contra sensum contrarium extat expressum jus, quo diversum statuitur, sicut latè tradit Nicol. Everard. in *Loco à contrario sensu*. Siquidem absurdum est, per contrarium sensum, qui tacite elicitur, derogari juri expresso: at expressè constat feminas semel per masculum exclusas, perpetuò exclusas intelligi, *per text in tit. 6. §. 1. lib. 1. Feud.* quo loco his verbis inquit: *Quin etiam, si quis eo tenore feudum acceperit, ut ejus descendentes masculi & femina illud habere possint, relicto masculino, ulterius femina non admittuntur;* ubi verbum (ulterius) includit etiam tempus post mortem masculi, per quem exclusa fuit femina. Ita quòd obitus masculi nihil patrocinetur feminae, ex mente Baldi, Iser. & Baronis Schenck, *ibi id* quibus & communis Dd. sententia suffragatur apud Curt. Jun. *in tract. feud. in prima parte tertia part. princ. num. 32.* Et ratio est, quia semel extinctum est jus ipsius feminae per existentiam masculi, unde hujus morte non reviviscit, *argum. l. 17. §. 7. D. Ad Senat. Trebell. & l. 2. C. De posth. hered. instit.*

¹³ Quod autem additum est in descriptione feudi, quòd illud ad vasallum, heredesque ejus, in perpetuum pertineat, id regulariter verum est: nam quaedam sunt feuda, quae non perpetuò, sed ad tempus constituuntur, vel quia eorum talis natura est, vel ita conventum est inter dominum & vasallum. Natura, veluti est feudum gattaldia, quod scilicet alicui ratione administrationis bonorum, & feudum guardia, quod arcis vel terri-

torii tuendi causa conceditur: item, quod loco mercedis datur pro praestanda opera; haec enim feuda anno elapso revocari possunt à domino, quia haec natura inest his feudis, *per text in tit. 1. lib. 1. Feud.* Conventio dubium non est, ad certum tempus dari posse feudum, cum pacta adposita legem dent contractui, & servanda sint, *l. 1. §. 6. D. Depos. l. Contractus 23. & l. Semper 34. D. De R. l.*

Ultima descriptionis verba haec sunt: *ad hoc, ut ille, & sui heredes fideliter domino serviant.* In quibus verbis feudi finalis causa continetur & explicatur: nam in eum finem feudum conceditur, ut fidem & obsequium, quasi compensationis vice, domino retribuat, idque facturum jurisjurandi religione (quod vocamus juramentum fidelitatis) sic obstringat: illud enim praecise cogitur subire vasallus, & fideliter exequi, *tit. 3. §. un. lib. 2. junctio tit. 21. lib. 1. Feud.* Obsequium autem illud quandoque simpliciter sive indeterminatè promittitur; & tunc tenetur vasallus domino suo praestare consilium, auxilium, ceteraque, quae continentur in *tit. 5. cum 6. & 7. lib. 2. Feud.* Quandoque verò certum & determinatum obsequium promittitur; quo casu ad alia obsequia non obligatur vasallus, sicut constat ex descriptione feudi, & latius comprobatur Baro Schenck *ad tit. 23. lib. 2. Feud.* Ubi etiam eleganter tradit, feudum simpliciter concessum intelligi, secundum receptam loci consuetudinem, aut eà cessante, secundum regulas communes placitorum feudalium, *per text in tit. 2. §. 2. lib. 2. Feud.* Facit *text. opt. in l. D. De evict. & in l. 3. D. De reb. cred. si cert. per.* His igitur praemissis adgrediamur explicationem *Cap. nostri 1. hujus tit. nostri.*

In Cap. primum.

SUMMARIA.

1. Fructus ex feudo pignori obligato an imputentur in sortem.
2. Creditor fructus pignoris imputat in sortem.
3. Nisi aliud pactioe antichresios convenorit.
4. Qua tamen conventio prohibita est jure Canonico.
5. Fructus feudi oppignorati cur non imputentur in sortem.
6. Vasallus an invito domino resutare feudum possit?

¹² **F**Acti species haec praepositur. Episcopus Mariensis dederat mutuò Mavio certam pecu-

niam quantitatem, recepto in pignus feudo, quod idem Mavio ab Ecclesia Mariensi detinebat. Quaesitum fuit, utrum fructus ejusdem feudi teneatur Episcopus Mariensis in sortem imputare, hoc est, in extenuationem pecuniae mutuò acceptae? De qua re consultus S. Pont. rescribit *hoc c. nostro*, quod non teneatur imputare in sortem, ut tamen interim Mavio, donec mutuum refundat, immunitas sit à praestatione servitii feudalis. Haec tenet facti species.

Dubitationis ratio non minima suberat: nam expressi juris est, quòd creditor pignus accipiens

coga-

cogatur fructus ejusdem in diminutionem sortis referre, non tantum perceptos, sed & quos percipere poterit, *text. est in l. 2. & in l. fin. C. De pig. act. & in c. 6. inf. De pignorib.*

Verum quidem est, ubi in pactionem deducti sunt fructus pignoris, quod si scilicet hi, donec pecunia solvatur, cedant lucro creditoris loco usurarum, valere hanc conventionem de jure civili, quam vocamus *ἀντιχρησίων*, id est, contrarium usum, quia pro usu pecuniae recipit creditor e contra usum pignoris *per text. in l. Si us qui 11. §. 1. D. De pig. & hypoth. in l. Si pecuniam 3. D. De pig. act. & in l. Si ea lege 17. C. De usur.* † Sed id de jure Canonico minimè permittitur, eò quòd hæc conventio sit usuraria, ac proinde prohibita etiam de jure divino. *c. 1. in pr. & c. 2. junct. c. 4. inf. De usur. & ad d. c. 1. notant Panorm. & Aug. Berojus, item Costal. ad d. l. 33. & confirmat can. 1. cum seq. xiv. quaest. 3. Si fœneraveris homini inquit *text. in c. 1.* id est, mutua tuam pecuniam dederis, à quo aliquid plus, quàm dedisti, expectes accipere, non pecuniam solam, sed aliquid plus, quàm dedisti, sive illud triticum sit, sive vinum, sive oleum, sive quodlibet aliud, si plus, quàm dedisti expectes accipere, fœnerator es, & in hoc improbandus, non laudandus, *ita text. in d. c. 1.**

Quare etsi Episcopus Mariensis hoc textu nostro pactus fuisset, ut fructus feudi in pignus accepti cederent lucro Ecclesiae, donec mutuum restitueretur, non tamen idcirco videbatur eos lucrari posse, *propter text. jam alleg.*

Nihilominus, us non obstantibus, contrarium rescriptum est hoc textu nostro, quòd videlicet idem Episcopus licet percipiat & retineat fructus feudi pignori obligati. Idem extat *in c. Conquestus 8. inf. De usur.* In cujus reddenda ratione variè laborant Interpretes. Glossa *hic in V. immuni*, hæc rationem tradit, quòd illud receptum sit in favorem Ecclesiae, ut eò citius feudum ad Ecclesiam redeat, quasi aliud in laico sit observandum. Sed commentum hoc Glossæ rectè rejicit Panorm. *hic num. 5.* si enim semel legitime concessum est feudum, non debet ideo committi usura, ut Ecclesia eò citius recuperet feudum: cum ne quidem pro alterius vita conservanda sit exercenda usura, *d. c. 4. inf. De usur.* Et certè propter scandalum, hoc genus usurarum magis interdicitum est Clericis, quàm laicis, *c. 2. inf. De usur. junct. can. Fraternalitas 11. xli. quaest. 2.* Alias rationes vide *hic* apud Panorm. & Joan. ab Imola. Ceterum verior ratio est, quam ex Hostiensis tradit

idem Panorm. quòd scilicet id accidat propter naturam ipsius feudi, cujus directum dominium manet penes ipsam Ecclesiam: unde, si utile recurret ad Ecclesiam ex voluntate vasalli, consolidatur quodammodo utile dominium cum directo. Ut in ipsa Ecclesia non tam dicatur percipere fructus ex re aliena, quàm ex propria, cum ipse vasallus interim liberetur ab obligatione, quàm Ecclesia tenetur. Quam rationem sequi & probare videtur Panorm. & Imola *hic*, ita ut non tantum ea militet in feudo ab Ecclesia concessio, verum etiam à laico. Non me latet, Did. Covarr. magni iudicii virum aliam hujus rei rationem tradere *lib. 3. Var. resol. c. 1. num. 4.* sed quæ rem nimis restringat. Existimat enim is, ex sententia Imolæ & aliorum, idcirco fructus feudi cedere ipsi domino, & non aliter, quàm cum onus sive servitium, quod interim à domino remittitur, æquipollet fructibus, vel quatenus cum illis concurrat; aliàs fructus domino non cedere, absque labe usuræ. Quæ ratio in se verissima est, sed nimium, ut dixi, rem restringit. Etenim opinor, etiam si fructus onus servitii excesserint, non ideo tamen magis teneri dominum ad restitutionem excessus, vel ut eum in sortem imputet. Cum enim interim, donec mutuum refundat vasallus, non obligetur ad ullum servitium feudale, cujus causâ feudum accepit, non video, cur non, remittente domino servitium vasallo, rursus e contra dominus feudum licetè possideat, & simul lucratur ejus fructus, eò cessante causa cessare debeat effectus, *cap. 60. sup. De appellat. Andr. Tiraq. in tract. Cessante caus. num. 198.* Quamvis non negaverim Covar. rationem magis securam esse: verum Hostiensis ratio magis convenit textui, qui simpliciter loquitur, nullâ comparationis sive compensationis fructuum cum onere servitii mentione factâ. Interim meminisse oportet, quòd, si feudum curâ & industria vasalli fructuosius redditum sit, quàm fuerat tempore investituræ primæ, hoc casu fructus non integri cedant domino, sed revocentur ad quantitatem ejus temporis, quo primum concessum est, ut sic superflui fructus ipsi vasallo reserventur; hoc enim suadet æqualitatis ratio.

Occasione textus nostri, quo vasallo permittitur feudum in pignus concedere ipsi domino, controversant hic Doctores, An vasallus invito domino, refutare possit feudum suum? Quod negat *hic* Panorm. *arg. text. in l. Imperator 70. §. 1. D. De legat. 2. & in l. 5. C. De oblig. & act.* ubi, quæ semel

pla.

placuerunt, non licet amplius retractare, invito altero Facit & juris regula: Quod semel placuit, amplius displicere non potest, c. 21, De R. I. in 6. Contra tamen communiter obtinuit, quod possit invito; idque aperte probat textus tit. 38, lib. 2, Feud. quo loco expressè inquit textus his verbis: Quia vasallus etiam sine domini voluntate rectè feudum refutare potest; post refutationem tamen ad servendum non tenetur. Arque hanc sententiam communiter à Doctoribus receptam esse testatur idem Panorm. ad c. 7, num. 19, sup. De constit. tum Curtius Jun. fatetur hanc esse communem conclus. in tract. feudal. in 4, parte princ. num. 135. Quæ certè hac ratione nititur, quod scilicet feudum præcipue in favorem ipsius vasalli concedatur, cum sit beneficium tribuens gaudium capienti, tit. 2, lib. 2, Feud. igitur vasallus huic favori suo liberè renuntiare potest, c. Ad Apostolicam 16, inf. De regularib. & l. Siquis in conscribendo 29, C. De pactis. Quod tamen ita exaudiendum est, nisi feudi refutatio sive renuntiatio sit intempestiva domino, ut si v. g. renuntiet vasallus eo tempore, quo necessaria est domino opera ipsius, arg. text. in l. Sed & socius 17, §. fin. & in l. Actione 65, §. 3, D. Pro socio. Ita ex omnium sententia tradit Felin. ad d. c. 7, De constit. num. 77. Ubi & sub num. 78. adfert aliam limitationem, quod videlicet refutatio feudi nec eo casu fieri possit, ubi feudum est conditionatum, ut loquatur, hoc est, ad certum servitium adstrictum: aliter verò, si simpliciter sive generaliter sit promissum servitium, quâ specie tantum putat refutationi locum esse, Glos. ad tit. 51, lib. 2, Feud. quam & communiter approbatam testatur ex aliis Julius Clar. in §. Feudum quæst. 34, num. 1,

Et adducitur hæc ratio, quod dominus, ubi certum servitium promissum est, sit in quasi possessione, quâ invito privari non debet: non idem est, ubi simpliciter promissum est servitium, eò quod incerti servitii, priusquam certificetur, nulla sit obligatio, l. Vbi autem 75, D. De verb. oblig. Verum hanc distinctionem meritò rejicit Franc. Somb. in Comm. ad V. Jus Feud. p. 12, num. 115, & segg. & Baro Schenck, ad d. tit. 38, lib. 2, Feud. uterque securus Zafium; hac ratione, quod fundamenta Doctorum nihil magis stringant circa certa servitia, quàm incerta: cum generis obligatio non nisi in specie solvi possit, l. Cui incertus 13, D. De legat. 1, Et cum textus in d. tit. 38, indistinctè loquatur, omninò puto eum indistinctè quoque exaudiendum esse, arg. text. in l. 8, D. De public. in rem. us. Neque movent jura in contrarium supra allata per Panorm. nam regulariter quidem verum est, Quod semel placuit, amplius displicere non potest: sed fallit, ubi ex natura contractus pœnitentiæ locus est, veluti in contractibus innoominatis, l. Si pecuniam 5, in pr. D. De condic. caus. dat. item in deposito, mandato, & societate, l. 1, §. 2, D. Depos. §. 12, Inst. De mand. & §. 5, Inst. De societ. Illud verò nullam difficultatem habet, quod vasallus feudum suum refutare possit proximo adgnato, qui & ex primo investito descendit, etiam sine consensu domini, per text. in tit. 39, lib. 2, Feud. & ibid. tradunt And. de Isernia & Baro Schenck. Quod haud dubiè obtinet & in refutatione patris facta filio suo: si enim adgnatus adgnato refutare potest feudum, multò magis pater filio vel nepoti. Ita eleganter Franc. Sombec. d. loco num. 118.

In Cap. Ex parte 2.

SUMMARI A.

1. Prelatus Feudum ad Ecclesiam reversum, non obstante juramento de novo feudo non constituendo, potest alteri concedere.
2. Ecclesiasticæ personis quatenus feudum concedere liceat.
3. An promissum id liceat?
4. Licet, si utilitas postulet.
5. Feudum commissum ob alienationem vasalli an possit concedi ejusdem filio, &c.
6. Alienationis nomine quid veniat.
7. Testamento vel aliâ ultimâ voluntate feudum alienari nonquit.
8. Neque aliâ specie alienationis inter vivos.
9. Alienatio facta intelligitur, secutâ traditione reali.
10. Domino consentiente alienatio rectè fit.
11. Non etiam in præjudicium adgnatorum.
12. Transactio super feudo permittitur vasallo.
13. Vasallus evictio feudo quatenus habeat regressum adversus dominum.
14. Diviso quoque feudi vasallo permittitur.
15. Dos an rectè in feudum concedatur.
16. Servitus prædictio feudali imponi potest.
17. Subfeudatio feudi qualiter rectè fiat.
18. An tunc requiratur consensus adgnatorum primi investiti.

19. Feudum illicitè alienatum aperitur domino.
 20. Nisi vassallus ignorans alienaverit.
 21. Quid si vassallus ecclesiasticus alienet feudum, vel ex alia causa delinquat?
 22. Quid si ex causa ingratiitudinis vel feloniam committatur feudum?
 23. Ecclesia an possit feudum alienatum & recuperatum difficile alteri, qui illud recuperet, cedere?

TRes quæstiones hoc Cap. proponuntur & deciduntur: quarum prima hæc est, Utrum feudum ad Ecclesiam revolutum, puta ob mortem ultimi vassalli, possit Prælati ejusdem Ecclesiæ, Rom Pontifici inconsulto, alteri concedere, salvo juramento suo, quo se obstrinxit, de novo feudo non constituendo? Altera est, Utrum feudum Ecclesiæ, quod propter alienationem vassallia commissa cecidit, possit à Prælato Ecclesiæ concessum ejusdem vassalli filio vel consanguineo, vel ipsius consorti, id est, socio ejusdem feudi? Tertia quæstio est, An feudum Ecclesiæ à vassallo alienatum, ita quòd recuperari sit difficile, possit alteri laico concedi, qui illud recuperet, & in feudum ab Ecclesia recognoscatur? Ad singulas quæstiones affirmativè responderetur, quòd scilicet licite possit. Sed earum rationes inquiramus.

Quod igitur ad primam quæstionem attinet, hujus ratio hæc est, quòd juramentum strictam interpretationem recipiat, hoc est, ad ea tantum pertineat, de quibus est actum, c. 35. penult sup. De jurejur. At verò juratum solum est de non constituendo novo feudo in rebus Ecclesiasticis; non igitur porrigi debet juramentum ad antiquum feudum. Sed etsi novi feudi nulla fuisset mentio facta, nihil tamen magis contineretur juramento concessio antiqui feudi, ex sententia Panorm. h. n. 3, Idque hanc rationem habet, quòd scilicet talis concessio non videatur nova constitutio feudi, ex quo res semel feudi naturam induit.

Cæterum hic dispiciendum est, an id Prælato promiscuè permittitur sit, ut feudum ad Ecclesiam revertisse possit alteri rursus liberè dare in feudum? Et quidem jure Feudorum omninò interdictum est Ecclesiasticis personis jus concedendi feudum novum, tit. 1. in pr. & tit. 6. in pr. lib. 1. Feud. que modo modum & jure Decretalium, c. un. De reb. Eccles. non al. in Extravag. com. Quod tamen jus feudorum ita interpretatur, nisi ex more antiquo hæc facultatem infeudandi sic acqui-

sierint Ecclesiastici, videlicet ante Urbani II. Constitutionem: hic enim in Synodo Placentina, cum prius constituisset, ne ulla fieret ordinatio Clericorum absque titulo, id est, rebus, unde se aleret ordinatus, can. 2. in pr. dist. 70, vetuit quoque, ne Episcopi, alique Ecclesiastici eadem res in feudum darent, nisi id antiquus usurpassent, d. tit. 6. in pr. d. tit. 1. in pr. & ibi Jac. Cujac. Loquitur itaque Urbanus, sive textus feudalis, locis alleg. de personis Ecclesiasticis, quæ infeudandi jus habent, & non habent, de rebus etiam numquam in feudum concessis; textus verò Cap. nostri agit de rebus antea in feudum datis, quæ, si decedente vassallo ad Ecclesiam redierint, possint rursus à Prælato ejusdem Ecclesiæ alteri in feudum concedi; nihilominus receptum est & jure feudorum, ut in tit. 35. lib. 2. videre est.

Sed an promiscuè? Minimè; sed ita demùm, si expedire videatur Prælato per hunc text. nost. vers. in primo ergo casu, in verbis si videris expedire, scilicet Ecclesiæ Nam cum ad Prælatum sola Ecclesiasticarum rerum administratio spectet, ita ut eorum potius procurator sit, quàm dominus, c. Conquerente 16. sup. De off. jud. ordin. juncto c. 2. inf. De donat. non debet nisi utiliter fungi officio suo, d. c. 2. quippe cum in cæteris negotiis & actionibus id observetur, ut, si quid in arbitrium alterius conferatur, hæc vel simili formâ Si fueris arbitratus, Si putaveris, Si existimaveris, Si utile tibi visum fuerit, vel, Si tibi videbitur, fac; id ad viri boni arbitrium redigi debeat, non verò ut libera disponendi potestas permittitur censetur, per text. in l. Fideicommissa 11. §. 7. D. De legat. 3. in l. Fideicommissa 46. §. 3. vers. nam & eam D. De fideicommiss. libert. in l. Si societatem 6. & in l. Societatem 76. cum 4. legib. seqq. D. Pro socio.

Quare ex hoc textu nostro discimus, Prælato tunc permittam esse concessionem feudi ad Ecclesiam revertisse, si id utilitas Ecclesiæ poposcerit quod vel eo casu accidit, si eadem causa dureret, ob quam antea res Ecclesiæ in feudum fuit conversa: ut si, exempli gratiâ, Ecclesia habuit castrum, sibi magis damnosum quàm utile, quod idcirco alteri dedit in feudum, hoc feudo per mortem vassalli Ecclesiæ aperto, si eadem adhuc causa perseveraret, retineat idem feudum à Prælato rursus alteri conceditur, etiam absque alia solemnitate, alias secus: etenim cessante causâ debet cessare effectus, c. 60. sup. de appellat. Panorm. ad c. 8. n. 11. sup. De reb. Eccles. alien. Dixi, etiam absque alia solemnitate; nam alioquin in nova alienatione rei

Ecclesiastica immobilis, vel etiam mobilis, sed quæ servando servari potest, præter utilitatem, requiritur etiam consensus, & subscriptio Capituli, *can. 52 xi 1. quæst. 2. Et d. c. un. De reb. Eccles. non alien. in Extravag. commun.*

5 Nunc ad secundam quæstionem text. nostri transeamus, quæ quæsitum fuit, An feudum commissum propter alienationem à vasallo factam possit concedi: iisdem filio, vel consanguineo, vel & consorti? Et respondetur, quod sic. ¶ Ubi in primis observandum est, quod tamen si alias alienationis verbum latissimè pateat, ut non solum dominii translationem, sed etiam usufructus dationem, pignus, servitutis impositionem, emphyteusim, & transactionem complectatur, *l. fin. C. De reb. alien. non al. Et de prohib. rer. alien. junctal. 4. C. De præd. Et alius reb. minor sine decr. non alien. in materia tamen feudali strictior verbi alienationis acceptio est, noratque tantum dominii translationem, oppignorationem, emphyteusim sive concessionem in libellum, & omnem alium actum, per quem Imperii, vel domini utilitas diminuitur, tit. 52. Et 55. in princ. lib. 2. Feud. Itaque transactionem, servitutis impositionem, & si quæ alia sunt, de quibus inf. non continet.*

7 Cum verò rei alicujus alienatio duobus modis contingat, aut per ultimam voluntatem, aut per viam contractus, *l. Pero 69. §. 3. D. De legat. lib. 2.* utraque regulariter vasallo est interdicta. * Nam quod atinet ad ultimam voluntatem, expressi juris est, feudum non cadere sub testamenti factioem: inquit enim text. in tit. 8. in pr. l. 1. Feud. his verbis, *nulla ordinatione defuncti in feudo manente vel valente.* Idque hanc rationem habet, ne invito domino alius vasallus subrogetur, *tit. 12. lib. 2. Feud.* vel si paternum sive antiquum feudum sit, ne aliis adgnatis, qui ex primo investito descendunt, præjudicetur, *tit. 39. Et d. tit. 55. in pr. lib. 2. Feud.* Quod usque adeò obtinet, ut ne quidem favore animæ, vel religionis talis ordinatio defuncti permissa sit, *tit. 9. §. 1. Et d. tit. 55. in pr. lib. 2. Feud.* ob rationes jam dictas, quibus junge text. in tit. 13. lib. 1. Feud. Ecclesia, ait textus, *cultrix & autrix justitiæ non patitur contra justiciam aliquid fieri in se, vel in alterum.* Atque hinc fit, quod feudum vel ejus pars uni filiorum à patre prælegari non possit, aut, si à patre filius exheredatus sit, etiam ex legitima causa, id referri non debeat ad feudum, quod extra corpus hereditatis est, & non subjacet defuncti dispositioni, *tit. 45. lib. 2. juncto d. tit. 13. in princ. lib. 1. Feud.*

Quo verò ad alienationem per viam contractus, canon minus prohibita est vasallo, propter easdem rationes, ne videlicet domino, aut reliquis adgnatis, qui alioqui successuri sunt, præjudicium generetur, *jurib. antè alleg.* Et quamvis jure antiquo aliter usurparum erat, quo impune feudum alteri in libellum, id est, in emphyteusim, concedebatur, *tit. 13. lib. 1. Et tit. 9. §. un. lib. 2. Feud.* hodie tamen ex Lotharii II. & Frederici Imp. Constitutionibus id emendatum est, ut ne quidem in libellum concedi possit, sub pœna committendi feudi, *d. tit. 5. Et d. tit. 55. in pr. lib. 2. Feud.* Excluis etiam vasalli descendibus, & reliquis adgnatis, *per hunc text. nost. Et in tit. 24. §. 2. cum tit. 25. Et 26. lib. 2. Feud.*

Intelligitur verò alienatio tunc facta, quando & aliter est tradita: unde si feudum à vasallo tantum sit venditum, vel pignori obligatum, nulla factâ traditione possessionis, alienatum feudum non intelligitur, *l. Alienatum 67. in pr. D. De verb. sig. latè Et eleganter Jul. Clar. §. Feudum q. 31. Et q. 35. & consequenter cessabit pœna commissi, nondum traditione factâ, d. tit. 24. §. 2. l. 2. Feud.* Quid enim obest contractus, ubi injuria nullum effectum habuit? *l. 1. §. fin. D. Quod quisque jur. in alt. stat.*

Quæ tamen ita restringenda sunt, nisi dominus in alienatione feudi consentiret, *d. tit. 52. Et d. tit. 55.* cum enim feudum propter alienationem in commissum cadat domino suo, idèd, quod ipsi injuria per alienationem fiat, *d. tit. 24. §. 2.* poterit utique in alienationem consentiendo hanc injuriam antevertere & abolere: siquidem scienti & consentienti nulla sit injuria, *l. 145. D. De R. l. Et c. 27. eod. tit. in 6.*

Nihil tamen magis idcirco, quod dominus consentiret alienationi, præjudicium sit adgnatis vasalli, ad quos eo mortuo est feudum perventurum, ut quia ex primo investito descendunt; nisi & hi quoque in alienationem consentiant expressè vel tacitè: expressè, si videlicet id aperte declarent; tacitè, si dissimulent per anni spatium, *tit. 26. vers. Tutius filios lib. 2. Feud.* Alioqui, non consentientibus adgnatis, constabit tantum alienatio feudi usque ad mortem vasalli alienantis; quo discedente, ad adgnatos proximos transitum aperit, *tit. 8. in princ. Et d. tit. 13. Et ibi Glos. lib. 1. Feud.* quia resolutiojure auctoris resolvitur & jus successoris, *l. Lex veltigalis 31. D. De pignorb. Et hypoth.*

Secundò, quæ de alienatione prohibita diximus, restringenda sunt etiam quoad transactionem,

ant,

nem, & divisionem feudi. Nam etsi transactio species sit alienationis, l. 4. C. De prad. & aliis reb. min. tamen jure feudali permitta est vasallo transactio, etiam absque assensu domini, tit. 26, vers. si vasallus de beneficio lib. 2. Feud. aded, licet de proprietate feudi sit contentio, tit. 43, & tit. 8. in pr. lib. 2. Feud. nam vasallus tam feudi, quam proprietatis ejus est quasi procurator in rem suam, ita ut recte utriusque nomine agat, & conveniatur, tum etiam transigat, dummodò id absque fraude fiat, jam alleg. jurib. Id enim ipsi permittitur, propter singularem ejus fidem, quã dominus confidit eum probe & fideliter omnia confecturum, tit. 50 lib. 2. Feud. alioqui iniquum esset, vasallum de jure proprietatis experiri, vel transigere posse, utpote proprietate re ipsa separata & distincta à feudo, tit. 23, vers. hujus, in verbis, ut proprietatis qui dem, lib. 2. Feud.

13 Interim animadvertere debet vasallus, ut, si evictò à se feudo velit habere regressum adversus dominum suum, denunciet illi prius, sibi motam esse litem iacione feudi; ut ita in iudicium veniat dominus defensor suum vasallum: quã denuntiatione factã, si non defenderit dominus, feudumque evincatur, id est, auferatur à vasallo per sententiam Judicis, agere poterit vasallus contra dominum evictionis nomine, ut aliud ejuſdem aſtimationis feudum illi restituat, vel nummos in feudum elocandos adnumeret, tit. 25, & d. tit. 8. lib. 2. Feud. Nisi forte à vasallo per injuriam, sive insciam ipsius Judicis, aut per culpam suam feudum sit evictum: nam his casibus dominus propter evictionem non tenebitur, per text. in e. fin. sup. De empr. & vend. in l. Emptor fundi 8. & l. Si non injuria C. De evict. in l. Si per imprudentiam 51. in l. Si fundo 53, & in l. Si deo 55, D. eod. tit.

14 Jam, quod ad divisionem attinet, tametsi & hæc inter alienationis species recensetur, l. 1. C. Com. utriusque jud. & s. fin. in pr. De officio jud. id tamen jure feudorum receptum non est, quo licitè permittitur (etiam invito domino) feudi divisio inter legitimos heredes; præterquam in feudo Ducatus, Marchiæ, & Comitatus, quæ ob utilitatem publicam divisionem non recipiunt, ex Frederici Imp. Constitutione 55, §. 1, lib. 2. De Feud.

15 Tertiò, quæ de prohibita feudali alienatione diximus, cessant quoque in dote: nam mulier feudum, si quod habet, rectè in dotem confert marito suo, tit. 13, lib. 2. Feud. etiam si doris datio sit quædam alienatio, l. 30, penult. C. De jure dot. Sed an

pater possit feudum, quod habet, filia suæ sive potius genero in dotem dare? Minimè, per text. in tit. 9, §. un. lib. 2. Feud. Jul. Clar. §. Feudum quæst. 36.

16 Non dubium quoque est à vasallo posse imponi servitutem prædio feudali, quæ tamen domino non præjudicat, si postea feudum ipsi aperiatur, d. tit. 8. lib. 2. Feud. De alienatione, quæ fit per refutationem, diximus supra eod. ad e. 1.

17 Postremò feudum vasallo concessum potest ab eodem alteri subfeudari, id est, rursus dari in feudum, etiam dissentiente domino, tit. 9, in pr. in verbis, quod & ipsum sincere, tit. 34, §. 2, & d. tit. 55, §. 2. lib. 2, Feud. & à secundo hoc vasallo iterum potest alteri concedi in feudum; & sic deinceps usque in infinitum, d. tit. 38, §. 2, dum tamen tria concurrant: Unum, ut id absque fraude fiat, d. tit. 55, in pr. vers. callidis. Alterum est, ut detur personæ ejusdem qualitatis, ut si, verbi gratiã, dans sit miles, necesse est, ut & accipiens miles sit, d. tit. 38, §. 2. Tertium, ut id eadem lege fiat, hoc est, quã conditione prior vasallus recepit feudum, eadem quoque alteri concedat, puta, si pro masculis tantum accepit, non poterit dare alteri, ut & femina succedant, d. tit. 38, §. 2.

18 Sed quæstionis est, An in hac subfeudatione requiratur consensus adgnatorum primi investiti? Et rectè æquius est requiri, ne jus, quod ex prima investitura ipsis adgnatis competit, in vitium auferatur, arg. l. id quod nostrum De R. I. Nihilominus, si eorum consensus non sit adhibitus, durabit subinfeudatio ad vitam primi investiti: eo vero discedente sine liberis poterunt adgnati feudum ad se revocare; cum resolutò jure auctoris, resolvatur & jus successoris, d. l. Lex vestigali 31, D. De pign. & c. ita post Andr. de lsero Curt. Jun. in tract. Feud. in quarta parte princ. num. 85.

19 Hisigitur casibus exceptis, feudum, si alienetur à vasallo, ipso jure aperitur domino; aded, licet post alienationem factam feudum rursus recuperaverit vasallus, per text. in tit. 42. lib. 2. Feud. siquidem sufficit, feudum propter alienationem factam domino commissum, ac proinde jus illi quæsitum esse, quod pœnitentiã delinquentis non aboleretur, l. Qui è mente 65, D. De suri. & l. Quid sit 17, §. 1, D. De adl. edito. Nisi forte ignorans alienasset vasallus, quo casu excusaretur, propter ignorantiam suam, per text. in tit. 26, vers. si vasallus feudum lib. 1. F. Nec enim injuria propriè ab ignorantante, sed doloso committitur, l. 1, in princ. vers. specialiter & ibi Accurs. D. De injur.

21 Præterea, et si alienatione feudi à vasallo facta, ita committatur feudum, ut statim ad dominum redeat, sub motis omnibus vasalli descendentes, & adgnatis, tit. 24. §. 2. lib. 2. Feud. & text. hic in c. 2. id tamen restringendum est ad vasallum sæcularem; secus enim si vasallus sit Ecclesiasticus, possidens feudum Ecclesiæ suo nomine, qui, si alienet illud feudum, vel ex alia causa delinquat, quæ privationem feudi mereatur, non ideo tamen feudum omnino aperitur domino, sed tantummodo ad vitam ejusdem Clerici, qui feloniam admisit: nam eo mortuo successorie ejus restituendum est feudum, tit. 40. §. un. lib. 2. Feud. Etenim delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare, c. 76. De R. l. in 6. Cum igitur in secunda questione hujus c. nost. agatur de vasallo sæculari, qui propter alienationem feudi à se factam jure suo cecidit, ita, quod feudum ipso facto redierit ad Ecclesiam; rectè responsum est à Summo Pont. illud rursus licitè in feudum concedi posse ejusdem filio, vel consanguineo: cum Ecclesia in concedendo tali feudo utatur jure suo, per ea, quæ supra diximus ad primam questionem text. nostri.

22 Cæterum, cum vasallus nonnumquam ex alia causa, quam alienationis, privetur feudo suo, veluti, si fratrem suum, vel alium (quod tamen factum parricidii appellatione contineatur) occiderit, vel alium quemcumque fraudulenter, d. tit. 24. §. 2. & tit. 37. lib. 2. Feud. ita, ut in curia amplius stare non possit; hic distinguendum est inter causas ingratitudinis sive felonix, quæ plures recensentur à Franc. Somb. in Comment. in Vjus Feud. p. 12 & à me in Summa juris Canonici tit. de Feud. Ut, si quæ à vasallo admissa est in dominum suum, feudum omnino committatur, & ad dominum redeat, exclusis omnibus descendentes & adgnatis vasalli: ut hanc saltem dominus, ait text. habeat suæ injuriæ ultionem, d. tit. 24. §. 2. & tit. 37. lib. 2.

Feud. si in alium delictum admittum sit, feudum quidem amittatur quoad descendentes vasalli, & adgnatos proximos, sed non quoad remotiores, qui scilicet quarto gradu sunt, qui rectè in tale feudum succedunt, & præferuntur ipsi domino, tit. 6. vers. si vasallus culpam, & tit. 31. lib. 2. Feud. Atque hæc singulari ratione in feudis recepta sunt; alioqui regulariter constituti juris est, ne pœnæ suos auctores transgrediantur, l. 22. C. De pœnis. Illos autem adgnatos in successione solos intelligimus, qui ex primo vasallo investito descendunt, non eos, qui tantum sanguinis vinculo sibi invicem sunt conjuncti: nam nec fratres inter se, quoad feudum novum sibi invicem adgnati dicuntur, tit. 11. lib. 1. tit. 14. vers. si duo fratres lib. 1. & tit. 12. lib. 2. quamvis aliis fratres inter se adgnati sint, sibi que invicem succedant in bonis alodialibus, ut videre est Novel. Inst. 118. c. 3. & tit. 1. §. 14. cum tit. seq. lib. 3. Insti.

Jam, quod ad tertiam questionem attinet hujus c. nostri, ex ejus decisione illud annotandum est, quod Ecclesia possit feudum propter alienationem commissum, & recuperari difficile, alteri cedere, qui illud recuperet. Ratio patet ex iis, quæ ad priores duas questiones supra adduximus. Huic autem refragari videntur textus in l. 1. & l. 2. C. Ne licet pot. paroc. litig. & in c. 2. §. un. sup. De alien. jud. mut. caus. facta, quibus locis jacturâ causæ multatur illi, qui eam in potentiorum transferunt: at verò hæc translatio feudi in potentiorum fit; ergo, & c. Verum hic alia ratio subest: cum enim propter alienationem factam feudum ipso jure apertum sit Ecclesiæ, ut supra probatum est, ac proinde certum & exploratum jus habeat Ecclesia, quæ est domina ipsius feudi, non potest dici feudum in potentiorum transferre, opprimendi vel vexandi alterius causâ; quod solum in contrariis juribus coercetur. Vide, quæ habet Jafon. ad d. l. 1. C. Ne lic. potens. & c.

IN TIT. XXI. DE PIGNORIBUS ET ALIIS CAUTIONIBUS.

In Cap. Lator 2.

SUMMARI A.

1. Liber homo ex causa aris alieni detineri non potest.
2. Si bonis suis cedere velit.
3. Cessio hac ubi, qualiter, & à quibus fieri possit.
4. Effectus cessionis.
5. Cessio ignominiosa quid operetur.
6. Cessionis beneficium quibus non datur.
7. An et renuntiare debitor possit?
8. Creditor debitorem fugientem propria auctoritate detinere potest.
9. Arresta contra debitores extraneos de consuetudine permittuntur.

Textus

Tertius hujus Cap. traductus videtur ex Justiniani Novella 134, c. 4, & ex l. *Qui filius* 6. C. *Qua res pign. oblig. poss. vel non.* Cujus hæc sententia est, † quod liber homo propter æs alienum detineri non possit, etiam si apud debitorem nihil sit, quo satisfiat creditoribus. Qui textus si accipiatur de filiis debitoris, vel aliis liberis hominibus loco pignoris non detinendis, per se planus est; cum ea tantum pignori accipi possint, quæ sunt in bonis nostris; at liberi homines in bonis nostris non sunt. *d. l. 6.* Si verò intelligatur de ipso debitore, ut is æris alieni nomine à se contracti detineri non possit à creditoribus, hæc ratio assignatur, quam tradit Venuleius Jurisc. in l. 2, D. *De hom. lib. exhib.* ubi inquit, non multum eos differre à specie servientium, quibus non datur facultas recedendi: item Papinian. in l. *Titio centum* 7, §. 2, D. *De condit. & demonstr.* Igitur cum detentio hominis liberi cum ipsa libertate pugnet, rectissime dicitur, quod liber homo ob æs alienum detineri non possit, ne hoc modo infringatur jus libertatis, quod nullam æstimationem recipit. *l. Libertus* 106, D. *De R. I.*

2 Debitorem verò talem hic accipimus, qui bonis suis cedere vult, hoc est, permittere ea suis creditoribus: alioqui merito detruderetur in carcerem, *per text. in l. 1, C. Qui bon. ced. poss.* Siquidem ejusmodi debitor non cedendo bonis suis, sed eadem sibi retinendo, videtur potius contemnere libertatem; instar ejus, qui ad pretium participandum se vendidit passus est, §. 5, *Inst. De jure person.* Unde debitores ære alieno oppressi diligenter noverint hoc beneficium cessionis bonorum, quod ipsi à jure tribuitur, ne scilicet à creditoribus in carcerem rapiantur; de quo tamen in progressu latius, & in c. 3, *inf. De solut.* ubi dicemus, quid juris sit in Clerico debitore.

3 Atque hæc cessio bonorum non tantum in judicio, sed & extra judicium solà debitoris professione fieri potest, dicens, v. g. *Cedo bonis*, vel id ipsum per nuntium sive per epistolam vel aliud signum declarantis *l. In omni* 6, C. *d. t. Qui bon. ced. poss. & l. fin. D. De cess. bon.* Et non tantum patribus familias, sed & filiis familias competit, ut & hi cedendo bonis suis, si quæ habeant, vel etiam, si nulla habeant, ad similitudinem patrumfamil. effugere possint incarcerationem, *l. 7. C. d. t.*

4 Non tamen per hanc cessionem liberantur omnino debitores à creditoribus suis, sed interim, donec ad meliorem fortunam pervenerint: nam si postea aliquid sibi acquisierint, rectè iterum

conveniuntur, non quidem in solidum, sed in quantum facere possunt, relictis ipsis alimentis, ne egeant, *l. 4, & l. 6, D. De tess. bon. l. 173, in pr. D. De R. I. & §. fin. Inst. De actionib.* † Nisi cessio bonorum fuisset ignominiosa, hoc est, cum signo aliquo ignominioso coactus fuerit debitor à creditoribus suis bonis cedere, sicut fit in quibusdam civitatibus; quæ specie amplius conveniri non potest debitor, tamquam hoc ignominioso signo satisfactum sit creditoribus. Guido Papæ 9, 343. Dixi, coactus fuerit à creditoribus; nam his in vitis ignominiosa cessio infligenda non est debitori, si scilicet creditores simpliciter cessione factâ malint potius expectare fortunam meliorem ipsius debitoris; siquidem in vitis creditoribus aliud pro alio solvi non potest, *per text. in l. 2, §. 1, D. De reb. cred. si cert. per.*

Hic tamen observandum est, quod non omnibus debitoribus hoc beneficium cessionis bonorum competat, sed iis tantum, qui non datâ operâ in æs alienum inciderunt: cæterum si quis in fraudem creditorum suorum bona dilapidaverit, indignus est hoc beneficio, *per text. in l. fin. §. fin. D. Qua in fraud. cred. facta sunt ut restit. Bald. ad l. 1, num. 4, C. Qui bon. ced. poss. & Jason ad §. fin. n. 18, Inst. De act.* neque enim malitiis est indulgendum, *l. 38. D. De rei vend.* Item si scivit eo tempore, quo contraxit, se non esse solvendo, excluditur ab hoc eodem beneficio. Ita Jason ad d. §. fin. num. 19. *per text. in l. 84, penult. D. De jure dot.* Ubi tamen Jason perperam allegat Bart. ad l. *Aut causa* 14, §. un. *D. Solutio matrum.* quasi hic Bartolus ejusdem sit sententiæ: cum Bart. eo locitantum asserat, † pactum valere inter creditorem & debitorem tempore, quo debitor solvendo non est, ne uti possit beneficio cessionis. Quod certè usque ad eò verum existimo, etiam si debitor, simpliciter cessionis bonorum renuntiaverit, & consequenter consenserit in carcerem. Nam tamen hæc renuntiatio jus libertatis infringat, cum ex ea incarcerationis sequatur, *d. l. 71, §. 2, D. De cond. & demonstr.* non tamen in se peccatum continet. *c. Ex rescripto* 9, §. *fin. sup. De jurejur.* ac proinde eo standum est: siquidem nihil magis convenit humanæ fidei, quam pacta servare, *l. 1, in pr. D. De pact. & c. 3, sup. eod. De pact.* Attamen non existimo Jasonis sententiam defendi posse, nisi quatenus fraudem quoque admisit debitor: alioqui suæ facilitati imputet creditor, quod cum eo contraxerit, qui solvendo non est. Confirmat & juris regula, *Qui cum alio contrahit, vel est, vel*

debet esse non ignarus conditionis ejus, l. 19. in pr. D. De R. I. Vide de hac questione, utrum debitor renuntiare possit cessionem bonorum, larius Felin. ad d. c. 9. num. 11. cum seqq. & Did. Covarr. Var. resol. lib. 2. c. 2. num. 7.

Sed regrediamur ad textum nostrum, quo cum prohibeatur liberi hominis detentio propter æs alienum, id obtinere diximus in eo, qui bonis suis cedere vult, alias secus.

8. Secundò, non procedit in debitore fugiente, quem creditor etiam propria auctoritate potest sublequi, & detinere, & ei detrahere, quod sibi debet, per text. in l. Air prator 10. §. 16. D. Quæ in fraud. cred. ne, dum judex quaeritur, debitor elabatur, & creditor jacturam rerum suarum patiat, arg. text. in l. Si longius 18. §. un. D. De judic. Idque addò, ut etiam debitor fugiens impunè occidi possit à creditore, si telo se defendat, resque aliter creditori salvæ esse non possint, auctore Baldo ad l. 4. C. Ad L. Corn. de sic. Idemque probat argumentum ductum à fure, cui hic debitor fugiens non absimilis est: is enim si nocturnus est, impunè occiditur; si diurnus, non aliter, quam si se telo defendat, ut tamen utroque casu cum clamore testificetur, l. 4. §. un. D. Ad L. Aquil. & l. 54. §. 2. D. De furt. Adde, si aliter domino res suæ salvæ esse possint, l. 5. in pr. D. Ad L. Aquil. & c. 2. in pr. inf. De homic. Dom Soto De just. & jure lib. 1. q. 1. rat. 8. circa fin. de quolatiis ad d. c. 2.

Tertiò textus noster non procedit in arrestis, quæ passim in Germania contra debitores extraneos & advenas ad simplicem creditoris petitionem permittuntur, ad eum potissimum effectum, ut creditorem securum reddant debitores, datis pignoribus vel fidejussoribus. Contra cives verò vel incolæ arresta non conceduntur, nisi de fuga sint suspecti, & bona immobilia nulla possideant. In quo tamen consuetudo cujuslibet civitatis spectanda est; tolerabilia enim sunt, quæ vetus consuetudo comprobata, ait textus, in l. penult. in §. un. D. De pollutat. Ita And. Gail. lib. 2. Obs. 44. n. 10. cum seq. Qui & prudenter monet, in tract. De manuum inject. c. 1. num. 12. ne videlicet arresta vaga & indiscreta sint, atque imperitorum judicium subiecta. Nam licet arresta parvi præjudicii sint, eò quòd cautione judicio siti & judicatum solvi facile relaxentur, c. 5. §. 9. sup. Ve litæ non contest. & tamen cum discrimine alterius existimationis temerè vagari, & honorem ejus præcipitanter prostituere non oportet, l. Prator 7. in princ. D. De injur. Atque hæc limitatio de arrestis solâ consuetudine & statutis Germaniæ defenditur, cum alioqui pugnent arresta cum textu nostro, sed non est absurdum juri communi derogari posse per consuetudinem, c. fin. sup. De consuet. & l. De quib. §. un. D. De legib.

Ad Tit. XXII. De Fidejussoribus, vide *Summam Juris Canonici lib. III. tit. ix. §. 6.*

IN TIT. XXIII. DE SOLVTIONIBVS.

In Cap. Odoardus 3.

SUMMARI A.

1. Facti species discutitur, an Clericus ob æs alienum possit in carcerem conici, aut cogi cedere bonis.
2. Clerico debitori datur privilegium competentia.
3. Privilegium illud quibus è laicis datur.
4. Reditus beneficii Ecclesiastici adjudicari creditoribus possunt, salvâ Clerico portione congruâ pro alimentis.
5. Privilegio competentia qui Clerici gaudeant.
6. An & studiosi?
7. Quando luat in corpore, qui non habet in ære.
8. Cessio bonorum in delictis an locum habeat?

9. Pœna pecuniaria ob paupertatem an remittenda?
10. Clericus debitor quando teneatur cavere idoneè de solvendo.

Decisio hujus Cap. celebris est, siquidem continet privilegium indulgentum Clericis, ne ob æs alienum excommunicari vel in carcerem detrudi possint. Sed facti speciem præmittamus.

Odoardus Clericus à creditoribus suis conventus erat coram Officiali, id est, Vicario Archidiaconi Remensis: is verò confessus debitam, sùm propter inopiam solvere non posset, ab eodem

dem Officiali fuit excommunicatus. Qua de re aditus S. Pont. mandat hoc textu nostro Decano, & I. Canonico Tullensi ut, si Odoardus solvendo non sit, eum sententiâ excommunicationis eximat & liberet, receptâ tamen ab eodem idoneâ cautione de solvendo, ubi ad pinguiorem fortunam devenierit. Cujus decisionis ratio hæc videtur esse, quòd inanis sit illa actio, quam debitoris inopia excludit, l. 6, D. De dolo malo. Merito igitur debitor ab excommunicatione tamquam injusta absolvitur, & creditores, qui inanis & frustra actionem intendant, rejiciuntur, h. text. nostro in §. un. Et licet Glos. hic in pr. in V. recognoscens, & §. un. in verbis, ad pinguiorem, videatur insinuare, Odoardum prius cessisse bonis, & consequenter beneficium textus nostri restringat in Clerico bonis suis cedente: rectius tamen contrâ existimat Panorm. & Imola. hic n. 8. tum Did. Covar. Var. resol. lib. 2. c. 1, num. 9. Odoardum scilicet non ante cessasse bonis, quam excommunicaretur, ac proinde Clericum non tene-ri cedere bonis suis ad evitandum carcerem. Ad quid enim Odoardus fuisset excommunicatus ab Officiali, si bonis suis antea cessisset? eum cessio bonorum liberet debitorem ab omni molestia creditorum, donec ad meliorem fortunam pervenerit, l. 4, §. un. & l. 6, D. De cess. bon. & §. fin. in fit. De ass. Præterea indecorum fuisset, ut probatâ cessione Odoardi, cogeretur ipse in opprobrium Ecclesiastici ordinis mendicare. Quare etiam Glos. & Barr. ad l. Miles 6, D. De re jud. & hos secutus Imola hic num. 8. beneficium, quod competit militi armatæ militiæ, ne scilicet in plus, quam facere possit, conveniatur, d. l. 6, in pr. rectè transferunt ad Clericum, id est, militem cœlestis militiæ. Item Capella Tholof. q. 246. Et ibi Steph. Auster in addit.

Itaque certius est, Clericum debitorem, tamen bonis suis non cedentem, neque posse excommunicari, neque in carcerem conici propter æs alienum, sed habere privilegium, ne conveniatur à creditoribus suis, nisi quatenus facere possit, deductis scilicet alimentis, per eas, quæ jam dicta sunt. In laico contrâ obtinuit regulariter, sicut ad cap. 2, sup. De pignoris latius explicavimus. Dixi, regulariter; nam præter militem, de quo in d. l. 6 in pr. idem beneficium habent socii bonorum, vel alicuius negotiationis, l. Perversorum 6, in pr. D. Pro socio. Item parentes, patroni, eorumque liberi, item maritus, uxor, socer, donator, nam & hi ex singulari privilegio à jure concessio,

non conveniuntur, nisi in id, quod facere possunt, reservatis sibi alimentis, per text. in l. Sunt qui 16, cum §. legib. seqq. D. De re judic. junctâ l. In condemnatione 173, in pr. D. De R. l. Un. e. consequens est, neque hos ob æs alienum in carcerem detudi posse, aut cogendos esse, ut bonis suis cedant.

Utrum autem Clericus debitor cum creditoribus convenire possit, ut, reservatâ sibi portione reddituum Ecclesiasticorum, reliqui redditus cedant creditoribus, vide Panorm. ad c. 2, sup. De fidejuss. & Did. Covar. sup. alleg. loc. qui simpliciter existimant, redditus annuos beneficii adjudicari posse creditoribus pro ratione quantitatis debiti, dimissâ tamen Clerico portione congruâ pro alimentis, arg. d. c. 2, §. un. sup. De fidejuss. & ita fieri Romana Curia probat ibid. Covar. ex collect.

Idem Covar. eodem in loco textum nostrum tantummodò exaudiendum putat de his Clericis, qui Ecclesiæ ministrant, non verò de aliis, nisi & hi in sacris Ordinibus sint constituti: idque ait, propter multitudinem eorum, qui temere sine aliquo delectu, ut vitii & criminibus liberius vacent, primis & minoribus Ordinibus solent, maximâ Prælatorum profectò incuriâ, insigniri. Quæ ratio forte militat apud suos in Hispania; mihi autem videtur, hanc rem ad decretum Concilii Trident. revocandam esse, quo Clerici prima tonsura aut minoribus Ordinibus initiati non gaudent privilegio fori, nisi beneficium habeant, aut clericalem habitum & tonsuram deferentes alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi interserviant, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua Schola vel Universitate de licentia Episcopi, quasi in via ad maiores Ordines suscipiendos, versentur, Sess. 23, c. 6, de reform. Ex quo liquet, quinam Clerici primæ tonsuræ & minorum ordinum gaudeant privilegio fori videlicet Ecclesiastici; & qui non, sed remaneant sub jurisdictione judicis secularis: ut hi, qui sub jurisdictione secularis judicis remanent, non gaudeant beneficio textus nostri, sed juxta juris Civilis præscriptum propter æs alienum aut cedere bonis suis debeant, aut in carcerem detudi, instar aliorum secularium, l. 1, C. Qui bon. ced. poss. Neque eos juvat argumentum deductum à milite armatæ militiæ ad militem cœlestis militiæ, de quo paulò supra; cum hi Clerici non censeantur militare, qui primam tonsuram vel minores ordines otiosos gerunt.

Ut hinc etiam Pet. Rebuffi sententia ad Auth. 6 Habita

Habita C. No fil pro patre &c. defendi minimè possit, existimantis beneficium textus nostri etiam convenire studiosis, etiamsi Clerici non sint: siquidem id nullo jure cautum reperitur, neque justa ratio subest, quæ hoc suadeat, *arg. c. 1, §. un. in verbis, cum id non inveniatur, De sup. negl. Pralat. in 6.* & juris regula est: Quæ à jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda, *c. 18, De R. l. lib. 6.* At textus nostri beneficium exorbitat à Jure communi, quod extat. *in l. 1, C. Qui bon ced. p. ff. ergo &c.*

7 Ceterum contra hunc textum nostrum §. un. obijciatur vulgatum illud axioma: Qui non habet in ære, luat in corpore, *per text. in l. fin. D. De in jus voc. in l. Si quis 7. §. 1, D. De jurisd. in l. 4, C. De servis fugit. & in c. 5, §. fin. sup. De dolo, & contum.* Verum nihil movet, cum locum non habeat in obligationibus, quæ ex contractu nascuntur, de quibus in præfenti agimus, sed quæ ex delicto descendunt, sive delictum sit publicum sive privatum, in quo pecuniaria pœna, si qua de jure infligenda venit, in corporalem propter inopiam rei commutatur, *l. 2, §. fin. D. De pœn. & jurib. jam allegat.* Et ratio est, ne delicta impunita maneant, *vulg. l. Ita vulneratus §. 1, D. Ad l. Aquil. c. Ut fama inf. D. Sent. excom.*

8 Unde neque in delictis cessio bonorum locum habet, sicut latè persequitur Covarr. *d. c. 1, num. 8 & Perr. Costal. ad d. l. 7.* Hoc tamen adhibito temperamento, ut in delicto privato pœnæ pecuniariæ commutatio non fiat, nisi volente actore, *d. l. fin. in verbis, ex querelâ;* quia actoris tantum interest, qui fortasse mavult expectare, donec reus sit solvendo, ac proinde actori minimè jus

suum est auferendum, *l. 11. D. De R. l. Ubi verò ex delicto ad publicam vindictam agitur, rectè sit conversio pœnæ pecuniariæ in corporalem, etiam invito accusatore; cum in eorum tantum filii causa vertatur, cui pœna pecuniaria alioqui applicanda erat.*

Illud singulariter observatur in multis, hoc est, in pecuniariis coercitionibus, quæ non ex lege, sed judicis arbitrio pro aliquo delicto imponuntur, *l. Si qua pœna 244, D. De verb. sign. quod videlicet hæc ob pauperiorem in corporalem non mutantur, sed remitti debeant, & ubi remissæ sunt, non amplius exigi possunt, licet reus solvendo postea efficiatur, l. 6, §. fin. D. De off. præsid. & l. fin. §. fin. C. De mod. multar. qua à jud. inflig. Similiter ubi pecuniaria pœna semel in corporalem permutata est, ipso quoque jure liberatur reus, nec amplius convenitur, etiamsi postea ditior fiat; cum corporalis pœna loco pecuniariæ succedat, *per text. in l. Sed si 17, §. 6, D. De in jur.**

Postremò ex textu nostro annotandum est, quòd Clericus debitor, qui solvendo non est, prout jam explicavimus, idoneam cautionem præstare teneatur de solvendo, ubi ad pinguiorem fortunam venerit. Idonea verò cautio ea dicitur, quæ sit cum fidejussoribus vel pignoriibus, *l. Si mandatu 59, §. fin. D. Mandati.* Quod tamen ita accipiendum est, si debitor Clericus hæc idoneam cautionem præstare possit; alioqui sufficiet præstare juratoriam cautionem, sicut rectè hic §. un. *Glos. tenet in V. idonea, per textum in c. 7, inf. De donat. inter vir & uxor.* Idem in cedente bonis suis recipiendum est, *ex sententia Gl. & aliorum ad hoc c. nostrum.*

IN TIT. XXIV. DE DONATIONIBVS.

In Cap. Cum dilecti 6.

SUMMARI A.

1. Facti species.
2. Donatio cum suis pactonibus transit ad heredes.
3. Donatio Ecclesie facta, cum pacto solvenda certa pensionis, an revocari possit si pacto non fietur?
4. Quid si vinea donata sit Hospitali, eâ lege ne alienentur.
5. Donationes cur plenissimam recipiant interpretationem.
6. In re scriptis ad beneficia strictior facienda est interpretatio.

7. Cur in contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficiis plenissima interpretatio sit adhibenda.

Duo ex hoc Cap. noranda occurrunt: unum, quòd rei donatæ Ecclesie, vel alteri pio loco, adici possit à donatore pensio sive aliud onus ex solvendum. Alterum est, quòd donationes plenissimam interpretationem recipiant.

Facti speciem hanc statuasimus Titius cuidam Ecclesie fundum suum Tusulanum donavit, deinde paulò post in eodem instrumento fundum

Scm.

Sempronianum; hac tamen lege, ut Ecclesia singulis annis sibi solveret decem pensionis nomine: quæ si minimè solverentur, penes eundem Titium esset, fundum redigere in forestam, hoc est, in silvam venationi aptam. Accidit verò, quòd defuncto Titio successerit Alanus ejus filius; qui cum pensio sibi non præstaretur, utrumque fundum in forestam convertere voluit. De quo consulens S. Pont. mandat hoc textu nostro duobus Abbatibus, delegatis in hac causa iudicibus, ut pro Ecclesia sententiam ferant, remotâ appellatione: siquidem clausula solvendæ pensionis adjecta, non ad utrumque fundum, sed ad posteriorem tantum, id est, Sempronianum referenda est; quia in contractibus, ut subdit Pontifex, plena, in testamentis plenior, in beneficiis quoque plenissima est interpretatio adhibenda.

Ubi in primis sciendum est, quòd, etsi Titius sibi solvendam pensionem pactus fuerit, suppresso nomine heredis, non minus tamen ea ad Alanum heredem suum pertineat. † Cum enim donatio contractus sit instar aliorum contractuum, cum suis conditionibus in heredes transit, l. 2, § l. 3, C. De cond. ob caus. dat. juncto § 2, Inst. De perpet. Et tempor. act. § l. Si hominem 7, § 1, D. Depositi; quia in dubio nobis & heredibus nostris censetur pacisci, l. Si pactum 9, D. De probat. Et presump. Et l. Si necessarius 8 § 4, D. De pig. act.

Cæterum quod ad primum singulare hujus textus nostri attinet, ideo subsistit conventio pensionis solvendæ rei donatæ adjecta, quòd quilibet in contrahendo potest legem, quam velit, rei suæ dicere, l. In traditionibus 4 8, D. De pactis, l. Legem 10, C. eod. Et l. 3, C. De contrah. empt. Et vend. etiam si res in Ecclesiam transeat, text. h. §. un. Et in e. 4, inf. De cond. appof. Verum in huiusmodi conditionibus discrimen aliquod constitnendum est inter pactum simpliciter conceptum, videlicet, ut Ecclesia pensionem, vel aliud onus solvat; & pactum illud, quod præterea habet adjectam clausulam commissi hanc, vel similem, Et si pacto satisfactum non erit, res donata ad donatorem vel alium revertatur: ut priori specie, si pactum non servetur, nihilominus res donata repeti non possit, sed agatur ad impletionem modi sive oneris adjecti, d. e. 4, Et facit l. Maria 4 4, D. De manumiss. testam. Alterâ verò specie, si pacto non steretur, res donata Ecclesie vel alteri pio loco auferatur, & donatori, vel quem donator nominaverit, applicetur, d. e. 4, Et l. 2, C. De condit. ob caus. dat. Idem in legatis, quæ piis locis relicta sunt, omninò retinendum

est, per d. jura. Quin hæc eadem rectè transferuntur ad Collegia Theologorum, Jurisconsultorum, sive alterius Facultatis, ubi scilicet his aliquid donatum vel legatum est, ut inde adolentes vel Professores sustententur. Nam tamen si hic modus adjectus non servetur, non tamen idcirco donatum vel legatum revocari poterit, sed agatur ad impletionem modi; nisi, ut in altera specie dictum est, adjecta sit clausula commissi, arg. dictorum jurium. Ratio diversitatis hæc est, quòd in priori specie donatio sive legatum non principaliter relictum sit propter onus adjectum, sed pietatis causa in Deum, vel in Remp. ac proinde etiam cessante præstatione oneris adjecti, nihilominus durat affectio donatoris pia; unde merito non ad revocationem, sed ad impletionem agitur. At in posteriori specie, ubi clausula commissi apposta est, aperte constat de mente donatoris sive testatoris, quòd velit avocatum donationem, si oneri adjecto non satisfiat; ideoque illi parendum est, ut scilicet hoc casu res donata vel legata revocetur, text. h. §. un. Et in d. e. 4, juncta l. Semper 3 4, D. De R. l. l. Non aliter 6 9, D. De legat. 3.

Hinc facilis responsio est ad quæstionem propositam ab Imola hic num. 12. in vinea donata Hospitali, ea lege, ne possit alienari, sed perpetuè conservetur in ulum pauperum, an, si Hospitalis eamdem vineam postea alienaverit, competat donatori actio ad repetendam vineam? Et non competere liquet, nisi adjecta sit clausula commissi, secundum ea, quæ jam dicta sunt. Quare & hic observandum est, quòd, etsi Justinianus in l. fin. C. De revocat. donat. inter ingratitudinis causas & hanc referat, quando quis conditioni aut modo adjecto donationi non satisfiat, hoc pertrahendum non sit ad donationem factam Ecclesie, aut alteri pio loco, sine respectu Reipubl. factam, per ea, quæ sup. diximus.

Quòd verò ad alterum singulare text. nostri, quo dicitur, beneficia sive donationes recipere plenissimam interpretationem; id accidit ex præsumpta mente ipsius donatoris, qui sicut nullo cogente jure, sed mera liberalitate ductus exercuit donationem, l. Donari 2 9, in pr. D. De donat. ita quoque in dubio censetur sustulisse omnem interpretationem, qua restringi sive onerari possit donatio. Quòd sit, ut clausula pensionis solvendæ in fine instrumenti apposta non ad priorem, sed ad posteriorem donationem, cui adnexa est, referatur, hoc text. nost. §. un.

B b

Sed

Sed his obicitur textus in l. 1, C. De lib. prater. vel exhered. & in c. Secundo 41, § un. sup. De appellat. quibus locis clausula in fine posita ad omnes præcedentes articulos pertinet. Verum nihil obstat, cum nõ de donationibus, de quibus nostra disputatio est, agant, sed de aliis clausulis ultimæ voluntatis, & rescriptorum Principum, de quibus vide latius Bart. ad l. Talis scriptura 30, D. De leg. & fideicom. lib. 1, & Felin. ad c. Causam 18, sup. De rescript. Itaque, ut in proposito argumento persistamus, donationis plenissima interpretatio est, maxime verò in beneficiis Principum, l. 3, D. De const. Princ. & c. Olim 16, inf. De verb. sign. quatenus scilicet jus concedentis concernunt, non si alterius præjudicium: nam hoc casu beneficium Principis strictissime accipitur, cum semper intelligatur in beneficiis Principum, ne alteri noceant, text. singularis in l. 4, C. De emanc. liber in l. 2. §. 10, & §. 6, D. Ne quid in loco publ. & in c. Super eo 15, sup. De off. & potest. jud. deleg. & in c. Licet 12, sup. De off. jud. ord. Quod & notandum est in privilegiis, quæ ita accipienda sunt, ut alteri non præjudicent, c. 3, inf. De decimis & c. Recepimus 8, inf. De privil. licet, ut antè dictum est, quoad jus concedentis plenissimam interpretationem recipiant,

per text. in d. l. 3, & in c. Quia circa 22, & ibi Panorm. num. 3, inf. De privil.

Illud verò singulariter receptum est in concessionibus & rescriptis ad beneficia Ecclesiastica obtinenda, quoddam strictior in his fiat interpretatio, cum sint ambitiosa, per text. in c. 4, in pr. De præbend. & dignit. lib. 6, Ut hinc non valeat interpretatio beneficii Ecclesiastici ab eo facta, quia aliud beneficium, licet modicum, possidet, nisi motu proprio beneficium a Sede Apostolica sit collatum, c. Si motu 32, in pr. eod. tit. De præbend. in 6.

Porrò quod in fine textus nostri subiicitur, quoddam in contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficiis quoque plenissima interpretatio sit adhibenda; hujus rationem hanc reddunt Dd. quoddam cum contractus soleant esse ultrò citroque obligatorii, l. Labeo 19, D. De V. S. idcirco conservandæ æqualitatis gratiâ nec nimis strictam, nec nimis largam, sed plenam tantummodò interpretationem admittant; in ultimis verò voluntariis, quia favorabiliores sunt, c. fin. sup. De sent. & re jud. & l. Si pars 10, in pr. D. De inoff. testam. Junge l. In testamentis 12, & quæ ibi latissime tradit. Hieron. Cagnol. De R. l. plenior interpretationem recipiant. De beneficiis jam antè dictam est.

In Cap. ultimum.

SUMMARI A.

1. Donatio semel perfecta regulariter revocari nequit.
2. Exceptis quatuor casibus & causis ingratitudinis.
3. Donatarius an & quatenus ad antidota teneatur.
4. I. causa, Si donatarius donatori impius manus injecerit.
5. Quid si impios pedes intulerit?
6. In poenalibus non fit extensio.
7. Non refert, per se an alium quis manus injecerit.
8. Quid si, cum in Titium manus duceret, in donatorem casu impegerit?
9. II. Si donatorem atrocibus injuriis affecerit.
10. An sufficiat una & atrox injuria?
11. III. Si donatori grave damnum intulerit.
12. Quid si tentaverit tantum inferre?
13. In delictis an solus conatus puniendus.
14. IV. Si vita donatoris fuerit insidiatus.
15. V. Si legem donationi appositam non impleverit.
16. Dictio, tantummodò, similes casus non excludit.
17. VI. Si donatori egeni negaverit alimenta.
18. An collator beneficii Ecclesiastici possit collationem

revocare ob ingratitudinem

19. An donatio remunerationis causâ sit revocabilis ob ingratitudinem donatarii?
20. An conveniri possit, ne revocetur donatio?
21. VII. Si donatori liberi supernascentur.

TEXTUS hujus Cap. ingratitudinis causas enumerat, ob quas donatio alteri facta jure possit revocari, & convenit cum l. fin. C. De revoc. donat. Quatuor autem ingratitudinis causæ hoc textu recensentur; verum Justinianus in d. l. fin. quorundam adiecit. Extra ingratitudinis causas, sunt Doctores, qui duos alios modos adferunt revocandæ donationis, ita ut donatio ex septem causis possit revocari, quos sigillatim & ex ordine proponemus & excutiemus.

Illud initio præmittentes, quoddam donatio semel perfecta regulariter revocari nequeat, ne quidem rescripto Principis, l. Si donationem 5, C. De revoc. donat. Dicitur verò perfecta donatio, cum donator voluntate suam scripto vel sine scripto declaravit, etiam nullâ traditione vel stipulatio-

ne intercedente: nam hodie ex Justiniani Constitutione etiam nudo consensu perficitur donatio, agique potest ad rei traditionem, si ea nondum facta sit, text. est in l. Si quis argentum 35, §. fin. C. De donat. §. 4, Instit. eod.

2 Hinc igitur excipiuntur quatuor casus, hoc text. nost. quibus perfecta donatio recte revocatur. Primus est, si donatarius impias manus in donatorem iniecerit: secundus, si donatorem injuriis atrocibus affecerit: tertius, si grave damnum rebus donatoris intulerit: quartus, si periculum vitæ donatoris struxerit. Horum autem omnium ratio est, magna ingratitude, quâ donatarius pro beneficio maleficio rependit, & consequenter ostendit se indignum beneficio, d. l. fin. vers. ex his enim. Nam & ex iisdem causis vasallus feudo suo privatur, tit. 24, §. 2, lib. 2, Feud.

3 Dixi, quod maleficio rependat; nam ingratitude illa, quâ immemores sumus beneficii recepti, aut illud non recompensamus, non est causa revocandæ donationis, quemadmodum expressè innuit Justin. in d. l. fin. in verbis, ex his enim tantummodo causis. Neque ulla lex est, aut ratio, quæ donatarium ad antiddicta, id est, remunerationes obliget; alioqui non esset simplex donatio, de quâ in præsentia agimus, sed magis effectus datio ob causam, de quâ agitur sub tit. Cod. De condict. ob causam. dat.

Neque novet responsum Ulpiani in l. Sed & si lege 25, §. 11, vers. nec si donaverint D. De hered. per. ubi vult Ulpianus donatarium naturaliter obligatum esse donatori ad remunerandum; quia non loquitur de naturali obligatione, quæ ex conventionem sive expressâ sive tacita descendit, sed de instinctu quodam naturali, quo solemus iis benefacere, qui de nobis sunt bene meriti, sicut rectè ibidem interpretatur Accursus.

4 Itaque ut ad causas ingratitude regrediamur, exemplum primæ causæ sit, si donator à donatario sustibus vel alio instrumento sit cæsus: si quidem hæc magna & atrox injuria est, l. Prator edixit 7, §. fin. cum l. seq. D. De injur.

5 Sed quid, si donatarius impios pedes intulerit donatori? Idem obtinere censet Franc. Ripa ad d. l. fin. q. 12, ubi refertur Card. & alios ita communiter sentire ad hunc text. nostr. quorum sententiam confirmat textus in l. Quâ actione 7, §. 1, D. Ad L. Aquilianam: quia, ut rectè animadvertit Ripa, jura potius considerant effectum illatæ injuriæ sive violentiæ, quàm modum inferendi injuriam. Eadem interpretatio adhibetur in can. Si quis suadente

xxix. q. 4, ubi per manus violentas in Clericum, vel Monachum, intelliguntur etiam pedes, per Glof. ibidem in V. manus, & Mart. Navar. in Manuali c. 27, num. 77. † Quamvis aliâs juris sit ordinarii, quod in pœnalibus non fiat extensio, sed potius pœnalia restringantur, c. Odis 15, c. In pœnis 49, De R. l. lib. 6, & quod eleganter respondit Jurisc. interpretatione legum, in quibus, pœnæ molliendæ sunt potius quàm asperandæ, text. est in l. 4, D. De pœn. Unde si donatarius tantum elevaverit manum, ut percuteret, non putarem donationem idcirco posse revocari, quia textus noster & d. l. fin. considerat ipsam injectionem, quæ re ipsa facta est; ac proinde dilatarî non debet extra casum suum, per jura jam allegat. Et tamen si is, qui, manum adversus aliquem elevavit, injuriarum actione conveniri possit, ex responso Ulpiani in l. Item apud Labonem 15, §. 1, D. De in jur. non tamen ad eum effectum, ut donatio facta donatario ob id possit revocari, per text. in d. l. fin. in verbis, ex his enim tantummodo causis, C. De revoc. donat. licet aliter sentire videntur Ripa ibid. quest. 14, Quâ ratione nec ob solam lacerationem vestium donatoris revocabitur donatio, quæ si hæc laceratio alioqui atrocem injuriam in se contineat, per text. in l. Sed est questionis 9, in princ. D. De injur. nam non omnis atrox injuria revocationem donationis meretur, sed quæ in hoc c. nost. & d. l. fin. expressè continetur.

Nihil verò interest, utrum quis per se vel per alium impias manus in donatorem conjecerit, per text. in c. 6, §. ult. inf. De sent. excom. in l. Non solum 11, in pr. D. De in jur. §. 1, §. 12, D. De vi & de vi arm. juxta juris regaliam. Qui facit per alium, est perinde, ac faceret per seipsum, c. 72, De R. l. lib. 6.

Elegans hic quæstio incidit, utrum, si donatarius, cum manum in Titium duceret, in donatorem casu impegerit, revocari ob id possit donatio? Et viderur, quod sic, per text. in l. Eum qui 18, §. 3, D. De in jur. Si injuria, inquit textus, mihi fiat ab eo, cui sum ignotus; aut si quis putet me Lucium Titium esse, cum sim Gajus Sejus, præ valet quod principale est, injuriam mihi eum facere velle: nam certus sum ego, licet ille putet me alium esse, quàm sim, & idcirco injuriarum habeo actionem. Quem text. transferunt Dd. etiam ad homicidam, qui errore lapsus alterum, non inimicum suum, sed alium occidit, quod is nihilominus teneatur nec liberetur à pœnâ homicidii, sicut videre est apud Gomez, Var. resol. lib. 3, c. 3,

num 34. Contrarium verò sentit Ripa ad d. l. fin. q. 21. per eundem text. qui requirit, quòd donator ab ingrato donatio sit percussus. At verò donatarius ingratus dici non potest, ubi per errorem deliquit in donatorem, cum animum non habuerit eum percutiendi: si quidem voluntate & proposito distinguantur peccata, e. *Voluntate* 54, in pr. inf. De sent. excomm. Et l. *Qui injuria* 33, in pr. D. De furt. Quæ sententia verissima est.

Neq. obstat text. in d. § 3. quia injuria cum delictum privatum sit, sufficit animo deliquisse, etiam si in persona erratum sit. In nostrâ autem questione præter delictum requiritur & ingratitudo in donatorem. Neque, quòd de homicida dictum est, expediti juris est, cum sint, qui contrarium teneant, & quidem communiter, ut ex alio testatur Jul. Clar. in §. *Homicidium* num. 6, & Soar. in addit. ad Gomez d. loco. Putat enim hoc casu pœnam homicidii non ordinariam, sed extraordinariam, id est, mitiorem imponendam esse, ed quòd reus alium occidendo per errorem, non habuerit animum occidendi, qui omnino requiritur in homicidio, ut pœnæ ordinariæ sit locus, l. 7, D. Ad L. *Corn de sicar.* Quæ certè sententia æquior est, inspectâ hujus temporis consuetudine, qua non solet jus imponere pœnam homicidii, nisi re ipsa occiderit. At verò de juris rigore ordinaria pœna plectitur non solum is, qui occidit, verùm qui occidendi animo alium persequitur, §. 6, *Inst. De publ. judiciis.*

9 Secunda causa revocandæ donationis est, si donatarius donatorem atrocibus injuriis affecterit, textus hic, Et in d. l. fin. C. De revoc. donat. Intellige de de verbalibus injuriis; ut ita hæc causa distingatur à præcedente, quæ de reali injuria loquitur: nam alioqui atroces injuriæ etiam re ipsa inferuntur, §. 10, *Inst. De injur. Et d. l. 7, §. fin. D. eod.* Atrox autem injuria ex tribus æstimatur: vel ex persona injuriam passi, vel ex tempore sive loco, vel re ipsa. Ex persona, exempli gratia, si magistrati injuria fiat, aut viro senatorii ordinis, à persona humili; vel si parenti patronove à liberis vel libertis. Tempore sive loco, si cui in foro vel in theatro vel in conspectu Prætoris injuria inferatur. Re, si pugno aut alio instrumento quis lædatur, d. §. 10, Et d. §. fin.

10 Sed an una & sola atrox injuria, quæ verbis committitur, sufficiat ad revocandam donationem? Quod non existimo, cum text. *communiter*, Et in d. l. fin. C. De revoc. donat. loquatur de atrocibus injuriis, & sic utatur plurali numero; plura-

lis verò numerus duas ut minimum vices requirat, l. *Vbi numerus* 12, D. *de subj. Et l. inter illam* 217, §. un. D. De verb. sign. Accedit, quòd pœna interpretatione potius emollienda sint, quàm exasperanda, l. pen. D. De pœnis. Unde ad revocandam donationem una injuria, licet atrox, non sufficit, sed ut minimum geminata requiritur. Quod & observandum videtur in injuria à vasallo illata domino suo, ut si ea verbis facta fuerit, geminata ut minimum exigatur ad repetendum feudum, cum etiam text. in tit. 24, §. 23 lib. 2, *Feud.* plurali numero utatur. Nec movet, quòd in injuria, quæ re inferitur, unus actus sufficiat, ut constat ex causa 1, 2, 3, Et 4, hujus text. nostri, quia injuria, quæ re inferitur, magis deliberato animo fit, quàm quæ verbis; cum hæc plerumque in consulto calore effundantur, facit textus in l. un. C. Si quis Imperatori maled. Atque hæc rectè dicuntur, quòd attinet ad revocandam donationem, vel feudum: nam quoad injuriarum actionem, ea semper intentari potest, etiam ob unam & simpliciter injuriam; contra donatarium vel vasallum, per text. in l. 5, C. De injur. Et in l. item apud Labeonem 15, §. 27, D. De injur. cujus pœna est, quanti injuriam passus eam æstimaverit, juxta moderationem tamen ipsius judicis, §. 9. *Instit. De injur.* Et hoc, si civiliter agatur: si criminaliter, extraordinaria pœna reo irrogatur, §. 11. *jam d. tit.*

Sed ad tertiam causam revocandæ donationis transiamus, quæ hæc est, si donator grave damnum passus sit à donatario, text. hic, Et in d. l. fin. C. De revoc. donat. Quod tamen judicis arbitrio est relinquendum, qui æstimare debet, quale dicatur grave damnum, sicut ex Joan. Andr. tradit hic Ant. de Butrio Et sequitur Ripa ad d. l. fin. q. 24, Etenim cum æstimatio ejus à jure definita non sit, recurritur ad arbitrium judicis, sicut accidit & in aliis casibus, per text. in l. 1, §. fin. D. De jure delib. in l. 1, §. 1, D. De fruct. Et expil. in cap. 4, sup. De off. Et possi. jud. deleg. in cap. fin. sup. De transact. Et in cap. Peruenit 17, inf. De sent. excomm. Ex quibus juribus hæc generalis sententia eruitur, quòd ea, quæ certo modo à jure definita non sunt, censeantur relicta arbitrio ipsius judicis, ut is, inspectis circumstantiis personarum & causæ, modum statuat.

Sed quæstionis est, An etiam donatarius hæc pœnam incurrat, si tentaverit tantum inferre damnum? Quod videtur prima fronte, propter textum nostrum, dum his verbis utitur, inferre

presumpserit, quæ conatum denotant, etiam si effectus subsecutus non sit, ex sententia Panormit. hic sub num. 2. Idem videtur probare textus in Auth. *Quod mater C. De revoc. donat.* in verbo, *molestus*. Verum melius & æquius est, hoc casu damnatum non ex solo proposito, sed simul ex eventu æstimandum esse, per text. in d. l. fin. dum inquit, *vel iactura molem ex insidiis suis ingerat*, quæ verba utique effectum denotant. Quare hic textus similiter ita exaudiendus est, ut, quod hic obscurius dictum est, declarationem recipiat à jure simili, per text. in c. 1, §. 1, inf. *De norvioper. nunt.* Nam & alias in dubio verbum *presumpserit* cum effectu accipitur, ut in cap. 8, §. 1, in verbis, *celebrare presumpserit*, sup. *De dolo*, & *contum* in cap. 7, §. 11, ibi, *copulare presumpserit* inf. *De eo, qui cog. cons. uxor sua.* Eadem interpretatio retinenda est in d. Auth. *Quod mater*, in verbo, *molestus*, sicut rectè censet Ripa ad d. l. fin. *quæst. 25.* Facit quod eleganter inquit Ulpian. in l. 1, §. fin. *D. Quod quisque jurus*, &c. quod enim, ait, obfuit conatus, cum injuria nullum habuerit effectum; Ex. ceptis tamen atrocioribus delictis, in quibus quandoque solus conatus sumitur, velut in l. *Si quis 5. C. De Episc. & Cler.* in l. *Quisquis 5, in princ. C. Ad L. lul. majest. in l. 1. D. De L. Pomp. de par. ric. & in §. 6. Instit. De publ. jud.* de quibus latius in *Glof. & apud Dd. ad d. l. 5, C. De Episc. & Cler.* Verum id sit, quia lex directè etiam solum conatum coerceret, aliàs contrà in dubio, ut antè dictum est.

14 Quarta causa revocandæ donationis est, si donatarius vitæ donatoris fuerit infidius, text. hic in d. l. fin. nam & hæc legitima exheredationis causa est, c. 3, §. 5, Nov. 115. item privationis feudi, tit. 24, §. 2, lib. 2, Feud. Hæc accipienda est, licet mors non sit subsecuta: siquidem in periculo vitæ is dicitur versari, cui mors probabiliter imminet, non cui jam mors illata est, cum post mortem cesset periculum vitæ Ex quo fit, ut, si donatarius laboraverit tantum in instruendis insidiis, nondum tamen actu struxerit, quod donatio hæc ob causam revocari non possit, sed illud obtineat, quod ex Ulp. antè recitavimus, *quid enim obfuit conatus*, &c. Atque hæc sunt causæ revocandæ donationis hoc textu nostro expressæ. Qui tamen nos movere non debet, quod dicat de rigore juris hæc revocationem fieri, quasi de æquitate secus sit; sed intelligit rigorem juris scriptum, quod æquitate non scriptæ semper est præferendum, c. fin. sup. *De transact.* & l. *Prospexit 12, D. Qui & quibus manusi.*

His quinque revocandæ donationis causa adjicienda est ex d. l. fin. *C. De revoc. donat.* cum scilicet conditioni vel modo adjecto donationi non est paritum sive iatisfactum per donatarium; v. g. ut Romam eat, vel pensionem præstet singulis annis. Idque verum est in donationibus privatorum; diversum verò est, si Ecclesiæ vel alteri pio loco, sive Reip. facta sit, sicut sup. eod. ad c. 6, latius demonstravimus.

Et licet Justinianus in d. l. fin. apertè constituerit, non aliter revocari donationem, quam ex quinque causis supradictis; non tamen in eo persistunt Dd. nostri, sed duas alias adiciunt: unam, si donatarius denegaverit alimenta donatori egestate laboranti; alteram, si donatori post donationem factam liberi nascantur. Nec obstat d. l. fin. *tantummodò in d. l. fin.* quæ licet taxativa sive restrictiva sit, similes tamen casus non excludit, ex Dd. sententia, & probat text. in l. *Ob as alienum 12, C. De pradiis*, & *aliis reb. minor junctiâ l. Lex qua 22, C. De adm. tut. vel curat.* & *facit text. elegans in tit. 24, §. 2, lib. 2, Feud.* Quod tamen ita est exaudiendum, ubi de ratione legis constat; tunc enim licitè ad similes & majores casus transitur: per text. in d. §. 2, & in l. *Non possunt 12, cum l. seq. D. De legib.*

Itaque cum Justinianus in d. l. fin. revocandæ donationis hæc rationem adferat, ne donatoris frugalitati irrideatur à donatario; ob eandem rationem æquum certè est, ut, si donatarius non succurrat donatori egestate presso, revocari possit donatio: cum necare cenescatur is, qui alimenta non ministrat. l. 4. *D. De agnos. & alien. lib.* Et quamvis hæc lex 4 intelligatur de parentibus, qui naturali jure obligati sunt ad alimenta præstanda liberis, l. fin. §. 5, *C. De bonis qua liberis*, &c. tamen æquitate juris Canonici hæc nostra sententia juvatur in can. *Pasce 21, dist. 86.* Quisquis (inquit textus) pascendo hominem servare poterat, si non pavisti, occidisti. Atque hæc conclusionem receptiorem esse, & æquorem testatur Jul. Clarus in §. *Donatio quæst. 43, vers. quid ergò*, eamque sequitur Ripa ad d. l. fin. *quæst. 42. quem latius consulta.* Quam & notandam censet Panorm. hic num. 3. pro mulieribus, & maximè senibus, qui sæpè donant omnia fermè bona sua, & tandem negliguntur à donatario; quod scilicet propter alimenta subtracta revocari possit donatio. Quod tamen ita accipiendum puto, ut hoc casu non tota donatio, sed pro quantitate alimentorum repetatur, hæc ratione ductus: nam certum est donato-

remante donatæ rei traditionem non teneri ultra, quam facere possit, hoc est, deducto eo, ne cogeatur, *l. cum ex causa* 10. D. *De re iudic. iuncta l. in condemnatione* 173, in pr. D. *De R. l. ergo* nec post traditionem factam tenetur donatarius, nisi quatenus donatoris alimenta desiderant, *facit text. in c. Nobis* 25. in §. *fin. inf. De iure patron.* Arque hæc de alimentis à donatario non præstitis ipsi donatori; delibris post donationem susceptis dicam inferius.

Sunt autem prius quædam quæstiones dissolvendæ & removendæ: quarum prima hæc est, ¶
18 An collator beneficii Ecclesiastici possit collationem revocare ob ingratitude[m] eius, cui collatio est facta? Et rectè respondet Panorm. *hic sub num. 9.* quod non: cum collatio beneficii Ecclesiastici ex necessitate officii fiat, *per text. in c. 2. §. 1. sup. De concess. præbend.* ac proinde donatio dici non possit, cum hæc iure non cogente fiat, *l. Donari* 29 in pr. D. *De donat.*

19 Cui altera affinis accedit quæstio, An donatio remunerationis causâ facta, propter ingratitude[m] donatarii revocetur? Et verius est, non revocari, cum ea non tam donatio sit, quam remuneratio sive compensatio accepti beneficii, *l. Aquilius* D. *De donat. c. l. Sed c. si lege* 25 §. 11. D. *De hered. pet.* Panorm. *hic num. 11.* & Felin. *d. c. 13. num. 12 sup. De iud.* Quod tamen eatenus verum est, quatenus remuneratio donationis intra legitimum modum remunerationis consistit; cum sit quædam concurrentem quantitatem, vel æstimationem, *l. 4. C. De compensat.* Quare in eo, quod legitimâ subductione factâ compensationem excessit, revocabitur propter ingratitude[m].

20 Tertia quæstio est, Utrumne conveniri possit inter donatorem & donatarium, ne propter ingratitude[m] donatio revocetur? Et certum est, conveniri non posse, eò quod huiusmodi conventionem donatarius ad delinquendum in vitaretur, *per text. in l. Si unus* 27 §. 3. cum §. seq. D. *De pactis.* in §. in pr. D. *De pact. dot. c. in l. Generaliter* 26 D. *De verb. obl. c. ita* Vd. *hic communiter, teste* Ant. Gomezio *Var. resol. tomo 2. c. 4. sub num. 14.* & *sup. persequitur* Ripa *ad d. l. fin. quæst. 24.*

21 Cæterum ex hoc textu nostro notandum est, jus revocandi donationem ad heredem donatoris non transire, sed cum morte ipsius expirare; quemadmodum nec contra heredem donatarii competit ex Justiniani Constit. *in d. l. fin. C. De revoc. donat.* Et ratio est, quia hoc jus revocandæ donationis vindictam continet, propter illam in-

juriam donatori, *d. l. fin. vers. ex his enim tantummodo causis:* at verò vindicta iniuriæ neque heredi, neque in heredem competit, §. 2. *Inst. De perpet. c. temp. act. c. l. Injuriarum* 13. in pr. D. *De iniuriis.* Nisi donatarius artibus suis iudicium contra se instituendum differri procuraverit, tunc enim & in heredem hoc iudicium competit, *per text. in l. 10. §. fin. D. Si quis cause in iud. sist. causâ factâ. non obtem.* Idem quoad heredem donatoris restringunt communiter Dd. quando ipse donator scivit donatarium erga se ingratum fuisse, non si ignoraverit; idque indicat textus noster, *in V. tacuit:* cum is non censetur tacere, qui ignorat, cur taceat: & ibidem tradunt Joan. Andr. Imola & communiter Dd. teste Panorm. *jam d. loco.*

Restat, ut dispiciamus de revocandæ donationis, quâ & revocari donationem antè factam supra diximus. Probat id ipsum textus in *l. Si numquam* 8. C. *De revoc. donat.* qui textus etiam de donatione patroni in libertum facta loquitur; optima tamen ratione transfertur ad donationem à parentibus factam extraneo, sicut latè docet Tiraquel. *ad d. l. 8. in præfat. circap. c. Ant. Gomez. cit. loc. num. 10.* ubi & receptam apud Dd. hanc sententiam asserit. Quæ hac ratione nititur, quod scilicet hæc donatio ex tacita & præsumpta voluntate donatoris præsumatur habere annexam hanc conditionem, nisi liberi nascantur: cum verisimile sit, donatorem, si putasset se habiturum liberos, hos minimè postposuisse extraneis, sed omni modo eos prætulisse, *arg. textus elegantissimi in l. Cum acutissimi* 30. C. *De fideicom. in l. Cum avus* D. *De condit. c. demonstr.* & in *l. Generaliter* 6. §. *fin. C. De instit. c. substit.* Dixi, extraneo, id est, non descendenti: nam si alteri ex liberis descendenti facta sit donatio, tota non revocatur, sed tantum quoad legitimam liberorum subsidium, id est, quoad legitimam suam, *l. 1. c. tota sit. C. De inoffic. donat.* nam hæc species cessat prædicta ratio. Quare & idem iuris erit, si donatio fuerit facta extraneo, sed liberis donatoris superstitibus, quod scilicet hæc donatio non retractetur, nisi quoad legitimam liberorum, *per text. in d. l. 8. C. De revoc. donat.* quia & hoc casu cessat prædicta ratio. Unde sit etiam, quod si donator tempore donationis cogitaverit de futuris liberis, donatio quoque non revocetur, sed liberi subsequentes recurrere debeant solummodo ad querelam inofficiosa donationis, ut legitimam suam consequantur, sicut eleganter tradit Tiraq. *ad d. l. 8. in præfat. num. 63.* utpote cessante ratione legis cessat ipsa lex, *l. 6. §. 1. D. De iure patron.* Et, quod dona-

donatio facta extraneo revocetur per nativitatem liberorum, usque aded obtinet, etiamsi ea Ecclesia facta sit, per text in can. *fin. xy. q. 1. 4.* ubi in fine, inquit, textus: in potestate habebat Episcopus non reddere, (scilicet res donatas Ecclesie) sed jure fori, non jure poli, id est, cœli. Quasi in foro exteriori hæc donatio revocari non possit, sed bene

quoad conscientiam; quod certè valdè torquet Dd. uti videre est apud Did. Covarr. & quos ipse citat lib. 1. *Var. resol. c. 19. num. 5.* sed puto jure poli accipiendum esse, propter vitandum scandalum, quod, nisi redderentur res donatæ, imminebat Ecclesie donatarie, sicut ex verbis Gratiani d. can. *fin. subjectis colligitur.*

Ad Tit. XXV. De peculio Clericorum, vide Summam Juris Canonici, lib. 1. tit. xxxi. & quæ dicuntur ad Tit. seq.

IN TIT. XXVI. DE TESTAMENTIS ET ULTIMIS VOLUNTATIBUS.

SUMMARIA.

1. Testamentum undè dictum.
2. Testamentum quid.
3. Testamenti factio cuius sit juria.
4. Hereditatem vel aliam rem ex testamento quasitam an Princeps auferre possit?
5. Testamentum semper est revocabile.
6. An & testator jura veris se nolle revocare vel mutare voluntatem suam?

Varia hoc Tit. traduntur, quæ vel jure civili prodita non sunt, vel ab eo planè dissentiant, aut certè sunt singularia: ideoque non inanem operam lusuri sumus, si singula diligenter, & quantum fieri potest, accuratè explicemus. Itaque cum inscriptio hujus Tituli duo contineat, testamenta scilicet, & voluntates; per testamenta intelligit, ubi quis scripto, vel non scripto, id est, per nuncupationem heredem directè instituit; ultimam voluntate codicillos, & donationem causam mortis complectitur. Nam tamen si testamentum etiam ultima voluntas sit, nihilominus voluit hic §. Pont. specialem ejus mentionem facere, quòd testamentum sit potissima & præcipua ultima voluntas, de qua passim hic tractatur.

Igitur testamentum, si notionem ejus spectes, deductum est à testatione mentis, auctore Justiniano, tit. *Instit. De testam. ordin. §. 1.* non quòd vox testamentum ex his duabus dictionibus constata sit (siquidem vox simplex est, non composita) sed quòd derivata sit à testatione, cui vocula *mentis* adjecta est, majoris declarationis causam: quasi dicere voluerit Justinianus, testamentum ex eo appellatum esse, quòd sit testatio mentis sive voluntatis nostræ. Quod idem contingit & in novatione, quæ auctore Ulp. in l. 1. *D. De novat.* similiter dicta est à nova obligatione; cum tamen &

novationis nomen sit simplex, à novo deductum: sed obligationis verbum additum fuit apertioris significationis gratiâ. Hæc idcirco adfero, ut Imp. nostrum Justinianum vindicem ab eorum injuria, qui testamentum à testatione mentis non magis deduci putant, quàm calcamentum, salamentum, & ornamentum; sed falluntur, cum his repugnet significatio mentis.

Quoad definitionem sive descriptionem testamenti attinet, hanc tradit Modestinus in l. 1. *D. Qui testam. fac. poss.* quòd sit voluntatis nostræ iusta sententia de eo, quòd quis post mortem suam fieri velit. Quæ definitio nonnullis imperfecta videtur, eò quòd & codicilli eadem contineri videantur. Sed facilè excluduntur per voculam, *iustam*, id est, solemnem, videlicet septem testibus adhibitis, unicoque contextu factam, & c. de quibus d. tit. *Instit. De testam. ord. & in l. Hac consultiissima 21. in pr. & passim C. De testam.* Nam & Papinianus in l. 1. *D. De injusto rup. irr. facto test.* testamentum non jure factum interpretatur, in quo solemnia deficiunt: ita quòd testamentum injustum sive non jure factum, & non solemne pro eodem accipiantur. Ut hinc rectè codicilli ab hac definitione excludantur, quia nullam solemnitatem desiderant, §. *fin. Instit. De codicil.* tamen si in illis conficiendis quinque testes intervenire necesse sit, ut est text. in l. *fin. C. De codicil.* Verùm non tam id solemnitatis causam sit, quàm majoris probationis, ut rectè censet Ant. Continus ad d. §. *fin. & probat. socius in l. fin. C. De fideicom. in §. fin. Instit. cod.* quibus locis fideicommissa & legata à testatore relicta in codicillis, etiam nullo teste adhibito, probantur per juramentum ipsius heredis gravati: quod utique minimè admittendum esset, si in codicillorum confectioe necessariò requirerentur testes. Adde, & per *iustam sententiam* intelligi perfectam, hoc est, quæ simul & heredis institutionem continet:

tinet : nam hæc basis & fundamentum est testamenti, aded ut, si ea omiſſa fuerit, testamenti causa tota corruat, *l. fin D De iure codicill. & § in primis 3, Instit. d. 1 De fideicom. hered.* Sic apud Juris. in *l. Quod Servius 8, D De condi. caus. dat. non sec.* dicitur sponsa iusta ætatis, quæ perfectos annos habet, ut nubere possit. Ut & hac interpretatione admissa codicilli rectè remoucantur à definitione testamenti ; cum hi minus perfecti sint, quippe hereditas codicillis directè relinqui non potest : quamvis per fideicommissum, id est, indirectè possit, videl. Quisquis mihi heres erit ab intestato, hereditatem meam statim, vel post mortem suam restituat Titio, vel alteri, §. 3, *Instit. De codicill. & l. Scævola 76 D Ad S. C. Trebell.*

³ Luber hic, antequam textum nostrum aggrediar, atterere hanc quæstionem, An testamenti factio sit juris gentium, aut juris civilis ? Cujus inspectio insignis est, si Julio Claro credimus in §. *Testamentum quæst. 1*, Ut, si juris civilis sit, Princeps auferre possit res alteri quæ sitas ; si juris gentium, nequaquam, §. *Sed naturalia Instit. De iure nat. gent. & civili.* Igitur hi, qui testamenti factionem, id est, facultatem condendi testamentum, à jure gentium introductam voluit, necesse est, id probent vel ex variarum gentium historiis, vel lege antiquâ id adserente, vel saltem ratione aliqua naturali, quæ apud omnes gentes peræquè viget. Nam illud est juris gentium, quod omni humano generi commune est ; vel quod naturalis ratio inter omnes gentes constituit, §. *Quod verò 2, & §. Ius autem gentium 5, Instit. d. 1.* at verò nihil horum probant. Imò videtur quodammodò pugnare cum ratione naturali, ut quis de rebus suis statuere possit in id tempus, quo amplius futurus non est dominus : siquidem testamentum non prius habet effectum, quàm post mortem testatoris, sicut constat ex definitione testamenti, & ex *c. Cum Martha 6 vers. novissimum inf. De celebrat. Miss.* Ubi enim testamentum est, inquit divus Paulus *ad Heb. 9, c. vers. 16*, mors necesse est intercedat testatoris. Unde dispositio testatoris licet tempore idoneo, vivente scilicet adhuc testatore, facta sit, tamen cum eius effectus conferatur in tempus inidoneum, quo scilicet testator rerum suarum dominus esse desinit, non videtur rationi convenire, ut mero iure valeat testamentum, arg. *l. Quod sponsa 4, C. De donat. ante nupt.* sed tantummodò sustinetur ex permissione iuris, uti paulò post fusius dicitur. De lege aliqua, quæ dicitur testamenti factionem esse iuris gentium, nihil planè ostenditur, & ne quidem testamenti me-

minat Juris. in *l. Ex hoc iure 5, D De inst. & iure, ubi recenset ea, quæ sunt iuris gentium, licet non omnia ; saltem si testamentum esset iuris gentium, illud non præterisset, cum eius ulus & tunc temporis frequentissimus erat apud Romanos, ita ut mole sua magnam partem iuris nostri occupaverit. Adfertur quidem ab aliquibus de milite, quòd hic possit deportatum testamento suo heredem instituere, *per text. in l. Neque eum 13, §. 2, D. De testam. milit.* idque non alio iure fieri existimant, quàm iure gentium : siquidem deportatus iure civili heres scribi non potest, *l. 1 C. De hered. instit.* Sed hi non rectè inde colligunt testamenti factionem esse iuris gentium : nam quòd deportatus à milite heres institui possit, non à pagano, id fit ex concessione iuris civilis ; quemadmodum & multa eodem iure contra iuris communis regulas militi permittitur, ut videre est sub tit. *C. & Instit. De testam. milit.* Et certe si ideo à milite deportatus rectè institueretur heres iure gentium, quare non item à pagano ? cum ea, quæ iuris gentium sunt, non solum militibus & deportatis, sed & cæteris hominibus sint communia, *l. Quisdam 17, §. 1, D. De pen. iuncto § 1, & §. Ius autem 5, Instit. De iure nat. gent. & civ.* Neque his adversatur text. in *l. 1, C. De sacros. Eccles.* dum, inquit, nihil magis hominibus deberi, quàm ut supremæ voluntatis liber sit stylus, & licitum, quod iterum non redit, arbitrium : quia non respicit ad ius gentium, quasi eo iure libertas testandi introducta sit, sed magis ad Legem XII. Tabb. quæ primò omnium introducta fuit testamenti factio, ut restantur verba Legis XII. Tabb. apud Pomponium in *l. Verbis D. De V. S. Verbis Legis XII. Tabb. his, inquit, Vti legas sis sua res, ut ius esto.* latissima potestas tributa videtur & heredis instituendi, & legata relinquendi, tutelas quoque constituendi. Nec movet quoque, quod obiciunt de Abraham Patriarcha, qui cuncta, quæ possederat, dedit Isaac filio suo, *Gen. 25.* quia non inquit, in testamento, sed simpliciter utitur verbo *dedit*. Quare certius est, testamenti factionem à iure civili esse inventam, & introductam, idque ex Legge XII. Tabb. cuius iam meminimus ; nam & hinc testamentum publici iuris dicitur in *l. 3, D. Qui testam. fac. poss.* non solum quoad formam & solemnitatem testandi, verum etiam quoad personas testantium : nec enim cuilibet permissum est facere testamentum, sed quibus id à iure conceditur, ut constat ex tit. *Instit. Quib. permif. est facere testam. & ex tit. D. & C. Qui testam. fac. poss.**

4 Cum igitur hæc explorati juris sint, consequenter videamus, an verum sit, quod hinc elicit Jul. Clarus, Principem scilicet posse hereditatem vel aliam rem ex testamento quæritam auferre? Resp. Hoc absurdè colligi, cum refragetur textus in l. 3. *Et in l. Si testamentum 10. C. d. tit.* Nam licet modus acquirendi per testamentum sit juris civilis, quemadmodum & per usucapionem sive præscriptionem, *l. in pr. Et ibi Gl. D. De acquir. rer. dom. nihilominus dominium quoquo modo mihi acquisitum legitime est juris gentium, d. l. 5. D. De just. Et jure,* & consequenter mihi invito per Principem auferri non potest, *d. l. Id quod nostrum Et l. 2. C. De in jus vocan.* Nisi fortè ex necessitate vel justa causa, quæ postularerem alteri auferri, quod hæc specie licet Principi, *per text. in l. Item si verberatum 15. D. De rei vindic. Et in l. Lucius 11. D. De evict. sed restituito pretio rei domino, l. 2. Et 3. C. Pro quib. caus. propriam libert. accip. Andr. Gail. 2. obs. 56. num. 8.* Unde quod dicitur in §. *Sed naturalia Instit. De jure nat. gen. Et civili Et locus similib. Principem legelata posse ea tollere, quæ sunt juris civilis, exaudiendum est de ipso jure civili, quod antea latum fuit, ut is possit illud tollere sive abrogare auctoritate suâ, in futurum, non autem in præteritum, antequam scilicet dominium, aut jus aliquod ex eo mihi quæsitum est, per text. singularem in d. l. 4. C. De emanc. liber. Et in Novel. 115. c. 1.*

5 Neque hinc prætereundum est, testamentum semel ritè perfectum posse ab eodem testatore semper, & quoties placuerit, revocari, sive illud incidendo, sive signacula removendo, *l. penult. C. De testam. Et l. 1. §. 3. vers. Et si quidem. D. De his, quæ in testam. delent. sive & aliud posterius testamentum condendo, vel etiam simpliciter contestando, testamentum suum nolle valere, dummodò id præsentibus tribus testibus fiat, aut actis intervenientibus, cum decursu triennii, l. Sancimus 27. C. eod. Et §. Posteriore 2. Inst. Quib. mod. testam. infirm. quia ambulatoria est testatoris voluntas usque ad supremum vitæ exitum, l. 4. D. De adm. legat. Et l. Cum hic status 32. §. 3. D. De donat. inter vir. Et uxor. Ad eod. ut, licet testator in priori testamento expressè caverit se nolle mutare vel revocare testamentum, nihilominus tamen ab eo recedere possit; cum nemo sibi imperare, aut imponere possit legem, à qua non queat discedere, l. Si quis in principio 22. in pr. D. De legat. 3. Ubi tamen hæc clausula adjecta est in testamento, non aliter postea conditum sustinebitur, quam si expressè huic clausulæ derogatum fuerit à testatore in posteriori*

testamento, videlicet eam revocando vel annullando, *d. l. Si quis, in princ.*

Sed quid si testator juratus in priori testamento eandem clausulam adjecerit de non revocando vel mutando? Et magis est, adhuc posse testatorem mutare seu revocare testamentum suum, nihil impediens clausulâ illâ juratoriâ, ex Bartoli sententia ad *d. l. Si quis num. 14. in fine,* quæ & communi calculo recepta est, teste Imola in *c. Cum contingat 28. num. 35. sup. De jurejur.* Interim testator, mutans vel revocans tale testamentum, perjurii crimine se obstringit, propter violatum à se juramentum, præstitum Deo, cui juratum est, *per text. in d. c. Cum contingat, in fine, juncto c. De bitores eod. tit. Et c. 2. De pact. lib. 6,* ubi loco regulæ traditur, quòd toties juramentum sit servandum, quoties in alterius præjudicium non redundat, nec vergit in dispendium salutis æternæ. Ratio autem, quare testator mutare vel revocare possit hoc etiam casu testamentum, hæc redditur, quòd hæredi instituto, vel aliis in testamento scriptis, nullum ante testatoris mortem jus quæsitum sit, *d. c. Cum Marthe vers. novissimum inf. de celebrat. Miss. Et d. c. 9. ad Hebr.* Non igitur impeditur testator vivens recedere à priori sua voluntate, licet jurata, quamvis non sine perjurii nota, ut dixi; ac proinde absolutionem à juramento petere tenetur, quemadmodum communiter receptum esse tradit Jul. Clarus §. *Testamentum quasi 74. vers. sed numquid testator, Et facit text. opt. in c. Sicut ex literis 22. §. fin. inf. de spons. Et matrim.* Nec movet textus in *l. Stipulatio hoc modo 61. D. De verb. obl. Et in l. 4. C. De inut. stipulat.* quibus locis improbatæ stipulatio sive pactio, in qua quis adstringit se ad certam personam instituendam, eo quòd sit contra bonos mores. At verò juramentum contra bonos mores præstitum nullius est momenti secundum juris regulam: Non est obligatorium contra bonos mores præstitum iuramentum, *c. 58. De R. l. in 6. Et Auth. Quod eis C. De nupt. quia exaudiendi sunt,* ubi quis alterum obstringere vult per stipulationem vel pactum, ut se heredem instituat, quòd bonis moribus adversum est, utpotè avarum, captiosum, ambiciosum, vel pugnans contra libertatem testandi. Quod non est in proposito casu, quo testator liberè testamentum fecit, nullo contractu vel pactioe adactus: & sic liberam adhuc sibi retinet facultatem idem testamentum vel mutandi vel revocandi. Imola *d. num. 35. & Covarr. ibid.*

In Cap. primum, juncto c. Cum in officiis 7. 8. & 9.

SUMMARIUM.

1. Episcopi & Clerici de quibus rebus disponere possint, vel non.
 2. An aliquid proprii possideant.
 3. Clericorum bona in dubio presumuntur quasi a ex redditibus Ecclesie.
 4. Penes Clericum defunctum inventa qualia censenda, propria, an Ecclesie.
 5. Si non constet eum propria bona habuisse, interpretatio pro Ecclesia est faciendā.
 6. Nisi probetur ea ad Clericum titulo privato pervenisse, à parentibus sorte vel consanguineis, &c.
 7. Quid si ab extraneo relicta sint?
 8. Consanguinei ad quorum gradum accipiendi.
 9. Acquisita artificio aut doctrinā sunt propria Clericorum.
 10. Leditio restituta in can. Episcopus XII. quæst. 2.
 11. Clericus filiusfam. an testari possit de bonis in clericali gradu acquisitis?
 12. An in iisdem bonis praterire liberos vel parentes?
 13. De acquisitis ex fructibus beneficii Clericus disponere nequit.
 14. Nisi in piā causam & usum pauperum.
 15. Quod & in simplici beneficiato obtinet.
 16. Clerici utrum sint verè domini fructuum beneficii.
 17. Acquisita ex redditibus Ecclesie an ipso jure Ecclesie cedant?
 18. An valeat consuetudo testandi de fructibus sive redditibus Ecclesie.
- S**ententia hujus Capituli hæc est, quòd Episcopus de bonis constante Episcopatu suo acquisitis testari non possit; secus de iis, quæ antea uti propria possedit. Facti species hæc breviter proponitur. I. Atellanæ civitatis Episcopus testamento suo nuntium, id est, filii uxorem, ex octo unciis, & Ecclesiam suam ex reliquis quatuor unciis heredes instituerat. Quo intellecto S. Pont. mandat Antonio Subdiacono, ut hac de re diligenter inquirat, & si quid Episcopum habuisse cognoverit, id repetat à possessoribus; excepto eo, quod eundem Episcopum ante Episcopatus ordinem proprium possedisse constiterit.
- Quæ certè decisio S. Pont. prorrahenda est & ad ceteros Clericos cujuscumque ordinis, ut nec hi de rebus quæ suis post susceptum ordinem clericalem possint testari; nisi & ex ipsis propriæ doceantur, c. 1. c. 2. sup. De pecul. Cleric. juncto c. Cum in officiis 7. cum duob. seqq. inf. h. s. Ut hinc constet,

Episcopos, aliosque Clericos posse licitè possidere & retinere bona propria; quod & probat textus in can. Episcopi 9. cum can. seq. XII. quæst. 1. can. 1. & 2. end. quæst. 3. c. Quia nos 9. & c. Relatum 12. h. tit.

Neque obstant textus in can. Clericus 5. cum ali. quot. seqq. ead. qu. 1. quibus Clericis interdictum est aliquid possidere proprii, propterea quòd in sortem Domini sint vocati, nihilque præter Dominum habere debeant; quia hi textus referendi sunt ad tempora primitivæ Ecclesie, veluti jam inde ab Apostolis usque ad ætatem divi Augustini, quibus magis vigeat Clericorum fervor quo certè deservescere, permissum est Clericis bona propria possidere, sicut constat ex can. Certè 18. & d. c. 19. XI. qu. 1. Imò eò decursum est, quòd Clericus habens beneficium Ecclesiasticum, & simul patrimonium, possit in usus proprios redditus beneficii sui convertere, reservatis sibi bonis propriis, ut auctor est Innoc. IV. ad c. Episcopus 4. sup. De prob. per text. in c. Cum secundum 16. eodem tit. quam Innocentii sententiam communi calculo probant, & sequuntur alii Interpretes, restib. Panorm. & Desio ad d. c. 4. Etenim dignum est, ut qui servit altari, de altari quoque stipendium ferat, d. c. 16. in pr.

Ut igitur ad decisionem textus nostri redeamus, ex eo constat, Clericorum bona, si quæ habeant, præsumi in dubio acquisita esse ex redditibus Ecclesie sive beneficii. Idem liquet ex Nov. vel Justiniani 131. c. 13. Quo fit, ut ipsis Clericis, sive eorum heredibus, contraria incumbat probatio, ea scilicet esse patrimonialia, vel alias respectu personæ suæ Clericis obvenisse: nam præsumptio ejus naturæ est, ut rejiciat probationem contrariam in adversarium, l. Non est verisimile 23. in pr. D. Quod metus causâ gest. l. Si filius 8. & l. Si chirographum 24. D. De probat.

Sed major addubitatio est, si certè constet, Episcopum vel Clericum ante receptionem Episcopatus, sive beneficii sui, bona propria habuisse, an ea omnia, quæ tempore mortis penes se reperiuntur, censeri debeant esse propria, an etiam respectu sive occasione Ecclesie acquisita? Et quidem hæc de re extat textus in can. 1. XII. quæst. 4. quòd eo casu inter Ecclesiam & defuncti heredes debeant æqualiter dividi, ubi scilicet redditus patrimonii, & Ecclesie sive beneficii Ecclesiastici æqualiter concurrunt; alioqui juxta quantita-

fem congruentem divisio accommodanda erit; quod exemplo illustrandum erit. Fingamus enim Clericum habere beneficium 300. aureorum, item redditus patrimoniales 100. Prius detrahentur sumptus, quos Clericus in se honestè exhibendo impendit, puta 100. aureos; hic enim omnino detrahendi sunt, tamquam stipendium Clerico debitum, *d. c. 16. & can. fin. l. q. 2.* Restant igitur utrimque 200. aurei, ex quibus res comparata esse censentur; & subsequenter æqualiter dividendi erunt inter Ecclesiam & heredes Clerici defuncti. Eadem subdixio in eunda erit, ubi inæquales sunt redditus patrimoniales & beneficij Ecclesiastici, *quemadmodum latius deducit Panorm. ad c. 3. sup. De peculis Cleric.*

5 Igitur ubi incertum est, an Episcopus vel alius Clericus bona propria habuerit, interpretatio fiet pro ipsa Ecclesia, quasi nihil in bonis habuerit antè Episcopus vel Clericus, *per text. nostr. & in d. c. 3. junctâ ibid. Cl. Idque videtur receptum esse in favorem ipsius Ecclesiæ, ne ipsa forte in dubio afficiatur damno; & in odium ipsius Clerici, eò quòd inventarium suorum bonorum conficere neglexerit, can. 1. xii. qu. 4. can. Manifesta 20. cum o. seq. xii. qu. 1. & can. De Syracusanis 13. dist. 28.*

6 In quo tamen cognitione opus erit, datâ adversâ parte, ne inauditâ causâ injuria ipsi fiat, *can. l. xii. q. 5. junctâ l. De unoquoque 47. in pr. D. de re jud.* Fortasse enim docere poterit, bona, de quibus contenditur, pervenisse ad ipsum Clericum privato quodam titulo, puta ex testamento parentum, aut aliorum consanguineorum, vel ex legitima successione, sive legato, sive donatione propinquorum: nam hæc omnia personæ ipsius Clerici, non Ecclesiæ imputantur, atque idcirco licet ab eodem Clerico in testamento, vel ab intestato ad heredes suos transmittuntur, vel alio quolibet titulo rectè alienentur, *d. c. Quianos, c. Relatum 11. & c. Requisisti 15. in f. h. t.*

7 Dixi, parentum, consanguineorum sive propinquorum; nam si ab extraneo hujusmodi relicta aut donata sint, distinctio hæc adhibenda erit, ut si Episcopo, Parocho vel alteri Clerico administrationem Ecclesiæ gerenti, quòd tunc in dubio censentur Ecclesiæ relicta vel donata: si aliis Clericis, respectu tantum personæ censentur relicta; ita ut, si absque ullo discrimine à propinquo, vel ab extraneo donata vel relicta sint, ea sibi vindicare possint, exclusâ Ecclesia, *d. c. 15. vers. si ab extraneo & l. Annus 20. §. 1. D. De annuis leg.* Sed cur tam variè? Opior, quòd in Episcopo, vel alio administratore, Ecclesiæ major ratio fuerit

habita dignitatis vel officii, quàm personæ, *d. §. 1.* In Clerico verò simplici nihil aliud occurrit, quàm quòd is de defuncto vel donatore bene meritus sit, aut hujusmodi familiaritatem contraxerit, quæ defunctum vel donatorem moverit ad relinquendum aut donandum, *can. 2. & 3. xii. qu. 3.* Et hæc, cum in dubio ita præsumantur, contrariâ probatione refelli possunt. Unde quo casu aliquid relictum vel donatum Ecclesiæ dicitur, possunt heredes contrarium probare, & eandem rem justè sibi vindicare; quemadmodum & contrâ, ubi Clerico intuitu personæ suæ aliquid donatum vel relictum esse dicitur, admittitur Ecclesia ad probandum contrarium, *per text. in d. c. 15. vers. si vero loquitur. per text. in l. 47. D. De legat. 1.* Atque hinc fit, ut si aliquid donatum vel legatum fuerit Episcopo vel Parocho alicujus Ecclesiæ ab extraneo, qui illi diuturnâ & magnâ familiaritate conjunctus erat, idque legitime probatum fuerit, cesset contraria juris præsumptio, & legatum sive donatum debebitur ipsi Episcopo vel Parocho, non verò Ecclesiæ. *Panorm. ad d. c. 15. num. 15. Baldus ad Auth. Licentiam nu. 2. C. De Episc. & Clericis, & facit textus elegans in l. Nemo dubitat 58. §. 1. De hered. instit.*

Sed quòd supra diximus de consanguineis, ad quorum gradum hos consanguineos accipiemus? Et constat ex Novel. Justiniani 131. c. 13. & d. Auth. Licentiam, usque ad quartum gradum; cum ad eum tantum gradum jus naturalis dilectionis veriùs præsumatur, quàm in quinto vel inferiori gradu, idque & communi sententiâ receptum tradit Imola *ad d. c. 15. num. 33.*

Quibus & hoc adjiciendum est, quòd ea, quæ honesto artificio aut doctrinâ suâ acquisiverunt Clerici, etiam constante clericatu, similiter inter Ecclesiæ bona referri non debeant, sed propria sint ipsorum Clericorum, adeoque arbitrato suo de ipsis possint disponere, *per text. in can. 2. xii. q. 3. & in d. c. 9. & in c. 12. vers. ceterum in f. h. t.* Exemplum sit in Professoribus & similibus. Dixi, honesto artificio; propter ea, quæ tradit Navarr. in *Com. de spol. Cleric. §. 7. nu. 4. cum seq.* ubi docet ea, quæ ex negotiatione illicitè, vel aliis modis contra Canones à Clericis conquisita sunt, reservata esse Papæ. Nec movet text. *in c. 5. in f. De heret.* nam ibi per extraneos heredes hæretici intelliguntur, *juxta Gloss. ibid. communiter receptam, teste Covarr. hic num. 3. circa finem.*

Neque impedit textus in *can. 34. xii. quasi 2. E-*

piscopus, inquit textus, qui filios aut nepotes

non habuerit, alium quàm Ecclesiam non relinquat heredem: nam hic textus malè à Gratiano insertus Decreto suo, optimè restitutus est à Gregorio XIII. in notatione ad eundem textum dum ex originali impresso, & manuscripto ita reponit: *non habens alium quàm Ecclesiam, reliquit heredem. Si quid, &c.* Poterit igitur Episcopus quem vult heredem in bonis suis instituere, quemadmodum & ceteri Clerici, *c. Sint manifesta 21, xii. quæst. 1, c. 2, xii. quæst. 3, & d. c. 9, inf. h. tit.*

11 Hic duplex incidit quæstio, An Clericus filius familias testamentum condere possit, non obstante patriâ potestate, de iis bonis, quæ constante clericali utpote propria acquisivit? Altera est, An in iisdem bonis impunè præterire liberos, vel parentes suos, ita quòd ex eorum præteritione testamentum non iurimetur? Quod ad priorè quæstionem attinet, expressè juris est, id Clerico licere, licet adhuc patriâ potestate contineatur: quippe ea bona inter quasi castrensia recensentur, *Auth. Presbyteros C. De Episc. & Cler. junctâ l. fin. C. Qui testam. fac. poss.* Et quæ magis Episcopo licebit, qui & propter Episcopalem dignitatem patriâ potestate solutus est, *Auth. Sed Episcopalis C. eod. tit.* Et cum hæc bona inter quasi castrensia recensentur, consequens est, ut nec ususfructus patri acquiratur, *per text. in l. 6, C. De bonis, quæ liberis in potest. const. &c.* Loquitur verò de bonis à Clerico acquisitis non ex redditibus Ecclesiæ sive beneficii sui, de quibus paulò pòst; sed quæ intuitu personæ suæ acquisivit, sicut supra explicavimus.

12 Quo verò ad alteram quæstionem, constat quidem ex l. fin. C. De inoff. testam. & ex l. 34. C. De Episc. & Cler. permissam esse Clerico hanc præteritionem liberorum & parentum; sed an illud jure Novellarum correctum sit, *Novell. 115. c. 3.* inter Dd non convenit: siquidem controvertunt, quo sensu accipienda sint in d. *Auth. Presbyteros*, hæc verba, *Sic tamen, ut horum filii, aut, his non extantibus, parentes eorum legitimam serant partem*; an scilicet his verbis legitima sit relinquenda filiis, sive parentibus jure institutionis, an verò, si præteriti sint, petere eam debeant conditione ex d. *Auth.* Et certè propius est, legitimam jure institutionis relinquendam esse. Moveor aperto textu in d. c. 3, & c. 4. quibus locis liberis interdicitur, ne in iis bonis, in quibus testamenti condendi potestatem habent, filios suos, aut parentes absque legitima causa prætereant, aut exheredent, sed eos heredes instituant.

Nec obstat textus in d. c. 9, *inf. h. tit. in verb. liberè disponere valeant*, quo motus Panorm. ibid. putat testamentum Clerici non infirmari ob præteritionem filiorum, vel parentum: idque confirmat argumento ducto à milite sæculi ad militem Dei, id est, Clericum: nam ille hoc privilegio utitur, quòd licitè possit filios vel parentes suos præterire, *per text. in l. Sicut certi 9 C. De testam. milit. §. 7, Inst. de exhered. liber.* Sed fallitur Panorm. nec enim rectè sequitur: Clericus potest liberè de his bonis disponere, ergò & præterire liberos, & parentes. Verùm subaudiendum est, dum ea adhibeat, quæ alias ad testamenti confessionem necessariò requiruntur, *per text. in l. Generali 13, C. de SS. Eccles.* Inter cætera autem, inquit Cajus Jurisc. quæ ad ordinanda testamenta necessariò considerantur, principale jus est de liberis heredibus instituendis, vel exheredandis; ne præteritis iis rumpatur testamentum, *text. est in l. 30, D. De liberis & posth.* Idem est de parentibus instituendis vel exheredandis, d. c. 4. Sed neque movet Panorm. argumentum à milite sæculi deductum: nam præterquam quòd pugna non careat, an miles sæculi hodierno jure possit liberos & parentes suos impunè præterire, propter text. in d. c. 1, cum duob. capp. seqq. non tamen rectè inefficitur, Clericum licitè præterire posse in testamento suo liberos, & parentes; cum plura privilegia indulta sint militi in expeditione degenti, quàm Clerico, sicut constat ex tit. *Infir. & Dig. de mil. testam. junctâ d. l. 3.*

Cæterùm regrediendo ad textum nostrum, in d. c. 1 ejus decisio, & similibus capp. non tantum locum habet in fructibus, redditibus, & aliis rebus immediate ratione Ecclesiæ sive beneficii Ecclesiastici acquisitis, quas certum est à Prælato, vel alio Clerico ex testamento, vel ab intestato ad heredem transmitti non posse, verùm etiam, quæ ex iis comparata sunt suo, vel alieno nomine: adeò ut, si secus fecerint, crimen sacrilegii incurrant, & Judæi proditori similes habeantur, *per text. in c. 4. sup. de pecul. Cleric. in can. 3, xii. quæst. 4.* Quippe Episcopus, ceterique Clerici id tantummodo juris habent in bonis Ecclesiæ, ut ex eorum redditibus honestè vivant, sumptusque faciant necessarios, & qui conveniant statui eorum, *can. Episcopi 19. can. Ex his 21. cum can. seq. xii. quæst. 1 & in princ. dist. 44.* ubi refertur illud Hieronymi: *Tibi, ô Sacerdos, vivere de altaris permittitur, non incurrari.* Et D. Bern. Episc. 1. Denique, inquit, quidquid præter necessarium victum, & simplicem vestitum de altari

retinet,

reines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est. Citat Covarr. in c. 7, num. 7, inf. eod.

14 Non tamen prohibetur Clericus reditus beneficii sui erogare in piam causam, maxime in pauperes, secundum illud, *Luca 1, vers. 41*. Quod superest, date eleemosynam, sive illi, qui eleemosynam recipiunt, consanguinei sint, sive alii, c. *Ad hac, d. e. Relatum 12, inf. eod. & can. Quisquis 19, q. 2*. Hinc Ecclesie bona dicuntur Christi patrimonium in c. *Ex eo 34, De elect. lib. 6*, item bona Dei, in d. *can. 19*. Unde & Conc. Trident. *sess. 25, cap. 1, in decr. de reform. sanctissime cavit, ne Cardinales, Episcopi, alique beneficia Ecclesiastica obtinentes, consanguineos, familiaresve suos ex redditibus Ecclesie augere studeant: cum Apostolorum Canones (addit idem Conc.) prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quae Dei sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant. Quare cum haec in omnibus Clericis obtineant, rejiciendum est plane discrimen Glossae in c. *ult. in V. reservari De officio ordin. lib. 6*, quo loco putat haec non procedere in simplici beneficiato, sed tantummodo in eo Clerico, qui administrationem Ecclesie habet; siquidem nulla ratio diversitatis hoc discrimen suadet. Nam & ex eo sequeretur, quod simplex beneficiatus de fructibus beneficii sui testari possit, vel eos ad legitimos suos heredes ab intestato transmittere; quod certe pugnat cum c. *Cum in officio 7, & seq. d. c. 12, inf. eod. & cum decreto Conc. jam citati Neque his obstat interpretatio Franc. Sarmienti in tract. suo de Rediib. Ecclesiast. p. 4, c. 6, num. 14*, ubi vult, praedictum decretum Conc. Trid. non esse praecipit, sed magis debitum charitatis respexisse, & Clericos officii sui potius admonuisse de non ditandis consanguineis &c. Nam refragatur huic interpretationi textus ipse Concilii, dum his verbis utitur: *Omnino vero eis interdicit, ne ex redditibus Ecclesie, &c.**

16 Unde quae de fructibus, & redditibus Ecclesiasticis acriter à Dd. disputantur, praesertim à Marr. Navarro & Franc. Sarmiento in lib. suis de Rediibus Eccles. utrum scilicet Clericorum sint domini, facile ex his, quae dicta sunt, dirimuntur: nam certius est, eos non esse verè dominos, nisi quatenus sacri Canones permittunt, uti in progressu hujus Tit. declarabitur. Ut non obstat textus in c. *un. De Cler. non resident. in 6*, quo loco à contrario sensu colligitur, dominium distributionum quotidianarum, quae praesentiae vulgò vocantur, transire in recipientem Clericum, si is praesens

officio Ecclesiastico interfuerit. Nam tamen si argumentum à contrario sensu non procedat, ubi contrarium ei in jure expressum est, sicut late docet, Nic. Everardi in *Loco à contrario sensu nu. 4*, nihilominus responderi potest, eas quidem fieri recipientis, sed dumtaxat ad hunc effectum, ut eo modo impendat, quo alios Ecclesie reditus. Ex his igitur observa, Clericum de redditibus Ecclesiasticis testamentum facere non posse, nisi modo praedicto; quia testamentum de rebus suis conditur, non alienis, ut constat ex definitione testamenti & ex *Auth. Ingressi C. De SS. Eccles.*

Verum hic duplex rursus quaestio suboritur: una, An res ex Ecclesie redditibus vel pecunia comparatae ipso jure Ecclesie cedant, an potius sint ipsius Clerici ementis altera, Utrum consuetudo valeat, quod Clericus de fructibus sive redditibus Ecclesie vel beneficii sui testari possit? Utraque quaestio non parvi momenti est.

17 Quod ad priorem attinet, existimat Hostien. & Joan. Andr. prout videre est apud Imolam in c. *4, num. 5, sup. De pecul. Cleric. talem rem non Ecclesie, sed emptoris fieri, l. Si ex ea 6, C. De rei vind. & tototit. C. Si quis alteri vel sibi, &c.* Neque enim de jure Canonum aliter expressè cautum reperitur: unde in hac re stamus decisioni juris civilis, c. *1, §. 1, inf. De novi operis nunt.* Verum è contra Gloss. in d. c. *4*, putat hujusmodi rem Ecclesie esse, quemadmodum & eam secutus Panorm. & communiter Dd. hic, exemplo militis, *l. Si ut proponis 8, C. De rei vind. & minoris viginti quinque annis, l. 3, C. Arbitr. tut. cui Ecclesia comparatur, c. 3, §. un. sup. De in integrum restit.* Et probat textus hic in d. c. *1, in fine*, dum inquit, *in ejusdem Ecclesie dominio conservetur* Nihil autem in dominio Ecclesie conservari potest, nisi antea fuerit in dominio. Et haec posterior sententia a quior & verior videtur, utique in Praelato sive alio Clerico administrationem Ecclesie habente; ut, si is ex Ecclesie redditibus vel pecunia rem comparaverit, statim Ecclesie facta intelligatur, etiam absque ulla traditione, *l. fin. C. De sacros. Eccles. & multò magis, si & traditio intercesserit.* Et ratio est, quia in dubio praesumitur res nomine procuratorio empta & tradita fuisse, *per text. c. 2, sup. De donat. at per procuratorem nobis dominium & possessio rectè acquiritur, §. Ex his itaque inst. Per quas person. cuiusque acquir.* Unde etiam jure receptum est, quo magis Ecclesie cautum sit, ut instrumentum emptionis nomine conficiat, sub poena sacrilegii, *c. 2, & c. 4, sup. De pecul. Cler.* In aliis verò Clericis

puro priorem sententiam veriorē esse, per *jurā ibid. allata*. Neque nos movere debent exempla militis, & minoris viginti quinque annis; quia singulare jus continent, ac proinde ad hunc casum nostrum trahi non debent, per *taxum in c. 9. inf. De privil. quod & probat. Covarr. hic ad c. 1. num. 7.* Et cum idem hic textus nos ter loquatur de Episcopo, qui Ecclesie suae administrationem habet, non mirum est, si dicat res ab eodem quae sitas in ejusdem Ecclesie dominio conservari debere. Atque hæc in dubio procedunt: nam si constat, Prælatum sive alium Clericum, rem suo vel alieno nomine comparasse, servanda erit juris civilis regula, quæ ea, quæ alienam pecuniã emuntur, sicut emptoris, non verò ejus, cujus pecuniã id empta sunt, l. 1. l. Multum o. Et l. Qui aliena 8. C. Si quis aliter, vel sibi. Et l. Si ex ea 6. C. De rei vend. ex ratione d. l. Multum, quia Clericus hoc casu Ecclesie suae noluit acquirere, atque ideo sua res est potius quam Ecclesie. Sed interim eo onere affecta est, ut teneatur Clericus emptor eam relinquere Ecclesie suae, adeo ut in alium transferre non possit, c. 1. c. 3. c. pen. Et ult. sup. De pecul. Cler. Et d. c. Cum in officis 7. inf. h. tit. Ecclesie autem nomine hoc loco intelligitur Collegium Canonicorum, ubi is, qui decessit, è numero Canonicorum fuit: sicut Prælatus sive alius administrator, ut sunt Parochi, Præpositi, &c. successores, hoc est, qui in eorum locum & administrationem surrogantur, per *text. in d. c. 13. inf. h. tit.* Quare Jul. Clar. in §. Testamentum qu. 2. 7. vers. 3, rectè monet Prælatos sive Clericos, ne in fraudem Ecclesiarum suarum per tertias personas prædia acquiri curent ex pecuniis per eos cumulatis ex fructibus beneficiorum suorum, ut ea postea ad propinquos suos perveniant: quia, inquit, dum alios fallere putant, seipsum potius deiciunt in æternum vitæ interitum. Deum enim fallere conantur, cui tamen nihil est occultum. Cui convenit *text. in d. c. pen. sup. De pecul. Cler.* Inquirendum est, inquit *text.* si quis Clericorum de redditibus Ecclesie, vel oblationibus, vel votis fidelium, alieno nomine res comparavit: quia sicut nec suo, ita nec alieno nomine Presbyter fraudem facere de facultatibus Ecclesiasticis debet, quoniam hoc sacrilegium est & par criminis Judæi furis, qui sacras oblationes asportabat & furabatur. Atque hæc de priori quæstione.

Quoad alteram quæstionem, An scilicet consuetudo valeat, quæ permittitur Clerico testamenti factio de fructibus, aliisque obventionibus Ec-

clesiasticis, sive quæ ex iis sunt comparata, an ceptis disputatio est. De jure quidem scripto expressè constat, id Clerico cuiuscumque ordinis non licere, ut & supra meminimus, & ne quidem in piam causam, c. Ad hæc 8. cum c. seq. h. t. Verùm de consuetudine meritò dubitatur, eo quòd hæc juri scripto deroget, per *text. in c. ult. sup. De consuet.* Quare Did. Covarr. in d. c. Cum in officis 7. num. 23, existimat hanc consuetudinem valere, eamque confirmare nititur tribus argumentis: primò, propter tacitum consensum S. Pontificis, & orbis Christiani, qui in talem consuetudinem tacitè consenserunt, nullatenus eam improbandò. Secundò, quia privilegio S. Pontificis id obtineri potest, ut est extra omnem controversiam; ergò & consuetudine, cujus initium non extat memoria, idem induci potest, quippe hæc privilegium instar est, c. Super quibusdam 26 §. 2. inf. De verb. sign. Et l. 3. §. 4. D. De aqua quorundam & strua. Tertiò, quia valet consuetudo, quod fructus beneficiorum vacantis per aliquod tempus defuncti hereditibus vel aliis applicentur, c. 2. §. 1. De elect. in Extravag. Ioan. xxii. ergò & consuetudine introduci potuit, ut idem in testamento fiat. Quæ certè argumenta citi momentum habere videantur, tamen aliorum contraria sententia verior est, & apud omnes Dd recepta, in d. c. Cum in officis. Et probat eandem Panorm. *ibid. num. 3.* Covarr. in *Comment. de Spoliis Cleric. §. 14.* & confirmat *text. in d. c. Relatum 12. vers. Licet h. t.* Licet autem mobilia, inquit *text.* per Ecclesiam acquisita de jure in alios pro morientis arbitrio transferri non possint, consuetudinis tamen est non improbandæ, ut de his, pauperibus & religiosis locis, & illis, qui viventi servierint, sive consanguinei sint, sive alii, aliqua juxta servitii meritum conferant: Ecce certi casus, quibus consuetudo uti rationalis toleratur in datis vel relictis à defuncto Clerico. Ex quo inferitur, consuetudinem in cæteris casibus non valere, tamquam irrationabilem, utpote onerosam Ecclesiis, quæ certè à jure improbantur, in c. 1. sup. De consuet.

Pulchrè tamen Panorm. id restringit ad res immobiles magis pretii; nam in rebus mobilibus, quæ exigui præjudicii sunt, putat testandi consuetudinem valere, sicut & consuetudinem eas donandi, per *text. in c. 3. sup. De donat.* Neque obstant argumenta contraria. Nam quod ad primum attinet, de consensu S. Pont. & orbis Christiani, contrarium docent Extravag. Pauli III. Julii III. & aliorum SS. Pontificum, quibus Clericorum

eorum spolia, id est, bona ex relictibus Ecclesiasticis quaerita, post eorum mortem reservantur Sedi sive Camerae Apostolicae, sicut videre est apud eundem Navar. in d. tract. de Spol. Cleric. §. 5. & seqq. de quibus opportunius agetur infra, ad c. 1. inf. De success. ab intest. Tantummodò sufficit hic attigisse, quòd S. Pont. in hanc consuetudinem ne quidem tacite consentiat. Deinde etsi S. Pont. toleret talem consuetudinem, non tamen censetur illam approbare, per text. in c. Cum jam dudum 18, in fine sup. De prob. ubi his verbis Innoc. III. multa ait per patientiam tolerari, quae si deducta essent in iudicium, exigente iustitia non deberent tolerari. De consensu orbis Christiani ne id quidem verum est, cum hodie, ubi testamentum Clerici toleratur, non aliter id fiat, memini ex permissione Episcopi vel Capituli; & memini ipse audi-

visse quandoque contrarium in Italia.

Secundum argumentum defendi posset, nisi consuetudo expressè à jure improbata esset, d. c. 1. sup. De consuet. vel ubi talis est consuetudo, quae ratione nititur, ut si pauperibus, religiosis locis, vel illis, qui viventis Clerico servierunt juxta servitii merita testamento aliquid relinquatur. Neque etiam S. Pont. praesumitur privilegium testandi, nisi ex hac vel simili causa, concedere.

Tertium argumentum rectè procederet, si eo probaretur, fructus vacantis beneficii consuetudine ad laicos heredes ipsius Clerici spectare posse: verum textus in d. c. 2, §. 1. exaudiendus est de personis Ecclesiasticis, quòd videlicet hæ fructus ejusmodi consuetudine acquirere possint, sicut rectè ibid. interpretatur Glossa in V. vel personis.

In Cap. Nos quidem 3. c. Si heredes 6. c. Tua nobis 17. & c. pen.

SUMMARI A.

1. Executores testamenti constitui solent vel ipsimet heredes, vel extranei.
2. Executori extraneo adversus heredem an & qua actio detur.
3. Executores qui constitui possunt.
4. Nemine constituto, executio ad heredem pertinet.

His Capp. agitur de executoribus testamentariis, qui nonnumquam a testatore in testamento nominari solent, vel ipsimet heredes constituti intelliguntur, idque in piam vel profanam causam: piam, puta ut Monasterium, vel Ecclesia extruatur, sive in pauperes, vel alium pium usum pecunia vel alia res convertatur: profanam, ut creditoribus satisfiat, domus ædificetur, & similia ad profanum usum spectantia. Et quidem dubium non est, hæc à testatore defuncto imponi posse heredibus vel aliis extraneis. Heredibus ideo, quòd hi teneantur implere defuncti voluntatem; adeò ut, si moniti per iudicem intra annum non impleverint, auferatur ab iis hereditas, & aliis applicetur, juxta Nov. 1, §. Huiusmodi, cum §. seq. & c. 6, h. v. Executor vero extraneus, hoc est, qui heres institutus non est, licet defuncti mandata suscipere non cogatur, si tamen semel susceperit, tenetur exequi, per text. in c. Tua nos 17, & c. Ioannes 19, in fi. eod. juncto §. mandatum non suscipere Inst. De mand. Nisi tamen hic

executor extraneus sit legatarius vel fideicommissarius, qui perdit legatum suum sive fideicommissum, si monitus à iudice voluntatem defuncti non impleverit, d. c. 1, cum c. seq. & Novel. 131, De Ecclesiast. tit. §. si quid autem 11.

Ceterum, ut hæc res tota planior reddatur, subiicienda sunt à nobis duæ Conclusiones, quarum hæc prima sit: † Executor extraneus nullam habet actionem adversus heredem, ut petat sibi tradi rem ad executionem necessariam, sed debet implorare officium iudicis. Quòd nullam actionem habeat, probat text. in l. Lucius 78, §. 1, D. Ad S. C. Trebell. nam licet heres ad eundem hereditatem quasi contrahere dicatur cum legatariis & fideicommissariis, §. 6, Inst. De oblig. qua quasi ex contr. nasc. non tamen cum ipso executore testamentario; cum huius non interfit, voluntatem defuncti impleri. Siquidem actio est jus persequendi in iudicio, quod sibi debetur, tit. Inst. De action. §. 1, & l. Si procuratorem 8, §. 6, D. Mandati. Ne autem ideo testatoris voluntas cassa & irrita sit, necessariò ad officium iudicis recurritur, quod deficienti actioni succedit, per text. in l. Hereditas 50, in fine D. De hered. per junct. l. 1, in verbis, & non sint cassa iudicia ejus, C. De sacros. Eccles. & l. Quintus 7, D. De ann. legat. Tamen hoc amplius sit in hereditate vel legato relicto in alimenta pauperum, vel in redemptionem captivorum, ut non solum executori, sed & Episcopo, cum executor à testatore nominatus non est, imò his negligenti-

gigentibus, cuilibet ex populo agere permiffum
 fit conditione ex *l. Nulli* 28, in *fine C. De Episc. &
 Cler. d. c. 11, & d. c. 19, inf. h. tit.* Neque hac in re dif-
 crimen admittendum est inter jus Canonicum &
 jus Civile; item, an res pia, an profana fit, quæ
 executioni mandari debet, sicut vult Panorm. ad
d. c. 19, num. 4, per cum d. tax. Nisi fortè idem exe-
 cutor fit simul & legatarius vel fideicommissa-
 rius: qui cum ad petendum legatum vel fidei-
 commissum tres actiones habeat, videlicet actio-
 nem ex testamento, hypothecariam & rei vindic-
 ationem, §. 2, *Inst. De legatis & l. 1, C. Com de leg-
 as & fideicom.* poterit & hic agere unâ ex his ac-
 tionibus ad petendum legatum sive fideicom-
 missum; deinde alteri tamquam executor eam dē
 rem restituere, prout iusserit testator. Neque
 ob id, si totum legatum est iussus restituere, om-
 niud inutile est legatum ipsi executori, cum, si
 idem legatum ex persona ejus, cui restituendum
 est, deficiat, morte vel repudiatione ejus ad ipsum
 legatarium pertineat, per text. in *l. Si quis Titio* 17
 in *pr. D. De leg. 2, junctâ l. un. §. 3, C. De cad. tollen. &
 Junge l. Pater* 38, §. 8, *Tusculanus De leg. 3,* Verumta-
 men re diligentius discussâ, puto Panorm. sen-
 tentiam quoad legata pia defendi non posse; nam
 pro iis exigendis executori etiam mero competit
 actio, per text. in *d. l. Nulli* 28, §. 1, *C. De Episc. & Cler.*
& l. Si quis 49, §. 2, *C. eod. tit. quod & omnes Da com-
 muniter sequuntur, teste eodem Panorm. & Baldo ad
 l. Id quod pauperibus* 24, num. 18, *C. De Episc. & Cler.*
 appellaturque hæc actio conditio ex lege, eò
 quòd datur ex *d. l. 28, per text. in l. un. D. De condic-
 t. ex lego.*

3 Nihil autem interest, laici an Clerici execu-
 tores testamenti constituantur, *d. c. 17, & d. c. 19, h. t.*
 item an Religiosi sint, dummodò ad exequendum
 habeant licentiam à Superiore suo, per text. in *c. 2,
 h. tit. lib. 6, & c. un. in Clem. eod. tit.* Exceptis tamen
 Fratribus Minoribus D. Francisci, quibus execu-
 tio ultimarum voluntatum est interdita, sicut
 videre est in *Clem. Exirvi* 1, §. 9, *De V. S.* In pluribus
 quoque executionibus simul datis illud consti-
 tuti juris est, ut, si unus ex iis mortuus sit, aut pe-
 regrè agat, aut detrectet executionem, alius exe-
 cutor eam peragere possit, nisi aliud testator ex-
 presserit, *d. c. 2.*

Altera Conclusio est: Executore nemine con-
 stituto aut nominato in testamento, ad ipsum he-
 redem executio pertinet etiam quoad piam cau-
 sam, *c. 3, & c. Si ad heredem* 6, & *c. Tua* 17, *inf. h. t.*
 Nam hoc casu videtur defunctus curam hujus rei
 heredi reliquisse & demandasse: qui si voluntati
 defuncti in exequendo intra annum non obtem-
 peraverit, aufertur ab eo hereditas; quemadmo-
 dum & à legatario eâdem ratione legatum, & de-
 fertur eum onere suo aliis coheredibus vel colle-
 gatariis, vel etiam heredibus ab intestato venien-
 tibus, secundum ordinem à Justiniano traditum
 in *d. Nov. 1, §. 1, Quo tamen loco excipiuntur li-
 beri; qui, etsi in exequendo non pareant parenti
 defuncto, nihilominus detrahunt legitimam
 quam habent ex legis præscripto, quasi jure quo-
 dam naturali. Neque his obstat textus in c. Licet
 6, inf. De voto, ubi filius Regis Hungariæ non im-
 plens voluntatem defuncti patris sui regno priva-
 tur; quia id accidit, quòd regnum detractionem
 legitimæ non patitur, cum nullam divisionem
 recipiat, ex sententiâ Gl. ad d. c. 6, per text. in c. un. tit.
 55, §. 1, lib. 2, Feud. Quod autem dictum est, he-
 reditatem vel legatum aufertur, ubi scilicet heres vel
 legatarius non paruit voluntati defuncti, verum
 est, quando ad instantiam coheredis vel colle-
 gatarii, sive heredum ab intestato venientium ag-
 gitur, ut ipsis potius hereditas vel legatum cum
 onere suo applicetur. Dum tamen is coheres si-
 ve alius, qui agit, officium judicis imploret: nec
 enim solet judex in privati alicujus utilitatem of-
 ficiu suum, nisi imploratus, accommodare, *l. 4,
 §. hoc autem D. De dam. infecto.* Interim non minùs
 agere poterit is, in cujus utilitatem executio fieri
 debet, ad impletionem legati sive fideicommissi
 contra hereditatis possessorem, *l. ult. in pr. C. De
 pet. hered. & §. 2, Inst. De sing. reb. per fideicom. rel.*
 Cæterum in relictis ad piam causam potest & E-
 piscopus ex officio suo heredem vel legatarium
 constringere, ut adimpleat defuncti volun-
 tatem, per text. in *d. c. 3, 6, & 17, inf. eod.*
& §. si quis autem 11, Novel. 131. præsertim cum
 & ipse Episcopus à jure constitutus sit piam
 voluntatum executor, *Conc. Trid., Sess. 22, de re-
 form. cap. 8.**

In Cap. Filius 5.

S U M M A R I A.

1. Legatum rei aliena jure civili quatenus subsistat.
2. An idem obtineat jure Canonico.

Cap. hoc obscurum est, & variis Interpretum commentariis exagitur. Argumentum verò ejus tale est. Res aliena à testatore legata non potest à legatario teneri in vivo domino. Facti species hæc proponitur: Testator rem unius Ecclesiæ legavit cuidam Episcopo, sepulturæ suæ gratiâ. Filius testatoris, defuncto patre, eamdem rem repetiit ab Episcopo, ut priori Ecclesiæ restitueret, sed impetrare non potuit. Quæ de causa idem conquestus S. Pontifici hoc rescriptum rerulit, quòd, licet lege humanâ cautum sit, ut heres ad solvendum cogatur, ubi defunctus rem alienam legavit; tamen, quia magis lege divinâ vivimus, injunctum videtur, ut res aliena Ecclesiæ alteri legata ab eodem retineatur, qui aliena restituere debuit. Tota difficultas hujus Cap. in eo vertitur, quare S. Pont. legis humanæ, id est, civilis meminerit, tamquam legi divinæ adversantis?

Ut autem explicatè omnia intelligantur, illud ex jure civili constat, testatorem non solum rem suam vel heredis sui, verum etiam rem alienam legare posse, ita ut hanc cogatur heres redimere & præstare legatario, vel, si non potest redimere, æstimationem ejus solvere legatario, § Non solum 4, Infr. De legat. & l. Non dubium 14, § fin. D. De legat. 3. Hoc tamen temperamento adhibito, dummodò testator sciverit rem esse alienam: nam si suam existimaverit, neque legatum, neque ejus æstimatio debebitur, per textum in l. Cum aliena 10, C. De legat. In testatore sciente hæc ratio redditur, quòd eo casu censetur testator expressè voluisse, ut vel res illa ab herede redimeretur, vel saltem, nolente domino rem suam vendere, æstimatio ejus præstaretur: in ignorante verò, quòd scilicet in dubio non præsumatur testator gravare voluisse heredem suum, ut rem alienam, vel ejus pretium solveret. Sunt enim, inquit Papinianus in l. Vnum ex familia 67, § si rem tuam 8, D. De leg. 2, magis in legandis suis rebus, quàm in alienis comparandis & ocrandis heredibus faciliores voluntates; subaudi defunctorum. Atque hæc ignorantia præsumitur in testatore, §. Quod anteqm

dixi §. & verius Inst. d. tit. & l. Verius 1, D. De probat. quippe scientia in dubio non præsumitur, sed ignorantia, c. 47. De R. l. lib. 6, Nisi legatarius sit ex conjunctis personis, aut uxor testatoris, aut etiam alius, cui verisimiliter testator legaturus fuisset, licet scivisset rem alienam esse, d. l. Cum aliena 10, & l. Prædix 6, C. De fideicom. Idque ob verisimilem testatoris voluntatem, quam in conjunctis, aliisque personis iudex æstimare debet ex rerum & personarum circumstantiis, l. Voluntati 7, C. De fideicom. In heredis re legata non distinguitur, sciens an ignorans eam alteri legaverit: d. l. Vnum ex familia 67, § si rem tuam.

Hæc itaque cum de jure civili ita obtineant & æquitati omninò consona fiat, mirum profectò videtur, cur S. Pont. hoc e. nost. contrarium videatur rescriptisse: imò verò ex alio loco juris Canonici probatur, rei alienæ legatum subsistere, ut est textus in can. Si Episcopus 1, XII. q. 5, Quare hujus cap. variæ interpretationes adferuntur à Dd. sicut videtur est hic apud Panormitan. & Covarr. sed quæ magis mihi probatur, hæc est; quòd scilicet hoc e. nost. nihil contra jus civile statuat, sed id tantummodò prohibeat, ne res aliena prætextu legati in vivo domino detineatur à legatario: quod enim nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest, l. 11. D. De R. l. Sed inquires, cur igitur lex civilis hic contraria dicatur legi divinæ? Ided, quòd juri divino adversetur rei alienæ detentio, in vivo domino; repugnat enim Decalogi præcepto septimo & ultimo. Quia verò falsâ interpretatione juris civilis se tuebatur Episcopus, existimans rei alienæ legatum aut ejus pretium indifferenter sive promiscuè contineri legato; ided justè hoc cap. refellitur non tam jus civile, quàm Episcopi temeraria opinio, ex juris civilis allegatione deducta. Cum præterea & ex juris civilis præcepto probare Episcopus tenebatur, rem Ecclesiæ à testatore sciente legatam fuisse, quod non præstitit Episcopus. Et hæc interpretatio omninò est recipienda, cum correctio jurium, quantum fieri potest, sit evitanda, l. Cum expediat 29, De elect. lib. 6, & l. un. C. De inoff. dotib. Alioqui necessariò hæc in re constituenda esset differentia inter jus Canoniceum & Civile, quod temerè admittendum non est.

In Cap. Cum esses 10.

SUMMARI A.

1. In testamento condendo jure civili requiruntur septem testes.
2. Consuetudo tamen minorem numerum admittit.
3. Jure Canonico an duo testes sufficiant.
4. An hoc obtineat tantum in testamento ad pias causas?
5. An eo jure sint sublata solemnitates testamentaria jure civili?
6. Lex divina duorum testimonium probando an majorem excludat?
7. Decisionem hujus c. obtinere tantum in terris S. Pontifici subjectis, non etiam Imperii.
8. Adhibitio septem testimonium an pugnet cum lege divina?
9. Defuncti voluntatem non exequi an sit peccatum?

Celebre hoc Cap. est, in quo Alexander III. S. Pont. contra jus civile, & receptam consuetudinem loci decernit, sufficere in testamento duos aut tres testes, unâ cum Parocho testatoris; adjectâ pœnâ excommunicationis in eum, qui testamentum hoc infringere ausus fuerit. Facti speciem non attinet hic proponere, cum ex jam dicto argumento facile eliciatur. Sed decisionis hujus Pontificiæ contextum inspiciamus, & examinemus.

I Et quidem constat, testamentum de jure civili regulariter non aliter valere, quàm si adhibitis septem testibus sit conditum, *l. Hac consuetissima 21, in pr. C. De testam. & § 4, Inst. eod.* aded ut, si unus testis desideretur, testamenti causa tota concidat, *l. Si unus 12, C. d. 2. De testam.* etiam quoad testamentum tempore pestis confectum, *l. Casus 8, C. eod.* Licet sint, qui hoc testamentum privilegio militari valere velint, tamquam duo vel tres testes in eo sufficiant, sicut videre apud And. Gail lib. 2, Obs. 118, num. 18, cum seq. Sed falluntur, propter textum in d. l. 8, qui non aliam solemnitatem remittit tempore pestis, quàm quod necesse non sit omnes testes simul & eodem tempore convenire, sed sufficere, ut unus post alium etiam diverso tempore admittatur, quod hic liber commemorasse.

2 Item dubium non est, consuetudine induci posse, ut minor testimonium numerus, puta quinque aut trium, vel etiam duorum, sustineat testamentum, per text. in *l. Si non specialis 9, C. eod. tit. eod.*

quod consuetudo deroget juri scripto, & vim legis habeat, *l. De quib. 32, in fine D. De legib. & c. fin. sup. De consuet.*

Ceterum hic textus noster utrumque reiicit: nam neque septem testes in testamento necessario exigit, neque consuetudinem loci admittit, quâ, ut testamentum valeat, necesse erat septem vel quinque testes adhibere. Rationem hæc adforens, quod à lege divina, & SS. Patrum institutis, atque à generali Ecclesiæ consuetudine utrumque sit alienum; cum scriptum sit, in ore duorum vel trium stare omne verbum, *Deuter. 19 circa fin. & Matth. 18. vers. 16.* Unde in dissolvenda hæc difficultate vehementer laborant Interpretes.

Sunt enim, qui textum nostrum exaudiant de testamento ad pias causas condito, *Gl. hic in V. improbamus*: ita ut in testamento profano jus civile locum habeat, non in testamento pietatis causâ condito. Verum hi refelluntur ex ratione textus nostri, quæ ad omnia testamenta pertinet. Deinde constat ex *c. Relatum 11. inf. eod.* in testamento ad pias causas duos testes sufficere, etiam excluso Parocho; aded ut hæc sententia jure defendi non possit.

Alii verò existimant per decisionem textus nostri solemnitates testamentarias juris civilis sublatas esse, etiam quoad forum sæculare, propterea quod adversentur juri divino, quo rei veritas in duorum aut trium testimonium ore consistit. Hujus opinionis sunt Goffred. & alii apud Panor. in *Repet. hujus c. n. 8, quam & ipse Panor. ibid. summissimè persequitur & defendit, & videtur confirmare sext. in can. fin. Dist. 8, & can. Sunt quidam xxv. q. 1.* Sed nec hæc sententia rectè defenditur: neque enim credendum est, S. Pontificem, qui jura tueretur, hæc Constitutione suâ observationem testamentorum, multis vigiliis excogitatam atque inventam, velle evertere, *c. Ecclesia vestra 57, circa fin. sup. De elect. & l. Si quando 35, in pr. C. De inoff. testam.* Et ratio textus nostri aperte refragatur: cur enim Parochum requirit, ultra duos vel tres testes, si in ore duorum vel trium stet omne verbum? Quin & constat, Cardinalem vel Episcopum non nisi maximo testimonium numero convinci, & damnari posse, *can. 2, & c. in princ. II. qu. 4,* & tamen nemo justè dixerit hoc adversari legi Divinæ, in ore duorum vel trium testimonium, &c.

Quo;

6 Quocirca Did. Covarr. hic n. 3, putat legem Divinam duorum testium numerum idem probare, quod iniquum sit regulariter, unius testimonio quemquam condemnari; non tamen vetare eandem legem, quin quandoque pro negotii qualitate plurium fides sit necessaria, aut saltem Recip. conveniens, quod Principis sive legislatoris est dispicere: quam in rem citat textum singularem in c. Licet universis 23, sup. De testib. quia licet (inquit textus) quaedam sint causae, quae plures quam duos exigant testes, nulla tamen est causa, quae unius testimonio quantumvis legitimo terminetur. Quae ratio Covarr. etsi in se vera sit, & conveniat juri Divino, d. c. 19, Deuter. non tamen congruit cum textu nostro. Si enim Principi sive conditori legum permittitur est majorem testium numerum statuere, quam ipsa lex divina postulat, certe S. Pont. hoc textu nostro non improbasset consuetudinem loci introductam ex praescripto juris civilis, quod ob vitandam fraudem sive falsitatem in testamentis septem testes adhiberi vult, l. fin. §. lex autem G. De fideicom. at verò hic aperte rejectit numerum septem testium. Aliam interpretationem hujus Cap. adfert Guido Papa decij 948.

7 Quare magis placet Jul. Clari distinctio in §. Testamentum q. 57, ut scilicet in ditionibus Ecclesiae, id est, Romano Pontifici quoad utramque jurisdictionem, tam temporalem quam spiritualem, subjectis, & quoad utrumque forum, tam Ecclesiasticum quam saeculare, locum habeat decisio textus nostri, non verò in terris Imperii sive alterius Principis, in quibus jus civile de septem testium numero observandum est. Quam distinctionem testatur idem Clarus communi opinione, & consuetudine, receptam esse, prout latius apud eum videre est. Idque hac ratione confirmatur, quod distincta sit jurisdictio S. Pontificis à jurisdictione Imperatoris, ita quod ille in spiritualibus & animam concernentibus, hic verò in temporalibus jurisdictionem exerceat, neque alter alterius imperium turbet. Exceptis tamen ditionibus Romanae Ecclesiae temporalibus, in quibus S. Pont. cum & supremi Principis personam gerat, rectè & in temporalibus jurisdictione sua utitur, text. elegans in c. Venerabilem 11, in pr. inf. Qui filii sui legis. Et in c. Novis. 13, §. 1, sup. De judic. juncto cau. Duo sunt 10, in pr. cum c. seq. dist. 96, Et Novel. Iust. 6, Quomodo oportet Episcopos, in prasat. Unde cum testamenti factio origine jurisdictio-

nis saecularis sit, utpote ex lege xii. Tab. profectus, l. Verbis legis 20, D. De verb. sign. maxime si ad profanam causam testamentum fiat, (quam de testamento ad piam causam cap. seq. ex professo agimus) rectè colligitur, in ditionibus Imperii jus Civile, in terris verò Ecclesiae jus Canonicum servandum esse. Accedit, quod ubi jus Canonicum à civili discrepat in rebus temporalibus, quodlibet jus ad suum forum pertinere & observari debeat, per text. in c. 2, in princ. Et ibi Gl. De arbit. lib. 6. Ut hinc rectè inferatur, quae de numero septem testium adhibendo in testamentis à jure civili prodita sunt, observanda esse in ditionibus Imperii; quae verò hoc cap. nostro statuuntur, pertinere solummodò ad ditiones Rom. Pont. idque indicat & inscriptio ejusdem ad Episcopum Hostiensem, cujus Episcopatus & in temporalibus subjectus est Pontifici.

Neque obstat ratio text. nost. quae adhibitio septem testium dicitur pugnare cum lege divina, quodque proinde huic legi divinae magis stari conveniat quam civili, s. fin. sup. De praescript. quia Respond. id ex causa fieri, non quidem peccando contra legem Divinam, sed eam declarando, ut scilicet lex divina locum non habeat in testamentis, propter falsi suspicionem, quod solet circa testamentum committi d. l. fin. c. De fideicom. Nam & videmus praecipuum Decalogi, Non occides, quod & juris naturalis, & Divini est, hanc interpretationem accipere ex jure Civili, ut locum non habeat, ubi quis defendendi sui causam alterum occidit, vel si miles hostem, aut judex nocentem interficit. Sic & haec lex divina, In ore duorum vel trium testium, & c. rectè distinguitur à jure civili, ut non procedat in testamento, ex sententia Innoc. in c. Qua in Ecclesiarum 7, num. 4, sup. De consuet. cui adferuntur communiter Dd. tam Canonum quam Legum Interpp. teste Imola hic nu. 13, ultra med. Vel dici posset, hanc legem divinam per mortem Christi sublatam esse, ut & reliqua veteris Testamenti praecipua, teste D. Thoma. 1. 2, qn. 103, art. 3, ad 2, Quod vel ex eo constat, quia S. Pont. h. c. nost. tantummodò confirmanda decisionis suae causam legem hanc divinam, videlicet veteris Testamenti, adduxit: acc in ea sola persistit, sed praeterea addidit presbyteri praesentiam. Alioquin si eandem legem tamquam divinam adhuc vigere existimasset, utique presbyteri praesentiam non requisivisset.

Neque impedit, quod obiicit hic Ant. Butrius, 9 Dd. 2 videl.

videl. peccatum esse, defuncti voluntatem non exequi, etiam in foro civili, *can. Ultima voluntas* xlii. q. 2. l. 1. *C. De sacros. Eccles.* At verò in terris Imperii, si ad testamenti confectionem adhibeantur duo testes, unà cum Parocho, constaret de testatoris voluntate, non minus quàm si in ditione Ecclesie Rom. testamentum factum fuisset. Verùm non videt Butrius voluntatem testatoris, quæ jure destituta est, non appellari posse voluntatem, *c. Quæ contra jus* 64. *De R. I. in e.* quia testamentum voluntatis nostræ iusta sententia est, id est legitima, prout sup. ad Rubr. explicavimus. Deinde jus civile ideo non vult testamentum minus solemne executioni mandari, quòd præsumat subesse falsitatem in testamento, *d. l. fin. C. De fideicom.* Non igitur peccatum est, si propter falsi

suspicionem testamento minus solemnè non pareatur ex auctoritate juris, *l. iustè possidet* 11. *D. De acquir. vel amit. poss.* Illud verò singulariter receptum est in herede, ut, si is extra testamentum à defuncto, nullis etiam testibus præsentibus, fideicommissò universali vel etiam particulari gravatus sit, nihilominus valeat hæc ultima voluntas; atque hac specie teneatur heres ad restitutionem hereditatis sive fideicommissi particularis; aut, si negavit fideicommissò se gravatum esse, cogi possit ad subeundum juramentum, *juxta text. in d. l. fin. & § fin. Inst. De fideicom. hered.* Verùm hoc fit extra testamentum, cum nulla suspicionis falsæ causa subest, sed res tota ab heredis fide pendet.

In Cap. Relatum 11.

SUMMARIA.

1. 4. In testamento ad pias causas duo testes sufficient.
2. Testamentum ad piam causam quando conditum dicitur.
3. Muri civitatis an & referendū in pias causas?
5. Decisio text. hujus an obtineat in ditionibus Imperii.

TEXTUS hujus Cap. in eo distat à superiori, quòd hic de testamento ad pias causas agatur, in superiori verò ad profanas causas. Idque apertè inde colligitur, quòd in testamento ad pias causas sufficient duo testes, per hunc text. in altero verò præter duos testes etiam Parochi præsentia requiritur, uti constat ex *c. Ciam esses* sup. eod. Itaque sententia hujus Cap. est, quòd ultima voluntas pietatis causâ facta coram duobus aut tribus testibus valeat, non obstante juris civilis dispositione de septem vel quinque testibus adhibendis.

Dicitur autem testamentum ad piam causam conditum, in quo aliquid relictum est pro salute animæ suæ, puta pauperibus, hospitalibus, captivis, aliisque miserabilibus personis, item Ecclesiis, Monasteriis, aut similibus, *l. Nulli* 28. *in pr. Et l. Si quis ad declinandam* 49. *in pr. C. De Episc. & Cler. §. Et hæc quidem, in verbis, & ipsorum quoque animæ, Novel. 115. Vt cum de appellat. cognosc. §. 2. sup. De consuet. latè Tiraq. in tract. de privil. pia*

*causa in prefat. & Et quamvis Balp. ad Auth. Similiter C. Ad L. Falcid. referat inter pias causas, si quid pro restauratione murorum civitatis relictum sit, mihi tamen probabile non videtur, eò quòd muri civitatis non pietatis, sed custodiæ causâ constructantur, etiam si alioquin sancti appellentur à Jurisconsulto Martiano in l. Sanctum 8. §. fin. D. De divis. rer. & à Justiniano in §. Sancta. Inst. De ver. divis. Sed id accidit, quòd sanctione legum pœna in eos statuta sit, qui in muros civitatis deliquerunt, *d. §. Sancto.**

Et licet hoc textu S. Pont. eandem rationem 4 adferat, quòd scilicet in ore duorum, vel trium testimonium stet omne verbum; ac proinde testamentum in piam causam conditum coram duobus aut tribus testibus sustineri debeat: tamen animadvertendum est, aliud hic prætereà à S. Pont. spectari, videl. piam causam, quæ ob suam favorem duorum aut trium testimonio contenta est, uti liquet ex verbis ipsius textus, dum inquit, *cum aliqua causa talis etc.* Nam si eam rationem promiscuè sive in omni causâ sequeremur, frustra in proximo *c. Cum esses* 10. adjectus fuisset Parochus, sicut & ibid. à me declaratum fuit.

Cæterum illud controversum est, An decisio 5 hujus textus nostri etiam obtineat in ditionibus Imperii? Puta, si quis in piam causam coram duobus dumtaxat testibus extra ditiones Romani Pont. testatus sit, an eadem ratione valeat hoc testamentum? Nam, quoad subiectos temporaliter Rom. Ecclesie, extra omnem controversiam est, quis

quin ad hos pertineat hujus capituli decisio, quem admodum indicat & inscriptio ejusdem c. nost. ad iudices ad Velleiren qui subsunt S. Pontifici, teste Bucrio hic num. 2. Etenim sunt qui existimant pertinere etiam ad ditiones Imperii. Jul. Clar. in §. Testamentum qu. 6. Panorm. & Covarr. hic & Tiraq. d. tract. priv. 1. Ubi & hanc sententiam communiter receptam testatur: quæ & his argumentis confirmatur. Primum, ex l. i. C. De sacros. Eccles. quæ unicuique permittitur libera testandi facultas, & instituendi consilium. At verò per hanc libertatem censetur remissa solemnitas testamentaria; quo argumento usus est Bart. add. l. i. num. 73. cum seq. Alterum est, quòd juris Canonici sit disponere de pia causa, non verò juris civilis, per text. n. in c. Ecclesia S. Maria 10. sup. De constitut. Tertium est, quòd testamentum coram duobus testibus conditum à parte inter liberos valeat, l. Hac consultiissima 21. §. ex imperfecto C. De testam. ergò multò magis testamentum in piam causam confectum propter salutem animæ, l. Sanctimus 21. C. De sacros. Eccles. Verum his non obstantibus verius videtur, testamentum ad pias causas conditum coram duobus testibus quoad Imperii ditiones non subsistere, per text. in l. Generatis 13. in verbis, quòd tamen alia omni juris ratione munitum, C. d. t. in l. Si quando 35. in pr. C. De inof. testam. Atque hanc sententiam communi Dd. calculo comprobata esse testatur Jason ad d. l. i. nu. 22. ejusque ratio facilè colligitur ex his, quæ sup. ad c. proximum diximus. Neque enim S. Pont. censetur ditionibus Imperii legem voluisse præscribere circa testamenta ordinanda, c. Per venerabilem 13. inf. Qui filii sint legit. & c. Novit 13. sup. De jud.

Quod verò ad argumenta contraria attinet, facilis responsio est: nam quoad primum de libertate testandi, non exonerat testatorem à solemnitate juris, sed tantum indulget, ut, cui velit, hereditatem suam possit relinquere, sed solemniter; id enim apertè constat ex d. l. Si quando 35. in pr. Si quando, inquit textus, talis concessio Imperialis processerit, per quam libera testamenti factio conceditur, nihil aliud videri Principem concedere, nisi ut habeat legitimam, & consuetam testandi factionem. Tum & ratio d. l. i. C. De sacros. Eccles. satis evincit, dum ait, nihil magis hominibus deberi, quàm ut supremæ voluntatis liber sit stylus. Quæ certè ratio generalis est ad omnia testamenta, tam in profanam, quàm in piam causam condita. In testamento autem profano licet

liber ejus sit stylus, nemo tamen justè affirmaverit, solemnitates in eo adhibendas non esse.

Ad secundum argumentum respondetur, quòd textus in d. c. Ecclesia S. Maria 16. loquatur de rebus Ecclesiæ acquisitis, quarum dispositio non ad secularis, sed ad præfectos Ecclesiæ spectat: ac res in non solemnè & ritè confecto testamento relicta Ecclesiæ non sunt, & ne quidem ei debentur, utpote cum testamentum nullum sit, l. Si non specialis 12. C. De testam. junctis legibus antea pro hac sententia allatis.

Tertium quoque argumentum nihil officit; nam tamen si inter liberos testamentum minus solemnè admittatur: non tamen id pertrahendum est ad piam causam, cum in liberis alia ratio subsit, eò quòd ipsis naturali quòdam ratione & æquitate hereditas parentum debeatur, l. fin. impr. D. De bono damnat. l. Scripso 7. §. un. D. Vnde liberi; ac proinde lex in ejusmodi testamento falsitatem non tam facilè præsumit. Nisi fortè persona extranea admixta esset: nam eo casu eadem persona tamquam falsè à scripta rejicitur, d. l. 21. §. ex imperfecto C. De testam. Et quòd dicitur, pietati magis favendum esse, quàm liberis, id non obtinet in successione hereditaria, sicuti constat ex celebri textu in can. fin. xvii. quæst. 4.

Neque aliquid momenti habet, quòd inquit Bartol. in Repetit. d. l. i. C. De sacros. Eccles. n. 81. quòd relicta in piam causam spiritualia respiciant, videlicet remissionem peccatorum; ergò saltem hac ex parte decisio hujus cap. nostri prævalere debet dispositioni juris civilis, argum. c. fin. De sepult. Etenim hæc ratio rectè concluderet, nisi juris civilis præsumptio obsteret: nam cum jus civile falsum præsumat in testamento minus solemnè, l. fin. vers. lex etenim C. De fideicom. non admittit in foro suo ejusmodi testamentum, l. 3. & d. l. Si unus 12. C. De testam. E contra verò jus Canonicum, quòd mitiorem partem sequi solet, cum hanc juris civilis præsumptionem non sequatur, rectè ejus dispositio in ditionibus Ecclesiæ Romanæ observatur & retinetur. Non negaverim tamen, hanc quaestionem ambiguam esse, & contrariam sententiam non minus defendi posse, propter rationem, quam jam ex Bartolo adduximus, quòd scilicet ea, quæ animæ salutem concernunt, pertineant ad sacros Canones; quamvis altera opinio firmioribus rationibus nitatur. Videantur fusiùs tradita à Covarr. hic & Tiraq. De priviil. pia causa.

In Cap. Relatum 12.

SUMMARI A.

1. Bonorum appellatione qua hic veniant.
2. An & jura & actiones?
3. Quid nomine Ecclesia.

HOc Cap. explicat Alexander III. S. Pont. illud Concilii Lateranensis in c. *Cum in officio* 7 sup eod. quo sancitum est, ut Clerici bona, quæ ab Ecclesiis habent, penes eandem Ecclesiam relinquunt; explicat, inquam, ¶ ut bonorum appellatione contineri velit generaliter omnia bona, quæ ratione Ecclesiæ Clericus acquisivit, eaque eidem Ecclesiæ restituenda esse, non alienando, aut de iis testando, nisi in quantum fert consuetudo, ut pauperibus & religiosis locis, aut illis, qui viveant ipsi servierunt, sive consanguinei sint, sive alii. juxta servitii meritum, clar-

giantur. Et sic nota bonorum nomine hic contineri tam mobilia, quam immobilia.

Sed utrum jura & actiones? Quod certe verius est, ex l. *Bonorum* 49 D. De verb signif. Nam cur diversum esset in juribus & actionibus, nulla ratio suadet. Quamvis alioqui jura & actiones tertiam speciem constituant bonorum à bonis immobilibus, & mobilibus, ut in l. *A divo Pio* 15. §. 2. D. De re judic. Et in l. *Quam* Tabernis 7. §. ult. D. De peculio. Sed hoc ex usu loquentis æstimandum est, ut tradit hic Covarr.

Ecclesiæ verò nomine, cui bona relinquenda sunt, si Clericus defunctus fuerit Canonicus, vel Capitulum sive Collegium ejusdem Ecclesiæ: si alius, separatam administrationem bonorum suorum gerens, ut sunt Parochus, Præpositus, & alii similes, intelligitur ejus successor, per hunc taxum nostrum.

In Cap. Cùm tibi 13.

SUMMARI A.

1. Voluntas extrema an in dispositionem alterius committi possit; & rationes dubitandi.
2. Rationes decidendi, & c. h. varii intellectus.
3. Commissa voluntate alterius dispositioni, videri eum institutum heredem.
4. Nomen heredis an exprimi in testamento debeat.

HOc rescriptum Innocentii III. celebre est apud Interpretes utriusque juris, sed ob breviteratam suam valdè obscurum & implicatam. Verba ejus hæc sunt: *Qui extremam voluntatem in alterius dispositionem committit, non videtur decedere intestatus.* Mirum igitur videtur in hoc rescripto, quomodo is dicatur non decedere intestatus, qui nullum heredem scripsit, vel nuncupavit: at alterum horum necessariò requiritur in testamento, per text in l. *Iubemus* 29. C. De testam. & in l. *Heredes palam* 21. in pr. D. eod. siquidem heredis institutio basis sive fundamentum est ipsius testamenti, l. *fin* D. De jure codicil. §. 3. Inst. De fideicom. hered. & §. ante heredit. 35. Inst. De legat. Secundò, testamentum est voluntatis nostræ justa sententia, l. 1. D. Qui testam. fac. poss. non igitur pendere potest ex dispositione alterius. Tertio, captatoria vo-

luntas dicitur illa, quæ confertur in secretum alienæ voluntatis, adeoque à jure improbata est, l. *illa institutio* 3. in pr. & l. *Captatoria* 70. cum l. seq. D. De hered. instit. Quæ tria videntur vehementissimè pugnare cum decisione textus nostri.

Quocirca Glossa hic, ut hanc pugnam dirimat, intelligit hunc textum procedere ex benignitate Canonica, quasi aliter à jure civili sit receptum. Verùm, cum odiosum sit hoc discrimen inter utrumque, ubi inter se conciliari possunt, c. *Cum expediat* 29. De elec. lib. 6. & l. *unica* C. De inoff. testib. hæc Glossæ interpretatio minimè admittenda est. Alium hujus rescripti sensum refert Innoc. hic, quòd scilicet verbis textus nostri dicatur defunctus in pias causas testatus; ita quòd is, cujus dispositioni voluntas ultima commissa est, teneatur erogare bona defuncti in pauperes, & in pias causas: quam interpretationem communiter receptam testatur Panorm. hic num. 4. & Imolanus. 4. circa med. quam & probat Covarr. hic num. 16. in fine quam & probat Covarr. hic num. 16. in fin. Sed cum hæc sententia merà conjecturâ nitatur, (quippe in textu nostro nulla pia causa sit mentio) non satis perspicuo, quâ ratione defendi possit. Alios intellectus adfert Ant. Butrius hic, quos longum esset referre; saltem hunc reculisse sufficiat,

ciat, quem ex Petro, & Abbate antiquo adducit idem Butr. tum etiam Imola *hic*, quod scilicet hoc casu valeat testamentum quoad excludendum privilegium Episcopi, de quo in *c. Cum tibi* 18 §. 11. *inf. De verb. sign.* ad quod videtur referendum esse hoc cap. nostrum, cum sit ejusdem Innocent. Tertii ad eundem Episcopum: hic enim Episcopus obtinuerat à Sede Apostolica, quod Clericorum bona ab intestato decedentium ad ipsius dispositionem pertinerent. Ut igitur hoc privilegium excludatur, dicitur hic defunctus testatus discessisse quoad illum effectum, cum tamen revera intestatus discesserit. Atque hanc interpretationem amplectitur, & fuscè persequitur Franc. Sarmientus *Select. Interpretat. lib. 2. c. 6. num. 37.* Sed nec hæc interpretatio constare potest, propter argumenta initio à me adducta.

Itaque præ omnibus placet sententia Hostiensis, quam refert, neque improbat idem Sarmient. *d. loco num. 36.* quod scilicet ex his verbis textus nostri, *Commisso voluntatem meam in dispositionem Titii*, videatur hic Titius heres institutus. Quid enim interest, testator dixerit, *Titius heres esto*; an, *Extremam voluntatem meam*, hoc est, bona, quæ extremæ voluntati subjiciantur, *commisso dispositioni Titii*; nam quod hæc bona in dispositione alterius hoc est, de ratione domini, *Nov. Vi liceat matri & avia* 117 c. 1. §. 1. *in V. disponere.* Si igitur bonorum suorum testator vult esse dominum Titium, ergo & heredem, *l. Hic verba* 48. *in pr. D. De hered. instit.* quia heres dominus dicitur & est, §. *fin. Inst. De hered. qualitat. & differ.* Ut verò illa verba, *extremam voluntatem meam*, pro ipsis bonis accipiantur, tam-

quam contentum pro ipso continente, suadet favor ultimæ voluntatis, in qua plenior solet adhiberi interpretatio *l. In testamento* 12. *D. De R. I. & c. Cum dilectus* 6. *in fin. sup. De donat.* tum quoque in ambiguis id potius accipiendum est, quo magis res valeat, quam pereat, *l. Quoties* 2. *D. De reb. dub.* Neque refert, quibus verbis institutio heredis exprimitur, dummodò de voluntate testatoris coarctet, *l. Quoniam indignum* 5. *& l. In testamento* 26. *C. De testam. d. l. Hic verbis in pr. & l. Cum pater* 1. 77. §. *donationis* 26. *D. De legat. 2.*

Unde, quod primo loco contra hunc textum nostrum objectum est de heredis nomine exprimendo in testamento, nihil movet; cum sufficiat quibuscumque verbis heredem institui, *jam dictis jurib.* Imò ne quidem necesse est, heredem verbis exprimi, dummodò certo aliquo signo demonstretur, *l. Quoties* 9. §. 8. *& l. Asserato* 77. *D. De hered. instit.* Ut hinc verum testamentum sit, si testator adhibitis solemnitatibus ita pronuntiaverit: *Ego instituo eum heredem, quem scripsi in quadam scedula manu meâ scriptâ, vel subscriptâ, qua est penes Titium*; dummodò de ea scedula nulla controversia sit, an à testatore scripta, vel subscripta sit, *l. Si ita scripsero* 38. *D. De condit. & demonst. Covart. hic num. 7.* Secundum argumentum delumptum ex definitione testamenti facile diluitur, cum hic testator voluntatem suam satis expresserit, instituendo heredem, *sicut antea explicavimus.* Quo verò ad tertium argumentum, nulla hic voluntas captatoria dici potest, cum heres ab ipso testatore institutus sit, non verò permissus voluntati alterius.

In Cap. Raynucius 16. juncto Cap. Raynaldus 18.

SUMMARIUM.

1. Sententia sive summa e. Raynucius.
2. Ratio dubitandi quoad valorem testamenti.
3. §. Legitima jure Canonico an titulo institutionis relinquenda?
4. Verbum Relinquo quando titulum importet institutionis.
6. Legitima portionis partem institutionis titulo relinquitur qui sufficit.
7. Legitima, supplet: nem parens testamento suo prohibere nequit.
8. Legitima onus imponi non potest.
9. Nisi filius in gravamen consenserit,
10. Filius pactione cum parente initâ an post ejus mortem potere aut retine-e legitimam possit?
11. Et quid si juramentum filii ac. esserit?
12. Filius an consentire in propriam exheredationem possit?
13. Non potest quis sibi aliquid adscribere in testamento alterius.
14. Legitima quo jure liberis debita sit.
15. Filius fideicommissio gravatus an deducere possit legitimam & quartam Trebellianicam?
16. Distinctio quoad hoc inter fideicommissum purè volitum vel sub conditione an relictum?
17. Substitutio quid?
18. Alia est directa, alia obliqua; & qua directa.

19. Quæ obliqua sive fideicommissaria.
20. Directa quatuorplex.
21. Vulgaris quæ dicatur. Et cur introducta.
22. Alia est expressa, alia tacita.
23. In unum casum concepta, si noluerit esse heres, extenditur ad alterum si non potuerit.
24. Tacite quando fieri dicatur.
25. Effectus substitutionis vulgaris.
26. Qui quibus ita substitui possint.
27. Exspirat aditâ hereditate.
28. Substitutio pupillaris cur introducta.
29. Forma hujus substitutionis.
30. Requisita ad eandem.
31. Substitutio exemplaris sive quasi pupillaris.
32. Substitutio obliqua sive fideicommissaria.
33. Quibus & qualiter ita substitui possit.
34. Restitutio hereditatis ex hac substitutione quomodo faciendâ.
35. Hereditas fideicommissaria an transeat ad heredem gravari vel fideicommissarii heredes?
36. Fructus medio tempore ab herede gravato percepti an restituendi?
37. Pater & filius simul instituti, vel substituti, ad hereditatem simul, non ordine successiois, vocantur.
38. Limitationes hujus regula.
39. Condicio si sine liberis decesserit, an expiret si heres gravatus reliquerit filium naturalem tantum.
40. An eadem condicio expiret, si gravatus fiat Clericus vel Monachus.
41. Substitutio reciproca quando fieri dicatur.
42. Substitutio compendiosa quæ ejusque effectus.
43. Verbis directis, obliquis, aut communiis facta quid operetur.

Hoc Cap. prolixis Commentariis passim illustrant Interpretēs, præcipuè Guilielmus Benedictus, cujus in hanc Decretalem extat integrum volumen. Ego tantum ea recitabo, & perstringam, quæ hujus Capituli propria sunt, reseratis istis, quæ aliena videbuntur. Iraque sententia illius hæc est, quod ex hereditate patris, matris, & avæ legitima portio liberis jure naturæ debeat; quæ & nullo onere gravari potest: & quod si filius rogatus de restituenda hereditate alteri, si sine liberis decesserit, detrahat & suam legitimam, & quartam Trebellianicam; in quam tamen quartam fructus post litem contestatam percepti referendi, & computandi sunt. Facti speciem consulto omitimus ad evitandam prolixitatem.

Hic primùm contra textum nostrum objicitur, quæ ratione testamentum Raynurtii valeat, in quo filia ejus Alterocha heres instituta non reperitur, sed dumtaxat dicuntur ipsi à patre relicta, ultra dotem, domus & hortus. At verò certum est, liberis à parentibus institutionis titulo honorari oportere, Nov. 115. *Ut cum de appellat. cognosc. c. 3. in pr.* Item licet eadem Alterocha in istem bonis instituta fuisset, non tamen idcirco heredis, sed legatarie vice suggeretur: siquidem soror ipsius tamquam universalis heres videtur ipsi adjuncta, per text. in l. Quoties 13. C. De heredib. instit.

Quare sunt, qui existimant de jure Canonico nihil interesse, institutionisne, an alio quocumque titulo legitima filiis relinquatur. Ita Hostien. *hic, cui alii communiter subscribunt, teste Alex. ad l. Inter cetera 30. D. De lib. & posth. sicut eum refert Covarr. hic §. 1. in pr.* Verùm hoc est absque urgenti causa discrimen inducere inter ius Canonicum & civile, contra textum in c. Cum expediat 29. De elect. lib. 6. & in l. un. C. De inoff. dotib. Imò per magni quandoque interest, liberis institutionis potius, quàm legari, vel fideicommissi titulo legitimam portionem relinqui, propter jus accrescendi, quod est inter coheredes, non verò inter heredem & legatarium, l. un. §. His ita definitis 10. C. De caducis tollen.

Igitur, omisâ longiori disputatione, quam de hac re habet Joan. ab Imola *hic num. 40 & 41.* dicendum est, Alterocham filiam in domo & orto, ultra dotem, heredem institutam fuisse: id enim ex textu nostro satis eruitur, in quo verbum *Relinquens* (quod alioqui generale est, pertinet tam ad institutionem, quàm ad legatum, sive fideicommissum, *Auth. Novissima, & l. omni modo 30. in pr. vers. Et hæc quidem C. De inoff. testam.*) de institutione accipiendum est. Nam cum constet ex textu nostro c. 16. in pr. Raynurtium patrem testamentum condidisse, utique filiam suam heredem instituisse, ac proinde verbum, *Relinquens*, propter subjectam materiam necessariò de institutionis titulo intelligi debet etiam in utraque filia Alterocha & Adjecta, cum pater in utraque verbo *Relinquens*, sive *Reliquit* usus sit. Adde, quod in dubio ea interpretatio adhibenda est, ut actus potius valeat, quàm pereat, l. Quoties 20. D. De R. I. Alioqui enim testamentum, in quo filius, vel filia præterita est, ipso jure non subsisteret, l. 30. D. De lib. & posth. saltem quoad institutionem in testamento factam, *Auth. Ex causa C. De lib. præter. vel*

5 *vel exhered.* * Et hanc posteriorem sententiam, quòd scilicet de jure Canonico etiam filius, si ve filia sit institutionis titulo honoranda, eleganter & ex communi Dd. opinione probat Jason *ad Rubric. tit. D. Solutio matrim. num. 31. & seq. & Covarr. hic §. 1. in pr.* Ad id verò quod secundo loco allatum est *ex l. Quoties C. De hered. instit. respondetur, Altherocham in certis rebus institutam legataria quidem vice fungi, verum ad hunc effectum, ut à creditoribus hereditariis conveniri non possit, instar aliorum legatariorum, l. fin. C. De hered. instit. ubi quoad alios effectus heredis loco est, ut latius explicant Bart. & Bald. ad l. Ex factio 35. D. De hered. instit. & est textus in d. Nov. 115. §. Hac autem dispositio minus vers. Caterum.*

6 Caterum quod dictum est, legitimam portionem institutionis titulo liberis relinquendam esse, non eò pertinet, quasi tota si ve integra liberis in testamento relinqui debeat, sed sufficit partem relinqui, ut deinde ad supplementum ejus agatur, *d. l. 30. in pr. & l. Scimus 36. in pr. C. De inoff. testam. Idque jure Cod. & Nov. à Justiniano introductum fuit in favorem testamenti, jam ad jurib. eum alioqui ante eum, ubi legitima integra non erat relicta, testamentum totum per querelam inofficiosi expugnabatur, l. Cum queritur 6. & l. Parentibus 8. in princ. C. De inoff. testam.*

7 Atque hæc de legitima integrè relinquenda, vel supplenda adeò obtinent, quòd parens hanc supplementationem testamento suo prohibere non possit, *d. Nov. 115. c. 5. in pr.* Neque enim legitima liberis beneficio parentum, sed ex præscripto legum jure quodammodo naturæ debetur, *Auth. Novissima C. De inoff. testam. Nov. 1. in prasat. §. 2. & hoc textus nostrò c. 16. vers. cum autem, junctà l. Si arrogator 2. 2.*

8 §. 1. D. De adopt. † Quo etiam accidit, ut legitima usufructu, conditione, aliòve onere à parentibus gravari non possit: & si onus adjectum fuerit, illud tamquam superfluum aut perperam appositum rejicitur, *per text. in l. Quoniam in priorib. 32. C. De inoff. testam.* Ut hinc, si pater, instituto herede filio suo, reliquat uxori, vel alteri usufructum omnium bonorum suorum, nihilominus possit filius detrudere legitimam suam unà eum usufructu suo, *d. Auth. Novissima, & d. l. 32.* Idem fit, ubi pater vel mater filium heredem instituit, hæc lege adjecta, *ut, si sine liberis decesserit, restituat fratri, vel alteri bonis à parente relicta:* nam & hæc conditio quoad legitimam removeretur à jure, ita ut filius de ea restari, legare, vel aliàs pro arbitrio suo eam in alium transferre vel transmittere possit. Cætera

verò bona, demptà legitimâ, fideicommissio continerentur, & restitutioni subjacebunt, si conditio extiterit, *per text. nost. c. 16. §. fin. & in d. c. 18. §. 1. eod. in l. Filium quem 24. C. Fam. ereisc.* Idque adeò, etiam si filius simpliciter, nullâ protestatione factâ, hereditatem parentis adeat si ve se immisceat: nihilo enim minus manet ipsi salva legitima. † Nisi speciali pacto, si ve transactione post mortem parentis subjecerit se gravamini integræ hereditatis alteri restituendæ, *per text. in l. Si quando 35. §. 2. C. De inoff. testam. & facit optimus text. in l. Filio 17. D. De injusto rup. irrito facto testam.* Quo loco testamentum patris ob præteritionem filii, alioqui nullum, approbatione ejusdem filii sustinetur; multo igitur magis gravamen, quod legitimam non tollit, sed tantum afficit, ex consensu filii admittendum erit, *arg. c. Cui licet 53. De R. l. lib. 6.*

Dixi, post mortem parentis; utpote cum fratre, vel alio, cui ex fideicommissio hereditas debetur; nam cum parente vivo inita pactio si ve transactio nihil officit filio, quin adhuc ad integram legitimam post mortem parentis agere possit, vel eam sibi retinere, *d. l. Si quando 35. §. 1. & l. 3. C. De collationib.* Magis enim (inquit Justin. *in d. §. 1.*) meritis filii provocandi sunt ad paterna obsequia, quàm pactionibus adstringendi. † Quod tamen exaudiendum est, nisi etiam jusjurandum filii accesserit; nam hæc specie pactio si ve transactio cum parente inita valeret, propter generalem regulam, quâ jubetur omne juramentum servari, quod non tendit in præjudicium alterius, nec redundat in dispendium salutis æternæ, *c. 2. De pact. lib. 6. & c. Cùm contingat 28. in fine sup. De jurejur.*

Quibus non obstat text. *in l. Non putavit 8. §. 6. 12. D. De honor. poss. contrat. tabb.* ex quo communiter probant Dd. filium, consensu suo posse à patre exheredari; adeò ut patris testamentum nunquam ab eodem filio possit impugnari, *ut videre est apud Ant. Gomez. Var. resol. tomo 1. cap. 11. num. 14.* Igitur filius pactione cum patre inita renuntiare potest etiam absque juramento paternæ hereditati si ve legitimæ suæ, quod jam antè negavimus. Sed, ut dixi, nihil obstat; non enim in d. §. 6. pater cum filio pactus est, ut se exheredem scriberet, sed tantum quæsitum fuit, utrum, si filius se ipsum heredem scripserit in patris testamento, accipere possit possessionem contra tabulas? Et certè non posse constat ex d. §. 6. eo quòd rectè exheres scriptus sit. Exheredato verò bonorum possessio

Et contra

contra tabulas non competit, ut dicitur in eod. §. 6. Sed, iniquis, saltem erit tacitum pactum, excludens filium ab impugnatione testamenti, & consequenter à successione patris. Quod profectò dici non potest: non enim per pactum excluditur filius, sed propter testamentam patris, quod consensu filii confectum est: ac proinde illud tueretur Prætor, ne rescindi possit per possessionem contra tabulas, licet per hoc submoveatur filius à successione patris, quia id fit in consequentiam; multa enim perpè veniunt per consequentiam, quæ principaliter venire non possent, l. 1. in pr. §. 7. in pr. D. De auctorit. & consuet. l. Si unus §. 3. D. De pactis, §. l. Si is qui 29. D. De liberat. leg. Covarr. ad c. nos. 18. §. 2. num. 3. & Ant. Gomez sup. alleg. loco, qui ejusdem sententiæ sunt, quòd scilicet possit consentire propriæ exheredationi, sed alià ratione moti, quam hic non repero, neque probare possum. Rectè tamen existimant, hoc casu non exigi causam exheredationis, sed tum demum, ubi filius in vitis exheredatur; locumque tunc esse Novellæ Justin. 115. c. 3. in pr. quæ in exheredandis liberis iusta ingratitude causa requiritur, quæ hac specie non obtinet, ubi liberi consensu suo exheredantur.

13 Sed urgebis, Senatusc. Libonianum prohibere, ne quis sibi aliquid adscribat in testamento alterius; & si adscripserit, non tantum id pro non scripto haberi, sed etiam cum incidere in pœnam falsi, l. Si quis legatum in pr. D. De L. Corn. de fals. & tit. C. De his, qui sibi adscr. in testam. Videtur igitur hæc exheredatio à filio in patris testamento scripta minimè subsistere. Verum non movet, quia S. C. Libonianum de iis loquitur, qui in commodum suum, veluti legatum, vel fideicommissum sibi adscripserunt in alieno testamento; non, si contra se scripserint, ut in exheredatione, d. l. 8. §. 6. De bon. poss. contra tab.

Cæterum ad textum nostrum propius regrediamur: circa quem duo in controversiam vocantur. Utrum præcisè verum sit, quòd legitima debeatur liberis jure naturæ; item, An filii gravati fideicommissio universali, ut, si sine liberis decesserint, restituant hereditatem alteri, detrabere possint præter legitimam etiam quartam Trebellianicam?

14 Quod ad priorem quæstionem attinet, extant tres gravissimi textus, quibus videretur probari, legitimam jure naturali liberis deberi, text. hic §. 2. & in c. Raynaldus 18. §. 1. & d. Nov. 1. in prafat. §. 2.

& confirmat hæc ratio, quòd legitima alimentorum vice fungatur, Nov. 18. de triente & semisse cap. 4. vers. non licuit: at alimenta liberis jure naturæ debentur, l. fin. §. ipsum autem C. De bonis qua liberis &c. & l. un. §. 5. vers. silent, C. De rei uxoria act. ergo & legitima; cum surrogatum assumat naturam ejus, in cuius locum surrogatur, per text. in l. Si cum 10. §. 2. D. Si quis cautionib. &c. Cui consequens est, quòd legitima statuto, vel consuetudine tolli vel diminui non possit, siquidem jura naturalia sunt immutabilia, §. Sed naturalia Inst. De juronac. &c. Nihilominus contraria opinio verius defendi potest, quòd scilicet legitima ex præscripto legum magis debeatur, quam ex jure naturali; idque probatur per text. in d. Nov. 18. c. 1. ubi triens vel semis juxta liberorum numerum pro legitima à Justiniano assignatur: item per text. in d. Nov. 1. in prafat. §. 2. quo loco lex necessitatem imponit parentibus relinquendi liberis legitimam; igitur legitima juris civilis est, non naturalis, & subsequenter lege vel statuto tolli potest. Nam videmus & per adoptionem, quæ juris civilis est, filium privari legitimâ suâ in hereditate patris sui naturalis, quando scilicet avo materno in adoptionem datus est, l. penult. in pr. C. De adopt. Similiter filius ob justam causam ingratitude privari potest iâ legitimâ in testamento parentis, d. Nov. 115. §. aliud quoque. Quæ aliaque similia admitti non possent, si legitima naturali jure, non civili deberetur liberis; nam civilis ratio (inquit Justin. in §. fin. Inst. De legis agnat. sus) civilia quidem jura corrumpere potest, naturalia verò non utique.

Non obstant textus in contrarium supra allati; quia exandendi sunt de jure naturæ, id est, naturali ratione, juvante ipsum jus civile de legitima relinquenda liberis. Idque patet ex l. fin. in pr. D. De bon. damnat. & ex l. Scripta 7. D. Unde liberi, ubi hereditas parentum dicitur liberis deberi naturali ratione, quasi lege quadam tacitâ; & tamen certum est, id non propriè fieri jure naturali, cum non teneantur parentes ex hereditate sua ultra legitimam liberis suis relinquere, l. Parentibus 8. in pr. junctâ Auth. Novissimâ C. De inoff. testam. Unde pro hac sententia multos auctores allegat And. Gail lib. 2. obs. 12. num. 9. quamvis ipse mediâ sententiam sequatur, quòd scilicet legitima quidem minui, non autem tolli possit, eamque ibidem num. 11. fateatur pluribus præjudiciis Cæsaræ Imperialis confirmatam esse. Quam & ve-

ram sentio, ubi legitima succedit loco alimentorum, nam eatenus legitima tota, vel minor necessario liberis reservanda est, quemadmodum hic docet Panorm. num. 12. quod & respexisse videtur textus in c. 3. *vers. non licebit d. Nov. 18. de triente & semisse, in verbis, sed modis omnibus ei huius legitima partis, quam nunc deputavimus, & usum fructum, insuper & proprietatem relinquit, si vult filiorum non repensè saina morientium, sed vivere valentium vocari pater.* Ex quibus verbis facile elicitur, legitimam in alimentacionem liberorum introductam fuisse, & sic verè esse juris naturalis: ubi verò alimenta liberis aliunde suppetuat, eam potius referendam esse ad jus civile. Quare utramque opinionem inter se conciliando, dicendum est, legitimam tum demùm jure naturali verè deberi liberis, quando hi inopià laborant, ut eos ali necesse sit: aliud verò esse, si aliunde sustentationem habeant, vel sibi acquirere possint, *per text. in l. Si quis à liberis §. 7. D. De agnosc. & alex lib. Unde consequens est, legitimam hoc casu, statuto vel consuetudine contrarià dimitti, vel etiam tolli posse.* Panorm. *jam à loco & Covarr. in 4. Decretal. in 2. p. c. 8 §. 6. num. 5.*

Quo verò ad alteram quæstionem, An filius institutus, & fideicommissio universalis gravatus, detrudere possit, præter legitimam suam, etiam quartam Trebellianicam? res explicari difficilis est, propter repugnantes inter se textus juris civilis & Canonici. Nam de jure civilis ita expressum est, vel solam legitimam, vel solam quartam Trebellianicam à filio deduci posse, & reliquum hereditatis fideicommissio contineri, ita quod utraque detractio concurrere non possit, *per text. in l. Invenimus 6. in princ. in verbis, sed de ipsis rebus hereditariis ad vram restituatur, C. Ad S. C. Trebell. in l. Filius 24. C. Fam. ereisc. & in d. Nov. 118. c. 1. in verbis, licebit enim ei reliquum ostendicium, & facit elegans text. in s. 1. Nov. 39. De restitutionib. &c.* Et ratio est, quia quidquid heres ex iudicio defuncti consequitur, in quartam Trebellianicam imputatur, *l. In quartam §. 1. D. Ad L. Falcid.* sed legitimam jure institutionis consequitur filius, *c. 3. in pr. Nov. 115. ergò, &c.* Deinde iniquum videretur, ut plus ex hereditate gravatus habeat, quam honoratus fideicommissio. Si enim singamus testatorem habere quinque liberos, eosque, *si sine liberis decesserint, gravasse, ut hereditatem restituere vel Titio;* certè hi liberi prius detraherent legitimam suam, quæ est semis, id est, pars dimidia hereditatis, & ex residuo semisse deducunt adhuc quartam partem, scilicet Tre-

bellianicam; vel si constituamus à testatore filium unicum relictum, & fideicommissio gravatum esse, hic prius deducet trientem, id est, quatuor uncias pro sua legitima, deinde ex residuis octo uncias duas adhuc uncias ratione Trebellianicæ; ita quod semissem hereditatis habiturus sit filius, præter fructus usque ad litem contestatam perceptos, qui non imputantur in Trebellianicam, *juxta text. nost. c. 16 §. 2. & in d. l. 6. §. fin. quod certè alienum videtur à mente testatoris, c. 1. §. 1. Nov. 1.*

Contrà verò gravissimè urget textus *hic c. 16. in pr. & in c. Raynaldus 18. in princ.* quibus permittitur & legitima & Trebellianica deduci. Cujus hæc ratio est, quod legitima portio beneficio juris, non testatoris iudicio ad filium pertineat, ut antè probatum est. Ne autem filius deterioris sit conditionis, quam alius extraneus, qui quartam Trebellianicam ex hereditate fideicommissio gravata detrahit, *soto sit. D. & C. Ad S. C. Trebell. & sit. Inst. De fideicom. her.* quodammodo iniustum videtur, ut idem beneficium filio denegetur; cum ex præsumpta testatoris voluntate hereditas magis liberis descendentibus, quam extraneis debeatur, *l. Cum acutissimi 30. C. De fideicommiss. His igitur argumentis hæc quæstio videtur implicatissima.*

Quocirca iuris utriusque Interpretes ut aliam 16 quam conciliationem incant, hoc temperamentum adferunt: quod aut filius fideicommissio gravatus est purè, id est, absque ulla conditione, puta, *si sine liberis decesserit, vel simili;* quo casu existimant filium tantum legitimam suam, vel solam Trebellianicam detrudere posse: sin sub conditione, utramque & legitimam, & Trebellianicam posse deducere. Atque hanc distinctionem tradit Bern. *hic in verb. legitimam ipsam, & communiter à Dd. receptam testatur Jason, in l. Filius 24. num. 6. C. Fam. ereisc. & Covarr. hic §. 11. nu. 10. Eandem usæ frequentari, & pro Evangelio teneri refert Castren in l. 6. num. 2. C. Ad S. C. Treb.* Cuius hæc ratio redditur inconvincibilis, ut loquitur Jason, *d. loc.* nam ubi filius purè rogatus est restituere hereditatem, si is petat Trebellianicam, cedit in legitimam, *per text. in l. Quoniam novella 29. C. De inoff. testam.* unde legitimam amplius petere nõ poterit. Si verò petat legitimam, impossibile est, inquit, quod postea petat Trebellianicam; quia legitima, cum debeatur iure institutionis, imputatur in Trebellianicam, *d. l. 91. D. Ad L. Falcid.* Ubi verò filius gravatus est fideicommissio nõ purè, sed in eventum conditionis,

tunc statim mortuo patre retinet legitimam, de qua rejicitur omne gravamen, omnis dilatio, & omnis mora, *l. Quoniam in prioribus 32. & l. 39. §. 1. C. De inoff. testam.* Postea autem, eveniente conditione, & sic tempore restitutionis, detrahit Trebellianicam, sicut quilibet alius extraneus; & sic diversis temporibus duplicem portionem deducit ex fideicommissio universalis, sicut accidit hoc textu nostro *in c. 18. §. 1.* Quod tamen non obtinere existimat D. Covarr. *in loco*, ubi legitima filiorum esset semis, veluti si sint quinque aut plures filii, ne plus capiat ex hereditate gravati, quam honoratus.

Verum hoc temperamentum jure civili non probatur, cum ex eo magis constet, non utramque portionem, sed vel Trebellianicam tantum, vel legitimam solam deducendam esse, sive pure, sive sub conditione fideicommissum universale relictum sit, *per text. in d. l. Filius 24. c. Fam. ex se. item in d. l. Iubemus 6. in pr. C. Ad S. C. Trebell.* quo loco filii gravati à parentibus restituere hereditatem, si sine liberis decesserint, jubentur dodrantem hereditatis restituere, detractà Trebellianicà; ergò utraque deductio locum non habet. Et licet huic textui respondeant alii, quòd ibi dodrans intelligatur, qui remanet deductà portione legitimà; id tamen juris ratio non permittit, ut legitima etiam non dicatur contineri in hereditate, & consequenter non in residuo dodrante, tamquam sit res extra hereditatem defuncti, *contra l. Papinianus 8. §. 3. D. De inoff. testam. & l. Cum quaritur 6. C. eod. tit.* Quibus adde *text. in d. Nov. 39. c. 1. in princ.* ubi tantum fit deductio legitimæ ex bonis parentis, quæ rogati fuerunt liberi restituere; nisi quatenus legitima non sufficeret ad constitutionem dotis, vel donationem propter nuptias: quo casu ultra ipsi permittitur deducere ex reliquis bonis ad supplementum dotis, vel donationis propter nuptias. Sed huic responderet Covarr. *sup. cit. loco*, quòd ibi non sub conditione, sed pure fuerint gravati filii, & ob id tantummodò facta sit mentio legitimæ, non Trebellianicæ, juxta distinctionem supra allatam. Verum, si ea, quæ præcedunt *d. c. 1.* attentius inspiciamus, magis erit, ut loquatur de fideicommissio sub conditione relicto; ita ut distinctio illa de puro, & conditionali fideicommissio defendi non possit, saltem de jure civili, sicut & ab ea discendunt Bald. & Jafon, *quem vide in d. l. Filius 24. num. 6. & num. 3.* Ubi tamen adjicit, quòd, cum de consuetudine

prædicta distinctio servetur, uti omnes fatentur, frustra putet hanc rem in quæstionem rapi debere, cum optima legum interpretis sit consuetudo, *l. Si de interpretatione 37. D. De legib.* Quod certè verissimè dicitur, ubi scilicet de tali consuetudine constat: nec enim Jafoni, aut alteri facilè credendum est attestanti de consuetudine, nisi ea quoque probetur eo in loco, in quo causa vertitur; siquidem consuetudo facti est, ac proinde probari debet, *c. 1. De constit. lib. 6.*

Quare ubi prædicta distinctio consuetudine recepta probabitur, absque ulla cunctatione ea sequenda erit, *l. De quib. 32. D. De legib. & c. Dilectum 8. circa fin. sup. De consuet.* Sin minus, subsisto quidem, propter auctoritatem prædictam distinctionem probantium; sed interim magis putarem, utnam tantum deductionem sive legitimæ, sive Trebellianicæ fieri debere, propter jura civilia *sup. à me allegata.* Idque in terris Imperii; nam in ditionibus Romanæ Ecclesiæ quoad utramque jurisdictionem subjectis omnino servanda est dispositio *text. nost. c. 16. & c. 18. in pr.* propter rationem, quam tradidimus ad *c. Cum esses 10. supra eod.*

Non movet ratio Jafonis *suprà allata*, quæ eadem ubique locorum obtineret: nam, quòd inquit, Trebellianicam, ubi hæc soluta est, cedere in legitimam, id nullo jure probatur, licet ipse alleget *l. Quoniam novella 29. C. De inoff. testam.* quæ minimè hoc probat. Neque veram diversitatis rationem video inter gravatum fideicommissio universalis pure, & eum, qui sub conditione gravatus est, cum utroque casu legitima jure naturali, seu potius ex præscripto juris debeatur filio; nisi quòd legitima, cum titulo institutionis venit, imputetur in Trebellianicam, sicut *suprà* monuimus *per text. in l. In quartam 91. D. Ad L. Falcid.*

DE SUBSTITUTIONIBUS.

Cum autem *h. c. nost. 16. in pr.* fiat mentio substitutionis, non abs re erit, materiam substitutionis hæc breviter perstringere; quòd ea utilis sit, & quotidiana, & maxime conferat ad percipiendam veram sententiam *c. 1. hoc tit. lib. 6.* † Itaque verbum *Substitutionis* generaliter sumptum ad quamlibet in alterius locum successionem pertinet, *ut videtur est in l. un. §. 7. & §. 14. C. De ant. tollen. in l.*

LUCIUS

Lucius Titius 2 2, D. De legat. 1, in l. Arboris 59, in pr. D. De usufr. cum similibus. Hoc tamen loco non de alia, quam heredum substitutione nobis agendum est; licet jure antiquo etiam filio exheredato impuberi poterat substituere pater, ut est text. in §. Non solum 4, Inst. De pupil. substit. Sed cum hodie exheredari non possit filius, nisi inserta, & expressa causa ingratitudinis, c. 3, Nov. 115, quam vix videretur incurere posse impubes, idem tamen modò de substitutione heredum nobis erit differendum.

18 Et hanc dupliciter fieri posse explorati juris est, directò scilicet, & obliquè sive per fideicommissum, quam idcirco fideicommissariam appellamus, d. c. 1, in pr. eod. tit. lib. 6, & l. Si potestate 67 D. Ad S. C. Trebell. Directa substitutio illa dicitur, quæ facta est verbis directis: qualis hæc est, Titius heres esto, & si is heres non erit, Caius heres esto: nam per hanc substitutus, eveniente conditione, directò sive propriâ manu, non verò alterius ministerio, hereditatem consequitur, sive ejus partem, ubi videlicet in partem hereditatis est substitutus.

19 Obliqua sive fideicommissaria est substitutio, quæ verbis obliquis concepta est; qualia sunt, Peto, Mando, Rogo, Fidei tua committo, heres, ut hereditatem meam, vel partem reddas sive restituas Sempronio: nam hæc verba, & similia, alterius ministerium designant, §. fin. Inst. De sing. reb. per fideicom. vel. His tertium substitutionis genus interijciitur, quæ facta est, verbis communibus, hoc est, quæ utrisque tam directis, quam obliquis verbis significandis accommodata sunt, ut sunt, Substituto, Perveniat, Habent, Succedat, Revertatur, Devolvatur, & similia, de quibus latius Bart. in l. Centurio 15 D. De vulg. & pup. subst. num. 46, & seq.

Directa substitutio rursus triplicis generis est: aut enim est vulgaris, aut pupillaris, aut quasi pupillaris, quam vulgò exemplarem vocamus; quibus alii adijciunt compendiosam, & reciprocam, quæ tamen re ipsa ab aliis non distat, nisi tantum conceptione verborum, sicut in progressu videbitur.

20 Vulgaris substitutio ea est, quæ à quolibet, & cuilibet heredi fieri potest, ut & ipsa vox vulgaris indicat, §. 1, Inst. De vulg. substit. quæ idèò introducta fuit, ne facta à caducâ institutione, ut quia heres institutus hereditatem adire non vult, aut non potest, testator contra voluntatem suam intestatus decedat: nam, deficiente institutione,

locum habet substitutio, & totam testamenti causam sustinet.

Atque hæc vulgaris substitutio quandoque expressis verbis concipitur, quandoque tacitè venit ex præsumpta testatoris mente. Expressis verbis, ut in exemplo supra allato, Titius heres esto, & si heres non erit, Caius heres esto, l. 1. §. 1, D. De vulg. & pup. subst. Intelligitur autem Titius heres non esse, ubi non vult, vel non potest sibi acquirere hereditatem, l. 3, C. De hered. instir. Potest tamen testator hanc explicationem in suo testamento facere his, vel similibus verbis: Heres esto, vel, eum heredem instituo; & si noluerit esse heres, vel non potuerit, Caius heres esto, d. l. 3.

Ubi notandum, quòd substitutio in altero horum casu concepta ad alterum extendatur: veluti si dictum sit, Titium heredem instituo, & si ipse heres esse noluerit, Caium substituo, nihilominus substitutioni locus erit, si Titius aut morte, aut aliâ ratione præditus non potuerit esse heres, per text. in l. Gallus 29, §. 5, D. De lib. & posth. & per eundem text. Bart. in l. 1, num. 14, D. De vulg. & pup. cui & communiter alii accesserunt, teste Albano in apostilla ibid. ad Bart. & Guiliel. Bened. in h. c. nostr. 16, in pr. in verbis, absque liberis num. 23, quem refert & tacitè sequitur Covarr. hic §. 4, De vulg. substit. num. 5, Cujus etiam ratio est, quòd dispositio testatoris in uno casu porrigatur ad alium ex verisimili conjectura testatoris, ne intestatus decedat, facit text. opt. l. Titius 25, §. un. D. De lib. & posth. junctâ l. In testamentis 12, D. De R. I.

Tacitè venit vulgaris substitutio, quando pater substituit filio suo impuberi, veluti hoc modo: Sempronium filium meum instituo, & si heres erit, & infra pubertatem decesserit, tunc Caius heres esto; continetur enim tacita vulgaris substitutio, hoc est, etiam si Sempronius patri suo heres non sit, nihilominus substitutus intelligitur vulgariter. Explico, si filius impubes, cui facta est substitutio pupillaris, repudiat hereditatem patris sui, in qua institutus est, vel alius heres esse non potest, substitutus virtute tacitæ substitutionis vulgaris comprehensæ in pupillari non tam ex vi, & natura verborum, quam ex tacita, & præsumpta mente testatoris, & juris interpretatione intelligitur, per text. in l. 4, §. fin. D. De vulg. & pup. Contrà quoque sub expressa vulgari continetur tacita pupillaris, l. 4, C. De impub. & alius substit.

Igitur effectus substitutionis vulgaris hic est, ut, si heres institutus non sit heres, quia repudiat

hereditatem, vel non potest esse heres, quia forte incapax est hereditatis, veluti est spurius, ex damnato coitu, deportatus, vel condemnatus ad mortem, aut similis persona: vel dato, quod sit capax, discessit tamen vivente testatore, vel eo mortuo hereditatem non adeat, (dummodò institutus heres non sit ex liberis ipsius testatoris, qui hereditatem licet non aditam transmitteret ad descendentes suos beneficio *l. un. C. De his, qui ante apert. tab. hered. transmitt.*) cum quolibet horum casuum admittitur substitutus, per text. in *l. 3. in l. 2. juncto ibid.* Baldo C. De hered. instit. eleganter Ant. Gomez. Var. resol. tomo 1, cap. 3, num. 14, Idque adeò verum est, etiam si institutus heres habet alium sibi coheredem; nam adhuc præferretur substitutus, per text. in *l. 2. §. 8. D. De bon. poss. secundum tab. in l. fin. in princ. D. De vulg. & pup. & Nov. 1, cap. 1, §. 3* Ex quo constat, substitutionem vulgarem potentiorē esse jure accrescendi, quod alioqui est inter coheredes. Et ratio est, quia substitutus venit ex expressa voluntate, & dispositione testatoris, seu potius provisione juris, ne testator pro parte testatus, & pro parte intestatus discedat, *l. 7. D. De R. I. & §. 6. inst. De heredib. instit.*

26 Et non tantum unus uni, verum etiam plures in unius locum, vel etiam unus in plurium locum, substitui potest, item & heredes sibi invicem recte substituuntur, §. 1. *Inst. De vulg. subst. & l. Potest 36. §. un. D. De vulg. & pup. subst.* ut tamen in pluribus uni substitutis divisio fiat pro hereditariis portionibus, §. 2. *Inst. De vulg. subst. & l. Qui liberus 8, §. un. cum l. seq. D. De vulg. & pup.* nisi forte substituti propriis nominibus expressi essent, hac enim specie vocarentur pro numero personarum, arg. text. in *l. Quoties 23, junctâ l. seq. D. Ad S. C. Trebell.*

27 Exspirat autem vulgaris substitutio per aditionem hereditatis ab instituto factam, *l. Post aditam 5, & l. Humanitatis 8 C. De impub. & aliis subst.* cum enim substitutio fiat sub conditione, si heres non erit, metied exspirat substitutio deficiente conditione. Atque hæc de vulgari substitutione.

28 Jam, quod attinet ad pupillarem substitutionem, ea primùm moribus introducta fuit, deinde aperto jure recepta tam Canonico, quam civili, *l. 2. in pr. & toto tit. D. De vulg. & pup. & c. 1. in pr. De testam. lib. 6.* Idque in favorem filiorum impuberum, ut cum ante pubertatem testamenti eondendi jus non habeant, §. 2. *Inst. Quibus non est permis. fac. testam.* saltem pater ipse heredem scribere sive nominare possit, ne pro fusus intestati de-

cedant. Ac proinde succedet institutus impuberi in omnia ejus bona, quæ ex quacumque causa ad eum pervenerunt, adeò licet in re certa, & non simpliciter ipsi sit substitutus, propter jus accrescendi, per text. in *l. Sed si plures 10, §. 5. & in l. Coheredi 41, §. fin. D. De vulg. & pupil. subst. & l. Sitemamento 7, C. De imp. & aliis subst.* Dixi, in omnia bona pupilli; etiam exclusâ matre à sua legitima, *l. Papinianus 8, §. 1. D. De in offic. testam. & d. c. 1. in pr.* ubi hæc ratio redditur, quod pupillaris substitutio non à filio fiat, sed à patre; atque idcirco pars sit testamenti patris, non verò ipsius filii, qui alioquin, si ipse testamentum conderet, teneretur relinquere legitimam matri suæ, *d. c. 1. §. un. & dist. Nov. 115, in pr.* Itaque pupillaris substitutio quasi pupilli quoddam testamentum continet quoad successionem in omnia bona pupilli, tamquam pupillus ipse sibi heredem instituisset, §. 3. *Inst. De pupil. subst.* interim non quoad causam efficientem, id est, patrem, & solemniam Juris, quæ separatim adhibere in substitutione filii necesse non est, sed sufficiunt solemniam adhibita in testamento patris, in quo substitutio fit, quod & ided dicitur unum testamentum, *l. Patri 20, in pr. D. eod. & d. §. 3.*

Forma substitutionis pupillaris hæc est; *Titius filius meus heres mihi esto, & si filius meus heres mihi non erit, sive heres erit, & prius moriatur, quam pubes factus fuerit, tunc Sejus heres esto, d. tit. Inst. §. 1.* Et licet videatur hoc exemplum esse duplicis substitutionis, in qua prius sit vulgaris, deinde pupillaris substitutio; tamen rectè dicitur utroque casu venire pupillarem substitutionem, eo quod ad essentiam substitutionis pupillaris non pertineat, ut filius, cui sit substitutio, sit heres patris testatoris: siquidem & filio exheredato, & præterito etiam fieri possit substitutio, §. *Non solum Inst. De pup. subst. & Auth. Ex causa C. De lib. præt. vel exher. Bart. ad l. 2, num. 27, D. De vulg. & pup.* Et ratio est, quia pater in pupillari substitutione sibi non substituit, sed filio pupillo, unde necessariò non requiritur, ut filius patri sit heres: dum tamen ab alio adeatur hereditas patris, nam eà non aditâ conederet & substitutio pupillaris, *d. l. 10, §. 4.*

Ut igitur pupillaris substitutio subsistat, quatuor præcipuè requiruntur: primùm, quod is, cui substituitur, sit filius sive nepos, vel alius ex descendentibus, & in patria potestate constitutus: alterum, quod sit impubes, nam pubes factus potest sibi facere testamentum: tertium, quod post mortem parentis efficiatur sui juris, ita quod

quod non recidat in potestatem alterius? quartum est, quod ex testamento paterno adeatur hereditas, per text. in d. l. 2, in princ. & alia jura sup. allegata.

31 Quo verò ad quasi pupillarem substitutionem, quam vulgò exemplarem vocamus, eo quod ad exemplum pupillaris substitutionis introducta sit, ea sit mente captis à parentibus. Sicut enim in pupillo, propter defectum ætatis, receptum est, ut pater illi testamentum facere possit, ita & in mente captio, ob eandem rationem, cum & hic testamentum sibi facere non possit, per text. in l. Humanitatis 9, C. De imp. & alius subst. §. 1, Inst. De pupil. subst. In hac tamen substitutione hoc amplius est, quod non solum à patre, verum etiam à matre fieri possit liberis etiam puberibus & emancipatis, d. l. 9, quod non est in pupillari substitutione, uti supra probatum est. E diverso verò minus est in exemplari substitutione, quod non quilibet per eam possit substitui, sed primum descendentes, si qui sint ipsius mente capti; deinde, his non existentibus, ejusdem fratres; postremo, his omnibus deficientibus, extranei, quos voluerit parens testator, possint. Et licet ad mente captos tantum hæc substitutio diserte pertineat, d. l. 9, tamen communi calculo eò devenit, ut & prodigis, & mutis, & surdis substitui possit à parentibus, ob eandem rationem. Panorm. ad hoc c. nostr. 16, in pr. num. 4, in fine, & Covarr. hic §. 6, in pr. arg. l. 13, D. De legib. extinguitur vero cessante morbo, d. §. 2, & l. 43, in pr. in verbis, nam & si furioso D. De vulg. & pup. subst. non vero suspenditur, ut vulgus putat; ac proinde, si interruptus morbus redeat, non convalescet hæc substitutio, argum. l. 3, C. De posth. heredib. inst. & l. Qui uxorem 15, D. De injus. rupto, irr. factis testam.

32 Jam reliquas substitutionis species persequamur: quarum una est substitutio obliqua sive fideicommissaria, cujus meminit textus noster in c. 16, in pr. quæ ideo sic dicta est, quod per eam hereditas, vel pars ipsius, ad substitutum perveniat non directo, sed ministerio alterius, puta heredis, qui gravatus est eam restituere alteri, l. 1, §. 5, & passim D. Ad S. C. Trebell. §. 5, & toto tit. Inst. De fideicom. hered. cujus substitutionis verba supra retulimus.

33 Potestque fieri hæc substitutio non tantum heredi in testamento instituto, verum etiam legitimo, & honorario, id est, bonorum possessori, d. §. 5, & Recusare 6, §. 2, D. d. tit. & §. praterea 10, Inst. eodem tit. In instituto hæc, vel simili forma ob-

servari potest: Titius heres esto, & rogo, vel mando, ut hereditatem meam totam, vel partem, cum primium adire poteris, restituas Cajo Sejo. In altero quoque hæc vel similis: Rogo, vel mando tibi, heres legitime, sive honorarie, meam hereditatem Sempronio reddas, restituas, d. §. 10. Unde in codicillis hæc substitutio rectè fit, §. 1, Inst. De codicil. & non tantum purè, ut in prædictis exemplis, sed etiam sub conditione, veluti, si sine liberis decesserit, vel alia simili. Imo ex certo die, vel in certum diem hæc substitutio fieri potest, §. 2, vers. potest Inst. De fideicom. her. & l. Mulier 12, §. 1, D. Ad S. C. Trebell. Contra fit in institutione heredis, quæ licet sub conditione etiam rectè fiat, non tamen ex certo tempore, vel ad certum tempus, sed sublato tempore remanet pura institutio, l. Hereditas 34, D. De her. inst. & §. heres 9, Inst. De hered. inst. Idque ob repugnantem juris regulam, quarum una hæc est, quod jus nostrum non patitur, eundem in paganis, id est, non militibus, & testato & intestato decessisse, l. 7, D. De R. I. altera, quod is, qui semel heres factus est, numquam possit heredis nomen exuere, l. Ait prator 7, §. 10, vers. cum enim D. De minorib. † 34

Quod non evenit in substitutione fideicommissaria, in qua licet ex certo tempore, vel ad certum tempus restitutio hereditatis fiat, manet nihilominus is, qui restituit, semper heres. Utilitas vero hereditatis transit in fideicommissarium, §. 4, juncto §. 6, Inst. De fideicom. hered. una tamen cum onere hereditatis, etiam invitis creditoribus, l. 1, §. 2, vers. places D. Ad S. C. Trebell. sed deducta quarta parte hereditatis ex Senatusc. Trebelliano, quam sibi retinet heres gravatus, & pro ea parte tenetur agnoscere æs alienum hereditatis, nisi malit integram hereditatem restituere: qua specie nulla ratione tenetur, sed omnes actiones in fideicommissarium transeunt; sicut etiam, ubi heres invitus per officium judicis cogitur adire hereditatem, & eam restituere fideicommissario, d. §. 6, & l. 4, l. Cogi 19, §. 9, & l. Qui totam & ibi zart. D. Ad S. C. Trebell. Restitutio autem hereditatis duobus modis fit: aut re ipsa, vel verbo. Re ipsa, si fortè passus est heres fideicommissarium possidere res hereditarias vel totas, vel aliquas earum, hac mente, ut vellet restituere, & ille recipere; vel id postea ratum habeat heres verbo, si dixit se restituere: vel si per epistolam, vel per nuncium restituat, l. Restituta 37, in pr. D. d. 1.

Sed si nge heredem ante aditionem, vel fideicommissarium ante restitutionem, discessisse, anue

anue hereditas fideicommissaria ad utriusque heredes transmittitur? Et licet hereditas directè relicta, antequam adita sit, vel bonorum possessio, priusquam sit agnita coram iudice, regulariter ad heredes non transeat, *l. unica §. 1, C. De caduc. toll. §. 7, D. De bonorum possess.* tamen hic diversum obrinet, quòd scilicet transeat ad heredes tam gravati heredis, quàm fideicommissarii, *per text. in l. 7, §. un. & ibi vide Glos. & Barr. C. Ad S. C. Trebell. §. d. §. 9.* Et ratio est, quia officium iudicis, quo heres adire compellitur, ad heredes utrinque transit, *facti text. in l. 6, D. De in integrum rest. & in l. un. C. Ut actiones & ab hered. & contra, &c.*

36 Quæritur hic, an fructus medio tempore ab herede gravato percepti veniant quoque in restitutionem hereditatis? Et respondet Ulpianus, quòd non, *in l. In fideicommissaria 18, §. 2, D. Ad S. C. Trebell.* hac ratione motus, quòd is, qui rogatus est hereditatem restituere, id videatur rogatus, quod fuit hereditatis: at fructus non hereditati, sed ipsi rebus, inquit, accepto seruntur, nisi in restituendo mora facta sit, aut rogatus sit heres, ut & fructus restitueret, *d. l. 12, in princ. Nihilominus hi fructus imputantur in quartam Trebellianicam, qui scilicet percepti sunt conditione pendente, aut antequam dies venerit, quo fieri deberet restitutio, d. l. Mulier 22, §. 2, vers. 1, alia causa D. Ad S. C. Trebell. & d. l. Lubanus 6, §. 2, C. eod. tit.* Et ratio est, quia huiusmodi fructus iudicio testatoris saltem tacite percepti sunt, quasi testator voluerit tamdiu frui heredem rerum hereditariarum fructibus, donec conditio, aut dies exierit, *d. vers. alia causa:* sed quidquid percepit heres iudicio testatoris, cogitur redigere in quartam Trebellianicam, *l. In quartam 91, D. Ad L. Falcid.* Dixi, qui pendente conditione, aut ante diem sunt percepti; nam secus est in fideicommissario puro; quod, cum statim peti possit per fideicommissarium, *l. Cedere diem 213, in pr. D. De verb. signif.* propter negligentiam eius, si non petat, non cogitur heres fructus computare in quartam Trebellianicam, eò quòd iudicio testatoris fructus percepti non videantur, sed propter negligentiam fideicommissarii, *d. §. 2, l. 12.* Adde, quòd in liberis descendentes hoc singulare sit, ut, si gravati sint sub conditione, si sine liberis decesserint, restituant hereditatem fratri vel alteri; cum hi non teneantur fructus à se perceptos imputare in Trebellianicam, sed ex ipsis rebus hereditariis possint eam deducere etiam contra voluntatem parentis testatoris, *per sext. in d. l. 6, in pr.*

Quod tamen limitandum est juxta decisionem tex. nost. *in c. 16, §. 2.* præterquam in fructibus à litis contestata tempore perceptis. Idque hac rationem habet, quòd per litis contestationem inducatur mala fides, quæ impedit fructus lucrari per possessorem, *l. Certum 22, C. De rei vindic. & l. 1, §. 11, C. De pet. hered.* Loquimur verò de fructibus post aditam hereditatem perceptis ab herede gravato: nam qui ante aditionem percepti sunt, utique veniunt cum aliis rebus in restitutionem hereditatis; quippe cum augeant hi hereditatem, antequam sit adita, *l. Ita tamen 27, §. 16, l. Postulante 44, §. un. & l. Deducta 38, §. 2, D. Ad S. C. Trebell.*

Præterea ex hoc textu nostro *in d. c. 16, in pr.* discimus, matrem & filium, vel patrem & filium simul institutos, vel substitutos, non ordine successionis, hoc est, unum post alterum, sed simul & eodem tempore ad hereditatem admitti: nam hoc loco Alterocha, & ejus soboles Adjectæ sorori substitutæ ad eisdem hereditatem ex substitutione simul vocantur. Idem probat text. *in l. fin. C. De impub. & aliis subst.* Neque interest, pater & filius, sive mater & filius per conjunctionem, vel per dictionem *cum*, vel similem conjungantur; nam quævis parem utrumque efficit, *per text. in l. Si quis 7, D. De usufr. accresc.*

Non movet textus *in l. Gallus 29, §. 1, D. De liberis & post.* ubi filius & nepos heredes instituti hoc modo, *Filius meus heres esto, & si quis mihi ex eo nepos natus erit, heres esto,* ordine successionis vocantur: quia facilis responsio est, si mentem Juris, *in d. §. 1,* expendamus; is enim ad consilium Galli Aquilii, *in d. l. 29, in pr.* verba sua accommodat. Nam Gallus formulam quamdam tradiderat, qui postumus nepos rectè heres posset institui, ne, si fortè ab avo omissus esset, rumperet ejus testamentum, eo scilicet casu, quo pater suus vivo adhuc avo decederet: nam tunc nepos subintrat locum patris sui, & sit suus heres avo, ita quòd ab eo in testamento præteriti non possit, *§. 3, Inst. De exhered. liber.* Quare, inquit I. C. etiam si avus non exprimat totam formulam Galli Aquilii, nihilominus nepotem rectè instituit, si simpliciter eum instituat, nullâ mentione factâ mortis filii: nimirum successivo ordine post patrem veniet, ac proinde nativitate suâ non rumpet testamentum avi.

Unde prædictæ regulæ hæc una limitatio est, videlicet, ut non intelligatur conjunctio ejusdem gradus, si de testatoris mente aliter constet; cum

in 107

In testamentis mens loquentis primum omnium spectetur sicut & in contractibus, *l. Non aliter 69 D. De legat. 3. & l. Senper 34, D. De R. l.* Alia limitatio est, si te & heredem tuum instituas vel substituas; vel tibi & heredi vendam, vel locem; nam uterque non simul, sed successivè veniet, quia nemo heres est, nisi post mortem ejus, cujus est heres futurus, per text. in *l. Qui superstitus 94, D. De acquir. vel omis. hered. in l. 1, D. De hered. vel act. vend.* Idem est, si tibi & familiae tuae praedium relinquam; nam & hic ordinis sive successiois ratio habebitur: ut scilicet hi, qui tibi in familia propinquiores sunt, posteriores excludant, donec illi vixerint, *l. Peto 96, §. 3, D. De legat. 2.* Tertia limitatio est, nisi subiecta materia aliud suadeat: veluti in feudo, quod, etsi vasallus pro se & liberis suis masculis & feminis acquisierit, non tamen post mortem ejus familiae una cum masculis in feudum admittatur, sed tunc demum, quando deficiunt masculi: idque propter naturam feudi, in quo masculi semper feminis praeferruntur, *tit. 8, §. 2, lib. 1, Feud. tit. 6, §. 1, eod.*

39 Hic libet quaestione subicere, An herede gravato, sub hac conditione, *si sine liberis decesserit*, expiret conditio, si tantum naturalem filium, vel filiam post se relinquat: Et constat ex Ulpiani responso *l. Ex fusto 17, §. 4, D. Ad S. C. Trebell.* expirare conditionem, & filium naturalem excludere substitutum. Cui suffragatur etiam text. in *l. Heredib. 77, §. un. D. eod. tit.* Verum huic obstare videtur text. in *l. Si quis heredem 6, §. un. C. De institut. & substit.* ubi filio naturali à patre substituti liberti intelliguntur justi, non naturales tantum. Et ratio evincere videtur, cum verba in dubio proprie accipienda sint, *l. 4, C. De his qui ven. a. a. v. impetr.* proprie autem filius dicitur, qui domi ex uxore mea natus est, *l. 6, D. De his qui sui, &c.* Quare ratione motus existimat Baldus in *d. §. un.* filium naturalem non praeferrere substituto. Idem disputando confirmat Decius in *c. Inter dilectos 8, num. 27, sup. De probat.* Nihilominus altera sententia verior est, eaque communi calculo recepta, teste eodem Decio, *d. loco.* Et ratio est, quia etiam hic inter liberos numeratur, licet non sit legitimus, *tototit. C. De natural. lib.* imò & à patre rectè instituitur heres, *juxta Auth. Licet C. eod. tit.* Quare filius naturalis, licet proprie inter liberos non sit, tamen, cum in testamentis plenior interpretatio adhiberi soleat, *l. 12, D. De R. l. & c. 6, §. un. sup. De donat.* jure admissum fuit, ut inftar filiorum legitimorum etiam naturalis filius excludere

ret substitutum, *d. l. 17, §. 6*, idque in dubio, & concurrente nullà circumstantiâ, quae aliter mentem testatoris interpretetur. Quid enim, si testator illustri persona sit, aut in alia dignitate positus, aut alias honestae vitae, ita quòd adhorreat concubinatum? profectò in dubio non censetur cogitasse de nepotibus naturalibus ex filio suo procreandis: quod judicis erit dispicere, sicut & disertè indicat *d. §. 6*. Neque textus movet in *d. §. un. l. 6*, quia is exaudiendus est, ubi haec conditio, *si sine liberis decesserit*, à lege tacitè subintelligitur, uti semper subintelligitur, quando filii, sive nepotes ex filio simpliciter gravantur, post mortem suam hereditatem restituere alteri, nam conditionem tacitam hanc adnexam habet, si sine liberis decesserint, *l. Cum acutissimi C. De fideic. l. Cum avus 102, D. De condu. & demonstr. & d. §. un.* Aliud verò est, ubi ab ipso testatore conditio, *si sine liberis decesserit*, expressè adjecta fuerit: quia hoc casu filius naturalis tantum etiam excludit substitutum, prout jam antea dictum est. Quae distinctio est Glossae, Alberici, & aliorum, quos citat, & sequitur Gomezius *Var. resol. tomo 1, c. 15, n. 40*

40 Quibus adde, eandem conditionem, *si sine liberis decesserit*, deficere, & consequenter non admitti substitutum, si filius, vel etiam alius quilibet fideicommissò tali gravatus fiat Clericus, aut Monachus: ita tamen, ut talis Clericus receptam hereditatem in pia opera expendat, aut relinquat; Monachus verò monasterio acquirat, *d. c. 8, §. fin. sup. De probat.* Idque in favorem pietatis introductum fuit, ne qui meliorem vitam elegit, deterioris sit conditionis, quam qui in saeculo uxorem duxit, argumento *l. pensule D. De Senatorib.* Unde fit, ut, si pauper, aut alia pia causa substituta fuerit, haec minimè excludatur per Clericum, aut Monachum, cum utrobique militet pia causa, *Gloss. Panoem. Felin. & Imola in d. c. 8, quos consule.*

41 Sequitur reciproca substitutio, quae & breviloqua à quibusdam appellatur, sed minus rectè; & tunc fieri dicitur, cum pluribus institutis, aut exhereditatis, aut in alterius defectum, substituitur, ut in his exemplis: *Casus & Sejus heredes sumo, eoque invicem substituo*: vel *Titius & Marcius filii mei heredes sumo, eoque invicem substituo*, *l. 4, §. 1, D. De vulg. & pup.* Idem est, si plures heredes sibi invicem substituuntur, *l. Lucius Titius 45, §. un. D. eod.* Hæc itaque substitutio nihil distat ab aliis substitutionibus, nisi verborum formâ, & conceptione; siquidem plures simul substitutiones complectitur,

plectitur, videlicet eas, quæ æqualiter omnibus substitutionis convenire possunt. Nam in extraneis heredibus institutis, sibi que invicem substitutis, duas tantum vulgares substitutiones in utriusque persona continet: in filiis impuberibus duas pupillares, & duas vulgares; & si iidem mente capri sint, duas vulgares, & duas pupillares, & duas exemplares. Quod si iidem filii sibi invicem substituti sint verbis communibus, etiam duas fideicommissarias, & sic octo simul substitutiones comprehendit, prout verba substitutionum convenient substitutionis. Did. Covarr. ad d. c. nostr. 16, §. 5, num. 3.

Cæterum si hæc substitutio reciproca facta sit duobus inæqualibus, v. g. uni puberi, alteri impuberi filio, non alias substitutiones inducet, quam quæ utrique conveniant, & consequenter non continebit duas pupillares, vel etiam unam, quia illa puberi non convenit, d. l. 4, §. 2, Gomez. Var. ref. lib. 1, c. 6, de subst. breviloqua.

Sed animadvertendum est, omnes has substitutiones esse expressas, non tacitas; cum generalibus verbis conceptæ sint, & sic substitutionibus æqualiter conveniant, expirantque eo modo, quo singulæ substitutiones, si singulatim & in specie expressæ fuissent. Neque v. g. interest, substitutionem in altero cessare in reciproca substitutione impuberum, altero videlicet jam pubere effecto; sufficit enim ab initio in utroque constituisse substitutionem pupillarem, per ea, quæ *fussimè* tradit Jason in d. l. 45, num. 17, & 18, D. De vulg. & pup. subst.

42 Postremo, quod ad substitutionem compendiosam attinet, hæc compendiosæ verborum in unius persona multas simul substitutiones comprehendit; nam vulgarem & pupillarem, & fideicommissariam, & reliquas substitutiones continet, quæ scilicet applicari possunt substituto ex verbis substitutionis: veluti si pater ita substituatur, *Instituo filium meum. Et ei Titium substituo*; hic filius si non sit patri heres, substitutus admittetur ex vulgari substitutione; si verò sit patri heres, & discedat post pupillarem ætatem, admittetur substitutus ex fideicommissaria substitutione, propter verbum substituo, quod commune est, uti paulo infra *lavinæ* dicitur: & si fortè talis filius sit furiosus, si ve mente captus, admittetur ex exemplari substitutione, l. Precibus 8, C. De impub. & aliis subst. Gomez. d. loco cap. 7, de subst. compend. Hæc autem omnes substitutiones, cum sub generalitate verborum expressæ, quam vis non specificè, conti-

neantur, rectè sequitur, matrem per pupillarem substitutionem, quæ hæc compendiosæ continetur, ab hereditate filii excludi, etiam quoad legitimam suam, uti fit in vulgari substitutione, d. l. 8, c. 1, §. un. De testam. lib. 6, l. 8, §. 5, D. De inoff. testam. Sic nec hæc erit compendiosa substitutio, si filius meus in pupillari ætate discesserit, substituo Titium; vel si filius meus mihi heres non est, substituo Titium: nam licet tacita vulgaris contineatur sub expressa pupillari, contra tacita pupillaris sub expressa vulgari, l. 4, §. 2, D. De vulg. & pup. & l. 4, C. De impub. & aliis subst. non tamen erit compendiosa substitutio; siquidem tacita vulgaris, vel pupillaris, non tam ex vi verborum venit, quam ex tacita, & conjecturata mente testantis, contra verba testamenti. Si enim filio impuberi ita à patre vulgari substitutum sit, si heres non erit, Titius heres esto, videatur certè filius immiscendo se hereditati paternæ, exclusisse substitutionem, si nimirum ipsa verba inspiciamus; at si præsumptam mentem patris testatoris, substitutioni pupillari adhuc locus erit, si idem filius in pupillari ætate decesserit, d. l. 4, §. 2.

Cæterum non parva difficultas oritur, quibus 43 verbis fiat hæc substitutio compendiosa, verbisne directis, obliquis, vel communibus? In milite hoc quidem jure utitur, ut, si is impuberi filio suo directè substituerit, valeat hæc substitutio ut pupillaris, si idem filius impubes decesserit; ita ut hoc casu substitutus admittatur ad omnia bona ipsius filii, quæ à quocumque habet; post pubertatem verò valeat ut militaris, ex privilegio militibus concessio, succedatque in bona tantum ipsius patris, per text. in l. Centurio 15, D. De vulg. & pup. subst. & in d. l. 8, C. De impub. & aliis subst. Illud enim privilegii habent milites, ut etiam directè ei possint substituere, qui semel heres extitit, l. 5, D. De testam. milit. In pagano, id est, in alio, quam milite, substitutio impuberi verbis directis facta ante pubertatem valeat ut pupillaris, postea verò nullo modo, adeò ut nec ad fideicommissariam trahi possit, l. Verbis civilibus 7, & l. In pupillari 14, D. De vulg. & pup. & §. ult. Inst. De pup. subst. Covarr. ad hoc c. nostr. 16, §. 9, num. 29, ubi & communiter hoc receptum adferit: nam cum per agnitionem hereditatis paternæ pupillus semel heres factus sit, & per pubertatem jam expiraverit substitutio pupillaris, §. penult. Inst. De pup. subst. non potest substitutus venire ex capite vulgaris substitutionis, cum per aditionem hereditatis expiraverit conditio substitutionis, l. 5, C. De impub. & aliis

alio subst. nisi directa substitutio facta sit in codicillis; tunc enim ex benigna interpretatione trahitur ad fideicommissariam, l. Scavola 76, D. Ad S. C. Trebell. aut testamento inserta sit clausula codicillaris, quo etiam casu valebit in vim fideicommissi, per sext. in l. fin. §. 1, C. De codicil. Vide contra hanc sententiam nostram disputantem Ant Gomez. Var. resol. tomo 1. c. 7. de subst. compend. Ubi verò compendiosa substitutio facta est filio impuberi communibus verbis, ante pubertatem directa est pupillaris, postea verò obliqua sive fideicommissaria, per text. in c. 1, in pr. De testam. lib.

6, & latius comprobatur Gomez. d. loco num. 6. Quæ denique verbis obliquis concepta est, ea quoque tempore est fideicommissaria; veluti, Filium meum heredem instituo. & quandocumque decesserit, restituat hereditatem alteri: nam hæc substitutio semper, id est ante & post pubertatem, erit fideicommissaria, per text. in l. Coheredi 41. §. 2, D. De vulg. & pup. subst. Quæ notanda sunt propter detractionem Trebellianicæ, quæ locum habet in fideicommissio universali, per sext. nost. in c. 16, in pr. & in d. §. 2, & passim in tit. D. & C. Ad S. C. Trebell.

IN TIT. XXVII. DE SVCCESIONIBVS AB INTESTATO.

SUMMARIÆ.

1. Hereditas deseritur vel ex testamento, vel ab intestato.
2. Intestatus decedere quis dicatur.
3. An & qui testamentum facere non potest?
4. Filio impubere vel furioso decedente an ab ejus hereditate excludatur mater?
5. Testamento coepto & non impleto an quis dicendus decedere intestatus?
6. Conciliatio l. fin. C. Fam. erisc. cum l. subemus 29, C. De testam.
7. Testamento rupto aut irrito facto qualiter quis dicatur decedere intestatus.

Certi juris est, hereditatem defuncti duplici ad nos viâ deferri, vel ex testamento sive ultima voluntate, vel ab intestato, §. fin. *Inst. Per quas person. cuique acquir.* neque enim contractu, sive aliâ conventionē hereditas alterius acquiritur, l. Hereditas 3, C. De pactis convent. & l. Licet 19, C. De pactis, sed ultimâ voluntate, id est, testamento, aut codicillis, §. 3, *Inst. De codicil.* vel ab intestato per legitimam successionem. Ac de ultima voluntate superiori Tit. diximus, reliquum est, ut hîc de successione ab intestato dispiciamus.

2. Ubi in primis quæritur, quis dicatur intestatus decedere; nec enim inter Interpretes hac in re convenit. Justinianus his verbis eleganter intestatum describit. Intestatus, inquit, decedit, qui aut omninò testamentum non fecit, aut id, quod fecerat, ruptum, irritumve factum est, aut nemo ex eo heres extitit, in princ. *Instit. De hered. qua ab intest. deser.* Cujus descriptionis partes, cum

magni momenti sint, à nobis diligenter sunt explicandæ.

Itaque ait, qui aut omninò testamentum non fecit; quæ verba, utrum accipienda sint de eo tantum, qui cum testamentum facere potuit, maluit tamen sine testamento decedere; an verò etiam de eo, qui de jure testari nullâ ratione potuit, ut sunt impuberes, furiosi, & similes, de quibus sub tit. *Instit. Quib. non est permiss. fac. testam.* magna apud Dd. contentio est. Conducit enim hæc quæstio ad multa, præsertim ad interpretationem statutorum, quibus quandoque cavetur, ut extantibus fratribus, vel agnatis defuncti, mater intestato filio non succedat; nam hoc, vel simili casu quæritur, ¶ An filio impubere, vel furioso decedente, mater ab hereditate filii excludatur? Sunt enim, qui existimant, matrem non excludi, sed jure communi unâ cum fratribus extantibus admittendam esse, ex *Novel. 118, §. si igitur defunctus*, eo quòd propriè intestatus dici non possit, qui testari de jure non potuit: cum intestatus privatio sit testati, quemadmodum nole privatio est velite, l. 3, D. De R. I. Privatio enim, ut dici solet, præsupponit habitum, per text. in l. 116, D. De verb. oblig. Cum igitur statuti verba strictè accipienda sint, & in dubio, quantum fieri potest, revocanda ad jus commune, c. *Cum dilectus 8, §. fin. sup. De consuet. & l. 2, C. De noxal. act.* apparct matrem vi hujusmodi statuti per fratres vel agnatos non excludi ab hereditate filii. Verior tamen sententia est, quòd & is intestatus rectè dicatur, qui testamenti condendi potestatem non habet, idque si non propriè, at saltem ex communi loquendi consuetudine, & usu legum. Quod manifestè probat text. in l. 1, in pr. D. De sui & legit. hered.

Et 2

Planè,

Planè, ait Ulpianus, qui testari non potuit, propriè non est intestatus, puta impubes, furiosus, vel cui bonis interdictum est, sed hos quoque pro intestatis accipere debemus. Confirmat text. in *l. Qui duos 42, in fine, in l. Lucius 45, D. De vulg. & pup. in l. 2. in princ. & l. fin. in pr. D. Qui pat. tutores. vel curat. Bart. ad d. l. 1, num. 2, quippe cum utus loquendi præferatur propriæ significationi verborum, *l. Libererum 52, §. 4, D. De legat. 3, l. Cum de lationis 18, §. 1, D. De fundo instructo leg. tex. opt. in l. Semper in stipulationib. 34, D. De R. I.* Et quamvis Baldus ad tit. 8, num. 6, lib. 1, Feud. differentiam constituat inter actores statutorum idiotas & Juris peritos, quòd illi rudi modo loquantur, eos etiam intestatorum nomine compellantes, qui aliàs à Jure prohibentur testari; hi verò juxta sensum Juris, quo intestatus, qui jure testari non potest, ab eo, qui potest, aperte distinguitur, ut inquit ipse Bald. nihilominus non existimo ab hac sententia nostra esse discedendam, per jura sup. allegata, quæ sunt Jurisconsultorum, non idiotarum: nisi fortè constaret, statuentes aliter sensisse, quod in primis spectandum est, juxta text. in *d. l. 34, in l. Non aliter 69, in pr. D. De legat. 3*, Non obstat, quod vulgò dici solet, privationem præsupponere habitum; quia sufficit impuberem, & similes, secundum naturam speciei suæ, quatenus est homo, habere habitum testandi, & sic privatum quoque intelligi. Sicut & in mutuo si ve cæco accidit, qui, etià à nativitate hæc vitia contraxerint, privati tamen rectè dicuntur habitu loquendi, vel videndi, idque respectu speciei, scilicet hominis, cui propriè competit habitus loquendi, & videndi. Unde secus est, in lapide v. g. cui habitus ille non competit: insulse enim diceremus eum privatum esse eo habitu, ut si dicamus lapidem cæcum aut equum mutum esse. Bart. *Consl. 1. 8.**

Sequitur in descriptione intestati, aut jure non fecit, scilicet testamentum: quod accidit, ubi in conficiendo testamento solemnitates non sunt legitime adhibitæ, quæ recensentur in *l. Hac consultiissima in pr. in l. Si unus 12, & Inst. De testam. ordin.*

5 Caterum hic quæstio incidit, An, si testamentum fieri cœptum sit, & non absolutum, quia fortè morte præventus, aut alio casu impeditus testator omnes heredes non scripsit, aut nuncupavit, sed quosdam ex iis tantum, an videlicet hoc casu dicatur intestatus discessisse? Et responsum,

est, quòd sic in *l. Si quis 25, D. Qui testam. fac. poss.* Idem est, si, institutis omnibus heredibus, testator ad legata transire voluerit: aded ut ne quidem in personis eorum, qui heredes instituti sunt, testamentum sustineri possit, sed res tota in intestati causam veniat, sicut contra Bart. tradit Jul. Clar. in *§. Testamentum qu. 7, num. 4*, Nec enim voluntas testatoris perfecta dici potest, ubi aliquid ei deest, solentque testatores in ipso actu conficiendi testamenti multa interdum antea disposita immutare, addere, revocare.

Verum obiicitur textus in *l. fin. C. Fam. excise & 6 in l. iubemus 29, vers. quod si non fuerit observatum, C. De testam.* Priori enim textu constitutum est, ut, si parens inter liberos suos testetur, eos heredes instituendo, quòd valeat hujusmodi testamentum, etiam si cœptum sit, & non completum testamentum. In posteriori verò Justinianus discernit, ut, si aliqui heredes testamento instituti sint in scriptis, vel per nuncupationem, aliqui verò non, quòd quoad illos valeat testamentum, in prætermisissis verò deficiat: Ut igitur hos textus inter se concilient, sunt, qui putant, & quidem rectè, in *d. l. fin.* agi de testamento imperfecto ratione solemnitatis, non autem ratione voluntatis, siquidem testamentum inter liberos nullam juris solemnitatem requirit, *d. l. Hac consultiissima §. ex imperfecto*; ideoque verba ejusdem textus, *si ve cœptum, neque impletum testamentum*, exaudiunt quoad solemnitates testamentarias. Quæ conciliatio certè non convenit ipsi textui, cui aperte hæc verba subjunguntur, *etiamsi solemnitate legum hujusmodi dispositio fuerit destituta*. Ita, quòd textus loquatur non solum de testamento imperfecto ratione solemnitatis omittæ, sed & voluntatis; quasi in tali dispositione inter liberos nihil interfit, solemnitates testamentariæ adhibitæ sint, vel non sint. Unde magis puto, prædictum text. in *d. l. fin.* loqui de imperfectâ voluntate patris, qui post institutionem inter omnes liberos factam aliud præterea adicere voluit, puta legatum, vel fideicommissum, aut aliud quid, sed super veniente aliquo casu fuerit præpeditus; quòd scilicet hac specie nihilominus sustineatur testamentum, idque jure singulari inter liberos, ad quos alioqui ab intestato erat perventura hereditas patris. Quo verò ad text. alium in *d. l. 29*, nihil in eo agitur de cœpto, sed pleno, & absoluto testamento, præterquam quòd in eo quidam heredes perperam, & inutiliter instituti essent,

essent, videlicet signo, vel alio indicio; non verò scripto, vel voce testatoris, quod in testamento requiritur ex constitutione d. l. 29. Quo fit, quòd horum portiones accrescant aliis legitimè institutis, l. un § *Huicita desinitis* 10 C. De caducis toll. Ubi tamen observa, quòd dixi de signo, si ve alio indicio, id verum esse, nisi illud signum, si ve indicium sit indubitabile. Si quis, inquit Ulpianus in l. Quoties 9. § 8 D. De hered. instit. nomen heredis quidem non dixerit, sed indubitabili signo cum demonstraverit, quòd pœne nihil à nomine distet, valet institutio. Ant. Gomez *Var. resolut.* tomo 1 cap. 2. num. 6. & 7.

Quoad tertiam partem descriptionis intestati, aut id, quòd fecerat, testamentum, ruptum, irritum, vel factum est: intellige per adrogationem filii, item per posthumi natiuitatem, vel per similem modum, sicuti latius videre est sub tit. *Instit. Quib. modis testam. infirm.* item per inofficiosi querelam, quâ testamentum irritatur, si ve rescinditur, & ab intestato defertur hereditas, l. Papinianus 8 §. 16. D.

De inoff. testam. Quare falsum est, quòd existimat Barr. ad l. 1. num. 1. D. De suis & legit. hered. testatorem non decedere intestatum, ubi illius testamentum natiuitate posthumi post mortem testatoris rumpitur, eo quòd semel testatus decesserit; contra descriptionem intestati supra à nobis relatum. & d. l. 1. in pr. in verbis sed & u. qui testamentum. Et ratio est, quia testamentum, in quo posthumi præteritus est, & quòd natiuitate eius rumpitur, irritat ipsam aditionem ab instituto herede antea factam, quasi numquam fuisset adita hereditas, vido Ang. Arcetia tit. *Instit. De hered. qua ab intestato defert.* Ultima descriptionis pars, aut nemo ex testamento heres extitit, eam sententiam habet, quòd quando cumque ex testamento heres institutus non adit hereditatem, ut quia noluit, vel non potuit adire; vel conditione defectus est, sub qua institutus erat, rectè quoque dicitur defunctus decessisse intestatus, §. 7. *Instit. De legit. agnat. success.* quòd i testamenti causa ex aditione hereditatis pendeat, §. 5. *Instit. De hered. qualis & diffor.*

SUMMARIA.

In Cap.

Primum.

1. Clerici quatenus de bonis donare possint, & quid nomine donationis veniant.
2. Bona Clericorum ab intestato decedentium quando Ecclesia cadant.
3. 4. Bona Clericorum sunt quadruplicis generis.
4. Clericus de bonis patrimonialibus liberè testatur.
5. In successione ab intestato cur primò vocentur liberi.
6. Cur descendentes etiam remotiores excludant avum vel aviam.
7. Non refert, liberi sint in potestate, an emancipati; seculares, an Clerici.
8. Statutum excludens Clericos vel Monachos à successione an valeat.
9. Pactum de non succedendo in initum à filia cum patre cur improbet lex civilis.
10. Pactum ejusmodi juratum valet jure Canonico.
11. Etiam à minore 2. annis in initum.
12. Quâ ratione sustineantur statuta, quibus famina dote contenta excluduntur ab hereditate parentum.
13. Dos quanta tunc constitui debeat.
14. Liberi in parentum suorum successione intestata conferre debent dotem vel donationem propter nuptias à parentibus acceptam.
15. Peculium quatuorplex; & quid castrense vel quasi.
16. Peculium adventitium quid.
17. Quid profectitium.
18. Libri à patre empti filio studiorum causâ an veniant in collationem?
19. Donatio simplex à patre facta filio in potestate quando sit conferenda.
20. Intellectus Auth. Ex testamento C. C. collat.
21. Donationem simplicem confert filius emancipatus.
22. Non etiam expensas studiorum causâ factas.
23. Nisi onus pater probeatur fecisse animo credendi.
24. Vel nisi ex bonis ipsius filii propriis fecerit.
25. Succedunt & liberi ex matrimonio putati & nati.
26. Naturales liberi qui dicantur.
27. Naturales qui & qualiter succedant.
28. Naturales in distindâ succedunt matri, etiam jure Pontificio.
29. Concubinarius natus interdicitur hoc jure.
30. Naturales in feudis non succedunt.
31. Spurius, & eorum genera varia.
32. Spurius non succedunt patri aut matri.
33. An neque nati ex Clerico in sacris constituto & soluta?
34. Jure Canonico spuris præstanda sunt alimenta à parentibus.
35. An communibus utriusque expensis?

36. Ascendentes quando & qualiter liberis suis ab intestato succedant.
37. Inter ascendentes non est locus representationi.
38. Succedunt liberis suis una cum eorum fratribus, & sororibus, & horum premortuorum filiis.
39. Liberi sui illegitimi qualiter succedant.
40. Collaterales quo ordine ad successionem vocentur.
41. Filii fratrum soli qualiter patruo suo succedant.
42. Inter collaterales illegitimos an sit successio.
43. Vxor quando succedat marito, & contra.
45. In bona Ecclesia non succedunt Clerici defuncti heredes.
46. Clerici rerum & proventus Ecclesiasticorum sunt administratores, non domini.
47. In bona huiusmodi non succeditur Clerico ab intestato.
48. Consuetudo contraria hac in re an valeat?
49. Relicta à Clerico ex redditibus Ecclesia cui applicari debeant.
50. Clericorum spolia quibus hodie cedant.
51. Bona quasi patrimonialia Clerici ad legitimos suos heredes transmittunt.

Hoc Cap. duo continet: unum, quod Episcopi, Presbyteri, alique Clerici bona, quæ ex hereditaria successione, aut alio titulo inuito personæ suæ acquisiverunt, donare aliis possint arbitrato suo. Alterum est, quod illis intestatè descendentibus, Ecclesia, sive altari, cui inservierunt, eadem bona applicari debeant. Huic similis textus extat in can. 2, xii. q. 3.

Ubi in primis animadvertendum est, cum textus noster inquit, *donare eis liceat, cui voluerint, dum vivunt*, donationis nomine etiam intelligi quamvis alienationem, sive ea fiat per viam alterius contractus, sive per ultimam voluntatem, l. Cuius ius 163, D. De R. l. juncto sexu in d. c. 2, & can. 1, vers. si autem ipsi, d. q. 3, in c. Quia nos 9, in c. Relatum 12, § 3, vers. ceterum, & in c. Requisti 15, § fin. sup. De testam.

Deinde in posteriori parte Cap. nostri suppleendum est, bona Clericorum propria ab intestato decedentium ita demum Ecclesie, sive altari applicari, si nulli ipsis legitimi heredes, quibus talia bona ab intestato deferantur, superint; nam hos Ecclesie præferendos esse notant hic Glos. Innoc. Panorm. & Burr. & comprobatur text. in can. fin. xii. q. 1, & in Nov. 131, de Eccles. tit. c. 13, vers. si quis autem Episcopus. Cum enim ejusmodi bona in

rebus Ecclesie annumerari non possint, d. c. 2, iniquum esset, Ecclesiam cum aliorum, id est, legitimorum heredum injuria locupletari, contra tit. 13, de alienat. feudi vers. sed diversum observatur lib. 1, Feud. & can. Sicut 15, xii. q. 2. Nam legitimis heredibus, ubi defunctus testamentum non fecit, debetur hereditas quasi ex præsumpta ipsius voluntate, l. 5, & l. Confiuntur 8, § 1, D. De iure codicil.

Ut autem hæc Clericis succedendi ratio explicari sit, sciendum est, bonorum, quæ à Clericis possidentur, quatuor esse genera: aut enim sunt Clericorum bona patrimonialia, hoc est, quæ ex successione hereditaria, legato, fideicommissio, contractu, aut alio simili titulo ipsis obvennerunt, intuitu scilicet personæ suæ, non verò ratione Ecclesie, sive beneficii Ecclesiastici. Alia sunt bona ipsius Ecclesie, quæ sustentandis, & exhibendis Clericis destinata sunt. Tertii generis sunt bona percepta ex proventus sive redditibus Ecclesie, quæve ex iisdem sunt comparata. Quarta generis sunt bona quasi patrimonialia, quæ quidem ratione clericalis ordinis sive officii proveniunt, sed separatim extra beneficii sui redditus; veluti quæ Clericis obveniunt ex celebratione Missæ, concionibus, confessionibus, & similibus actibus spiritualibus, de quorum successione in progressu sigillatim agemus.

Ac in primis quod ad bona patrimonialia attinet, hæc cum ab ipsis Canonibus extra Ecclesie res recensentur, eodem jure æstimanda sunt, quo laicorum bona; ac proinde de his Clerici pro arbitrio suo, tamquam veri domini, possunt disponere, per jura sup. allegata; in iisque succeditur ab intestato non aliter, quam in laicorum bonis, nisi quod, non existentibus liberis, aliisque legitimis heredibus, Ecclesia tandem succedat, excluso fisco, per hunc text. nostr. & ibi Did. & in d. c. 13, vers. si quis autem Episcopus Nov. 131. Quinimò Clericus possidens Ecclesiasticum beneficium, & simul bona patrimonialia, potest licetè reservare hæc bona sua heredibus, & Ecclesie redditus in usum suum convertere, ex sententia Innoc. in c. 4, sup. De præbend. quem ibidem sequitur, & communiter receptum esse adferit Panorm. sub num. 2. Non refragantibus aliis canonibus, quibus contrarium innuitur, quos & ibidem conciliant Innoc. & præcipue Panorm. & Did. Covarr. in c. 1, § 3, & 4, sup. De testam. cujus & ego memini ad d. c. 1.

Quare

5 Quare cum eadem sit ab intestato successio in bonis Clericorum patrimonialibus, quæ est laicorum, primum omnium in eam vocabuntur liberi Clericorum, si quos habeant legitimos; deinde parentes; his deficientibus, fratres, sorores, alique cognati; juxta ordinem graduum, Nov. 118, *De hered. ab intest. venient.*

Et quidem liberorum in succedendo prima causa est, quod illis naturali quadam ratione parentum hereditas debeat, *l. Cum ratio 7, in pr. D. De bonis damnat. & l. Nam nisi parentibus 1, in pr. D. De ineffic. testam.* Usque adeo ut, etiamsi quarto, vel ulteriori gradu liberi à defuncto parente descendant, nihilominus hi omnibus ascendentibus & cognatis in succedendo præferantur, *d. Nov. 118, cap. 1.*

6 Sed hic exquiratur ratio, cur discedentes liberi longissimo gradu distantes excludant avum, sive aviam proximo gradu defunctum attingentem? Eam eleganter tradit IC. in *l. Liberos 210, §. sine D. De verb. signif.* etenim, inquit, idcirco filios, filiaive concipimus, atque edimus, ut ex prole eorum earumve diuturnitatis nobis memoriam in ævum relinquamus. Quibus verbis IC. subindicat id fieri voto ipsorum parentum, ut, apud quos diuturnitatis memoria futura erit, ad eorundem quoque hereditas eorum pertineret. Eadem ferè ratio redditur in *l. Scripto in fine D. Vnde liberi.* Quare in hac successione parentum non solum sanguinis habetur ratio, sed magis, ut consulatur memoriæ defuncti.

7 Neque distinguendum est, liberi in potestate parentis constituti sint, an emancipati, *juxta d. Nov. 118, cap. 1,* item sæculares sint, vel Clerici, sive Monachi, etiam si iavitis parentibus hoc vitæ genus elegerint: nam omnes æquè admittuntur ad successionem parentum suorum, *per text. in l. Deo nobis. 6, §. 1, C. De Episc. & Cler. incap. Quia nos 9, in cap. Relatum 12, vers. ceterum sup. De testam.*

8 Quod ad eò verum esse existimat Nic. de Ubald. in *tract. suo de success. ab intest. Cleric.* ut ne quidem valeat statutum excludens Clericos, vel Monachos à successione parentum, sive cognatorum suorum, eò quod tale statutum pugnet cum libertate Ecclesiastica, *Auth. Cassa C. De sacros. Eccles.* Idque ante eum quoque censuerunt Batt. ad *d. §. 1 l. 56, num. 5, & Bald. in l. fin. C. De pactis.* Qui tamen sub hac distinctione loquuntur, ut, si statutum disponat de ingrediente Monaste-

rium per hæc, vel similia verba, *Ingrediens Monasterium* vel, *si quis ingrediatur Monasterium, sit privatus jure succedendi*, hoc casu valeat statutum, cum non disponat circa Monachum, aut Clericum, sed circa laicum, qui statutum jurisdictioni subiectus est. Si verò statutum loquatur de jam ingresso, quod scilicet ingressus Monasterium non succedat, ut hac specie statutum non subsistat, id eò quod conferat dispositionem suam in id tempus, quo ingressus exemptus est jurisdictione statuentium. Verum rectius Felius in *c. In presentia 8, num. 38, sup. De probat.* putat, huiusmodi statutum non valere, etiam quoad eandem ingressum: & citat in hanc sententiam Ang. Roman. Imol. & alios; ut & se consultum respondisse testatur Paul. Castr. in *l. Si quis id 7, n. 8, D. De jurisd.* Et ratio redditur, quia hoc statuto, tamquam pœnali, ingrediens deterreretur à meliori proposito, ut idcirco merito explodi debeat statutum, *arg. c. Gemma 29, inf. De spons. & matrim. & l. Titia 134, in pr. D. De verb. oblig.* Sed hæc ratio parùm urgere videbatur in Monacho, sive in Moniali, cum utriusque proprium sit continere omnia propter Christum. Ideoque magis placet alia ratio, quam *d. loca* adfert Felin. quod scilicet huiusmodi statutum de ingrediente Monasterium, etiam de non subdito disponat, cum non prius effectum suum sortiatur, quam professio Religionis emissa sit. Ut merito non valeat eiusmodi statutum, tamquam in non subditum factum, *per text. in c. Ecclesia S. Mariae 10, §. 1, sup. De consue.* Quâ ratione nec illud valebit statutum, quo ingrediens Monasterium prohibetur succedere, si alius masculus extiterit. Secus tamen, si simpliciter statuto cautum esset, mulierem non posse succedere, masculino extante: nam hoc casu rectè includeretur etiam Monialis, cum ante ingressum mulier illâ qualitate semper affecta fuerit. Vide hac de re latius And. Gail. *lib. 2, Obs. 32, num. 4.*

Atque hæc de liberis ab intestato succedentibus duobus modis restringuntur: uno, nisi renuntiârint juratò successioni parentum: altero modo, nisi lege municipali aliter receptum sit. Huiusmodi in Italia statuta reperiuntur, quibus femina dotatæ, vel dotandæ, extantibus masculis, excluduntur à paterna successione, quemadmodum refert Nic. de Ubald. *d. tract. n. 20.* Utrumque modum paulò fufius explicemus, eò quod in praxi sæpè incidat.

Quo

9 Quo igitur ad modum renuntiandi, extat Constitutio elegans Bonifacii VIII. S. Pont. in cap. 1. De pact. lib. 6, in hæc verba: *Quamvis pactum patri factum à filia dum nuptiis tradebatur, ut dote contenta nullum ad bona paterna regressum haberet, improbet lex Civilis; si tamen juramento non vi, nec dolo præstito firmatum fuerit ab eadem, omnino servari debet; cum non vergat in æternæ salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum. Ita Constitutio. Ubi in primis inquirenda est ratio, cur pactum à filia cum patre initum de non succedendo in ejus hereditatem, improbet lex Civilis, quæ extat in l. 3. C. De col. las. Sunt, qui existimant eam idem improbare, quod futuræ successionis renuntiari non possit, per text. in l. Qui superstitus 94. D. De acquir. vel omis. hered. Sed falluntur, cum consensu ipsius, de cuius successione agitur, id fieri possit, l. fin. C. De pactis l. 1. C. eod. tit. Venior autem ratio est, quam Justinianus adfert in l. Si quando 35, §. 1. C. De ineff. testam. quo loco ait, filios meritis potius, quam pactioibus ad paterna obsequia provocari, & astringi debere. Solent enim filii, filii ve ob reverentiam paternam faciliè induci ad hujusmodi pactiones, ut accepta etiam re minima renuntient hereditati paternæ.*

10 Bonifacius verò S. Pont. Constit. suâ jam d. ita hanc renuntiationem moderatur, ut tunc valeat renuntiatio, si juramento sit confirmata: cum enim juramentum nos Deo obliget, c. Debitores 6, sup. De jurejur. impium visum fuit Pontifici, hoc juramentum non servari, & committi crimen perjurii.

Neque obstat, quod juramentum hoc in casu accedat renuntiationi hereditatis, quæ aliàs ipso jure nulla est; & subsequenter nec juramentum valere debeat, l. Non dubium 5, C. De legib. junctal. Cùm principalis 78, D. De R. l. quia illud jure Canonico non admittitur in juramento, ut hereditas propriam & separatam eo jure obligationem parit inter Deum & ipsum jurantem, d. c. 6. Sicut accidit & in jurata alienatione dotis, vel donationis propter nuptias, quæ etsi simpliciter consensu uxoris facta non valeat, Instit. Quib. alien. licet vel non in pr. l. un. §. Et cum lex Julia C. De rei uxoria act. nihilominus accessione juramenti sustinetur, c. Cùm contingat 28, sup. De jurejur. & c. 2, eod. tit. lib. 6. Quod non agnoscit jus Civile: nisi velimus d. l. 5, accipere de talibus contractibus, sive pactioibus quæ turpitudinem in se continent, quæ nec jure Canonico subsistunt, etiam si juratæ sint, juxta juris regulam: Non est obligatorium contra bo-

nos mores præstitum juramentum, c. 58, De R. l. lib. 6, & Auth. Quod est permittitur C. De nuptiis. Nec enim juramentum inventum & introductum est, ut sit vinculum iniquitatis, c. Quanto 6, sup. De jurejur. & can. Inter cetera 12, xxii q. 4.

Itaque licet pactum de non succedendo patri à jure civili improbatum sit, adeo quidem, ut nec obligatio naturalis ex eo nascatur, propterea quod lex hujusmodi pacto resistat, & consequenter pro infecto habeat quoad luum effectum, d. l. Non dubium & c. Quæ contra 64. De B. l. lib. 6, jurandi tamen religione confirmatur, ut jam explicatum est. Atque adeo etiam hoc pactum juratum à judice sæculari in foro suo servandum est, propter animæ periculum, per text. in c. 2, De jurejur. lib. 6.

Neque refert renuntians hereditati major sit, vel minor 25. annis, etiam absente tutore vel curatore, propter metum perjurii; quo & obstringitur impubes, si doli sit capax, per text. in c. 5, inf. De delictis puer. ubi textus aperte asserit, puerilem ætatem furtis, mendaciis, & perjuriis esse plenam. Nec quidquam facit absentia tutoris vel curatoris, cum juramenti ea vis sit, ut jurantem Deo obliget, juxta illud: Redde Domino juramenta tua, Matth. c. 51, vers. 23, & d. c. 6, sup. De jurejur. Vide quæ latius dixi ad d. c. 28, eod.

Quod verò ad alterum modum attinet, quo filia quandoque ab hereditate parentum excluditur per statuta locorum, id fieri creditur conservandæ familiæ, id est, agnationis causâ, prout ex Baldo, & aliis probat Philip. Porc. lib. 2, concl. 47, & idem arbitratur Nic. de Ubald. de success. ab intest. num. 19 & seqq. Cùm enim honor, & familiæ dignitas divitijs, tamquam suis nervis, sustentetur, l. 1, §. 13, D. De instic. vestr. consulto visum fuit horum statutorum conditoribus, ut hereditas potius ad masculos, quam ad feminas devolveretur, §. 4, vers. quod ideo Inst. De legit. agnat. success. si quidem per masculos familiæ conservantur, & propagantur; per feminas minimè, cum hæc nubendo transeant in mariti familiam, l. Pronuntiatio 195, §. 1, & fin. D. De verb. sig. ubi dicitur mulier familiæ suæ & caput & finis, junge l. Famina 8. D. De Senatorib. Et quamvis Justin. in l. Maximum vitium 4, §. consue C. De lib. pret. naturæ humanæ quasi accusatores eos compelleret, qui inter filios & filias differentiâ succedendi constituunt, id tamen non aliter accipiendum est, quam quod attinet ad jus sanguinis; quod inter parentes & liberos utriusq; sexus æquè intercedit, cum filii & filia quoad sangui-

sanguinis conjunctionem æquè vicini sint suis parentibus, atque idcirco æquis portionibus in parentum hereditatem admittendi. Cæterum si consideremus alios effectus, qui à jure Civili ipsi liberis tribuuntur, utpote quòd eadem familia cum parentibus censeantur, eademque nobilitate fruantur, maximum inter eos discrimen est. Nam filii parentum familiam, quæ continentur, prole ex se legitime susceptâ amplificant; filia verò nubendo familiam egrediuntur. Et hoc est, quòd antè diximus ex *d. l. 195. §. fin.* mulierem familiæ suæ & caput esse & finem. Hujus igitur respectu, ne familiæ, præsertim insigniores, intercidant, locorum statuta sustinentur, quibus feminæ solâ dote contentæ à successione parentum excluduntur; non si solius conjunctionis sanguinis habeatur ratio, de qua in *d. l. Maximum vitium.*

13 Quæ autem, & quanta dos feminis statuto exclusivè à successione parentum constitui debeat, etsi apud *Dd.* controversum sit, sicut videre est apud *Jac. Menoch de Arbitr. jud. quest. lib. 2. casu 149.* non video tamen aliter discernendum esse, quàm ex sententiâ Jurisc. Celsi & Papiniani in *l. Quarto 60 in l. Campost 69 §. 4. & §. 5. D. De jure dot. & in l. Si filia 43, D. De legat. 3,* ut scilicet statuatur dos pro modo facultatum, & dignitate natalium mulieris, & viri; quod arbitrio judicis æstimabitur, ut rectè tradit idem *Menoch jam d. loco.* Ubi enim aliquid abest statuto, id suppleri debet ex jure communi, *l. 2. C. De no. val. act. ionib. & in l. Cum dil. etus 8, §. fin. sup. De consuet.* nisi aliter usu familiæ receptum sit, ut etiam minor constitutio dotis valeat in favorem familiæ, *et fin. sup. De consuet.*

14 Ubi igitur successioni parentum jurato pacto renuntiatum non est, aut aliter statuto loci receptum, sicut jam comprobavimus, pro regula retinendum est, liberos utriusque sexus in parentum suorum successionem ab intestato æquo jure admitti, *jurib. supra alleg. præsertim ex d. Nov. 118, c. 1,* dummodò liberi meminerint, qui dotem vel donationem propter nuptias à parentibus suis acceperunt eam conferendam esse, vel reipsâ, vel eo minus ex hereditate percipiendo. Nam nisi receptam dotem, vel donationem propter nuptias in commune contulerint, à cæteris fratribus & sororibus rectè excluduntur ab hereditate parentis, *l. 3, 4, & l. Ve liberis 17, C. De collat.* ut pura, sint tres fratres vel sorores, quorum unus fratrum donationem propter nuptias acceperit

à parente, vel una ex sororibus dotem; hic enim & hæc, si in divisionem hereditatis ejusdem parentis admitti desiderant (non enim conferre tenentur, ubi se abstinent hereditate parentis, *l. fin. D. De dotis collat.*) conferenda erit prius à filio donatio propter nuptias, & à filia dos; alioqui à cæteris coheredibus submovebuntur. Idque statutum est ob æqualitatem servandam inter liberos, *d. l. Ve liberis & l. penult. C. De collat.* Et non tantum hoc observatur in successione ab intestato, verum etiam quando ex testamento parenti succeditur; nisi de dote, vel donatione propter nuptias non conferenda expressè cautum sit ab ipso testatore, quo casu cessabit hæc collatio *Auth. Ex testamento C. De collat.* Idem est de militia, id est officio, cujus commoda sunt annonæ & salaria, quæ ex publico præstantur (nam & hæc militiæ nomine veniunt, *l. Lucius 12, D. De legat. 2.*) à parente emprâ filio, ut, oneris ipsius æstimatione subductâ, lucrum ejus, quod tempore mortis parentis erit, in communem hereditatem conferatur, *d. l. pen. in pr. C. d. t.* quod ita explicat *Gloss. ibid. in V. poterat.* Pone, inquit, militiam empram esse centum: tempore verò mortis parentis valet 30, onus militiæ sunt 30, Quod superest, scilicet viginti, in lucrum impuatur, quod cæteris coheredibus est communicandum: nec enim lucrum intelligitur, nisi deducto onere æstimationis, *l. Meritò 51, in pr. D. Pro socio.* Ubi tamen animadvertendum est, ut ea, quæ conferenda esse diximus in communem hereditatem, tunc conferantur, quando agitur de successione ejus parentis, qui ea liberis suis contulit. Si enim à matre dos vel donatio propter nuptias constituta sit, ea certè, cum agitur de successione patris, minimè conferenda est, cum à patre non fuerit profecta; sed tunc conferri debet, quando agitur de successione matris, *d. l. Ve liberis C. De collat.*

Cæterum apud *Dd.* quæstio est, An libri à patre studiorum causâ filio comparati cæteris fratribus, & sororibus sint conferendi; item, An reliquæ expensæ studiorum gratiâ factæ à patre? Ut autem hæc explicatiora sint, solet in filiofamil. quadruplex peculium constitui: unum castrense, alterum quasi castrense, tertium adventitium, & quartum profectitium. Peculium castrense id dicitur, quod filiofam. evanti in militiam, vel in ea degenti, à patre vel à matre, aliisque pròpinquis, vel amicis donatum est; vel ipse in militia acquisivit, quod, nisi militasset, acqui-

G g

siturus

fiturus non fuisset; item quod ex militari pecunia comparatum est, l. *Castrense* 11, D. *De castrensi pec.* l. 1, & l. 4, C. *eod. lib.* 12. Peculium verò quasi castrense est, quod Advocatus, Allessor, Medicus, Magister liberalium studiorum, vel alii sibi ex officio publico acquisiverunt, l. *Fors* 4, & l. *Cum advocatio* 8, C. *De advoc. divers. judic.* l. *Velut* 7, C. *De assess. & l. fin. in pr. C. De inoff. testam.* nam hi quodammodo militare dicuntur pro republ. l. *Advocati* 14, C. *De advoc. divers. judic.* Plenumque in utroque peculio filiusfam. dominium & administrationem habet, l. *Cum oportet* 6, §. 1, C. *De bonis qua liberis* & c. re & que de eo testatur, l. *pen. & ult. C. Qui test. fac. poss.* cum quoad utrumque peculium habeat, ut loco patrisfam. l. 4, & ibi *Glos. D. Ad S. C. Maced.* Quo fit, ut nec ea, quæ utriusque peculii sunt, debeat filiusfam. cæteris fratribus, vel sororibus conferre, sed sibi retineat *per text. in l. 1, §. 15, D. De collat. & l. fin. C. de eod. tit.*

Peculium adventitium est, quod extra peculium castrense, vel quasi filiosfam. obligit, veluti ex matris, vel alterius cujuscumque hereditate; vel ex contractu, sive alia causa, dummodò non ex re, neque prospectu patris. Eiusque conditionis est, ut parenti, in cuius est potestate filius, ususfructus ejus acquiratur, reservata à proprietate ipsi filio, d. l. *Cum oportet* & §. 2, *Inst. Per quas pers. cuique acquir. in quo et filiusfam. testamenti factionem non habeat, l. pen. C. Qui testam. fac. poss.* post mortem tamen patris id minimè conferendum est fratribus, & sororibus, *per text. in d. l. fin. C. De collationib.*

17 Peculium verò profectitium est, quod profectum est ex substantia, id est, facultatibus patris, §. 1, *vers. sancitum Inst. Per quas pers. cuique acquir. d. l. Cum oportet* 6, C. *De bon. qua lib. vel alio, prospectu tamen patris, argum. l. Aditio §. fin. D. De acquir. vel omit. hered. & l. Sed si plures* 10, §. 6, D. *De vulg. & pup. subst. Glos. in d. l. 6, in pr. verbis, ex ejus substantiâ, Bart. ad rub. in fine d. De peculio.* Atque hoc peculium tantummodò a filiis confertur cæteris fratribus & sororibus coheredibus, ut cum reliqua hereditate inter omnes dividatur, l. *Filia* 12, C. *De collat. & l. Certum* 13, D. *Fam. ercisc.*

18 Iraque ad propositam questionem redeundo, An libri à patre empti filio post mortem patris in communionem cæteris fratribus, & sororibus, conferendi sint? Resp. Eos conferri non oportere, si non contraria voluntas patris appareat, eo quod generaliter traditum sit, ea, quæ à patre filio, vel filia in potestate constituta emptæ &

tradita sunt, post mortem patris fieri præcipua filii, nec in communionem redigenda esse, *per text. in l. Filia* 18, *in pr. C. Fam. ercisc. & l. 3, in fine D. De numerib. & hon. at donatio facta filio, vel filia, licet vivo patre nulla sit, propter vinculum patriæ potestatis, si tamen vivo patre ab eodem non revocetur, ex morte patris confirmatur, l. Donationes* 23, C. *De donat. inter vir. & ux.* siquidem ea confirmatio vim legati, sive fideicommissi habet, *per text. in l. In donationib.* 12, C. *Ad L. Falcid.* Legata verò vel fideicommissa cæteris coheredibus non communicantur, sed illis præcipua manent, quibus relicta sunt, l. *Si qua* 7, & ibi *Solic. C. Fam. ercisc. l. Si ita legatum* 42, D. *eod. tit.* Quare idem statuendum est circa expensas factas à patre filio studiorum gratiâ; cum & hæc in dubio præsumantur donata pietatis causâ, l. *Qua pater* 30, D. *Fam. ercisc.* Id quæ ad eò obtinere ex litimo, etiam si occasione librorum emptorum, vel expensarum magna inæqualitas inter liberos suboriretur, contra *Bart. & alios relatos à Menochio de Arbitr. jud. quæst. lib. 2, casu* 131, dum tamen ex hac donatione reliquorum filiorum, & filiarum legitimæ portioni non præjudicaretur; nam hoc casu esset inefficacia donatio, quæ à parentibus facta filiis, vel extraneis revocaretur ad legitimam liberorum, l. 1, & *100 tit. C. De inoff. donat.*

Cæterum, quod diximus, donationem simplicem non venire in collationem hereditatis, probatur & *per text. in l. illud* 26, §. *un. C. De collat.* Exceptis tamen tribus casibus: quorum hic primus est, si tempore donationis dictum sit à donatore, ut conferatur. Secundus est, si uni liberorum ob causam donatum sit, puta ob dorem vel donationem propter nuptias, alteri verò simpliciter, id est, sine causa: tunc enim, vitandæ inæqualitatis causâ, conferenda simul est & donatio simplex. *Verique casus continentur in d. l. 20, §. un.* Tertius est, si donatio filio facta sit, ut rem donatam retineat in periculo; nam & tunc non cum reliquo peculio ipsius filii in communionem veniet, l. *Si donatione* 13, C. *De collat.* His igitur casibus donatio simplex non confertur.

Neque obstat textus *Auth. Ex testamento C. d. 10 tit.* quo non tantum dos, sed & alia donata conferri jubentur: ac proinde sunt, qui existimant, auctoritate *d. Auth.* etiam donationem simplicem conferri oportere; quia hic textus *d. Auth.* revocandus est ad *Novel.* 18, c. 6, unde desumptus est. Nam in eo Justinianus veteris tantummodò Ju-

tis differentiam aboler, quo solum ab intestato collatio fiebat, non si ex testamento succedebatur, ut in l. 1. *Q. cod.* Quod discrimine Justinianus ita sustulit, ut, quæ a legitimis heredibus intestato succedentiis conferri solebant, eadem similiter conferantur à testamentariis heredibus. Si verò donatio simplex ab intestato non conferrebat, d. l. 20, § un ergò neque ex testamento, id est, ab heredibus ex testamento succedentibus.

21 Diversum est in emancipato filio, qui præter donationem propter nuptias, etiam donationem simplicem cæteris coheredibus in potestate constitutis conferre tenetur, per text. in d. l. 17, § in l. Si emancipati 9, C. De collat. Cujus diversitatis ratio hæc est, quia, cum hæc donatio à principio valuerit inter patrem & filium, propter sublatam potestatem patriam, l. 2, C. De inoff. donat. vel saltem emancipatioque convalescat, si antea facta fuit, l. 2, C. Si quis alteri, vel sibi &c. non habet vim legati, vel fideicommissi, cum patris morte non confirmetur; atque idcirco meritò conferatur ab emancipato filio, d. l. 17, § l. 2, C. De collat. Exceptis tamen expensis studiorum causâ factis in filium emancipatum quas nec hic conferre tenetur, eo quòd hujusmodi expensæ pietati patris acceptoferantur; quasi naturali quodam debito filio fuerint ministratæ, d. l. 30, D. Fam. ercise Idem iudicium est de expensis Doctoratus factis à patre filio, quas nec conferre cogitur filius, per text. in l. 3, § fin. D. De numer. & honorib. usque ad eò, ut ne quidem fructus & emolumenta ex Doctoratu proficiencia, cum hæc oneribus imputentur, l. 1, § 15, D. De collat.

22 Quæ tamen duplici ex causa restringuntur: unâ, nisi pater sumptus studiorum gratiâ factos credendi animo fecisse comprobetur; hæc enim specie cedent filio in diminutionem portionis suæ hereditariæ. Ita in emancipato filio respondit Ulp. in d. l. Quæ pater 10, in filio verò constituto in potestate suader eadem æquitas. Nam licet inter patrem & filium in potestate existentem nulla nascatur civilis obligatio, l. Si ve emancipatis 17, C. De donationib. nihilominus inter eos oritur obligatio naturalis, l. Frater à fratre 38, § 1, D. De condict. indeb. quæ, cum sufficiens sit ad compensandum, l. 6, D. De compensat. repelli saltem filius poterit ab hereditate patris exceptione compensationis, § 39, Inst. De action. nec enim pater tenetur filium alere in studiis, nisi talia sint studia, sine quibus filius secundum consuetudinem, &

conditionem suæ personæ vivere non posset; tuæ enim ad id officio iudicis compelli posset pater, per text. singul. in l. De bonis 6, § 5, & ibi Bart. D. De Carbon. edicto, quo loco pupillo, cui controversia moveretur, an inter liberos haberi debeat, decerni iubentur non solum alimenta, sed & in studia impensæ necessariæ. Facit etiam textus in l. 4, D. Vbi pup. educari &c.

Altera est hæc sive limitatio est, nisi apud patrem aliquid sit, quod proprium sit ipsius filii, ut sunt bona castrensia, vel quasi, aut etiam adventitia consentientia in pecunia penes patrem; nam hoc casu censetur pater sumptus fecisse ex bonis ipsius filii, l. fin. D. De hered. pot. ad eò quòd cesset præsumptio pietatis, de qua in d. l. Quæ pater, argum. l. Neseñnius 34, D. De negot. gest. Bart. ad l. 1, § 15, n. 8, D. De collat. Et mirum non est, cum ne quidem pater alere simpliciter cogatur filium, si aliunde habeat, unde se possit alere, l. Si quis à liberis 5, § denique idem D. De agnos. lib. & l. Cum non solum 8, § 5, C. De bon. qual. liberis &c.

Atque hæc hætenus de liberorum descendentiis successione ad eos pertinent, qui ex legitimo matrimonio nati sunt, aut saltem per subsequens matrimonium legitimi effecti, iuxta text. in c. Tanta 6, inf. Qui fil. sint leg. Idem omninò iudicium est de liberis procreatis ex putativo matrimonio, id est, publicè contracto, & bonâ fide saltem unius parentum; nam & hi liberi legitime nati ex æquantur, c. 2, &c. penult. inf. eod.

Præter hos alii quandoque nobis liberi fiunt, aut nascuntur; ut sunt adoptivi, naturales, & spurii. De adoptivis liberis, quomodo hi succedant patri adoptivo, vide text. in l. pen. C. De adopt. & in §. Sed ea omnia 4, Inst. De heredit. qua ab intest. defer. Naturales verò liberi illi dicuntur, quos sola natura genuit, non honestas conjugii, cam. fin. in pr. xxxi. l. 9. 4, Ita ut non solum ex concubina nati, sed & ex scorto, adultera, aliove damnato concubitu suscepti, naturalium nomine rectè contineantur; inspectâ scilicet nominis etymologiâ: nam Juris auctoritate, cum loquendi consuetudine, illi tantummodò naturales dicuntur, qui ex concubina, vel meretrice concepti & editi sunt; cum is concubitus à jure Civili permittus sit, hoc est, nullâ constitutâ pœnâ vindicetur l. 3, in pr. D. De concub. & l. Si ea 22, C. Ad l. Iul. de adult. Vide omninò Baldum conf. 129, vol. 2.

Itaque naturales liberi non omnes promiscuè in hereditatem parentum suorum admittuntur; etenim soli admittuntur in successione patris

nari ex concubina, quæ scilicet sola fuit patri indubitato affectu conjuncta: non quidem in totam hereditatem, sed tantum in duas uncias, id est, in sextam partem hereditatis; reliqua enim hereditas ad proximiores agnatos sive cognatos devolvitur: dum tamen non super sint, patri legitimi filii, vel conjux legitima, per text. in *Auth. Licet C. De naturalib. lib. 2. Novel. 18. De triente & semisse c. 5.* In cæteris autem liberis naturalibus nulla successio admittitur in bona patris intestato decedentis, *l. Humanitatis 8. jur. d. d. Auth. Licet. c. 12. §. 5. Novel. 89.*

28 Quod verò ad matrem attinet, huic omnes liberi naturales, sive in concubinato, sive ex meretricio concubitu suscepti, rectè succedunt, §. *vulgo Inst. De success. cognat. c. 1. 2. D. Unde cognati:* adeo, ut & querelam habeant in officio contra testamentum matris, *l. Si in fidei 29. §. 1. D. De inoff. testam. Quare & extantibus legitimis liberis, simul parique jure in hereditatem matris vocantur, dum tamen mater illustis persona non sit, juxta text. in *l. Si qua vultu 3. C. Ad S. C. Orfic. Quæ profectò etiam hodie jure Pontificio subsistunt, etiam si concubinarum usus eo jure planè sit interdictus, quemadmodum & meretricium, can. Nemo blanditur 4. xxiii. q. 4. Cum enim successio nis jura à legibus civilibus profuxerint, ad easque revocari debeant, c. *fin. dist. 1. c. Per venerabilem 13. §. fin. ubi latius Ant. Butr. sub n. 10. infr. Qui filii sint legit. dubitare non convenit, quin & hi naturales liberi de jure Pontificio in parentum suorum successione, prout jam dictum est, admittantur.***

29 Quod autem concubinarum usum interdictum diximus jure Pontificio, non pugnat cum textu in *can. 4. c. seq. dist. 34.* quia his textibus concubinæ appellantur uxores, quæ sine dotalium instrumentorum solemnitate ductæ, verè tamen affectu conjugali conjunctæ sunt: nec enim videntur legitimæ uxores, nisi & dotalia instrumenta, alia que solemnitate à jure Canonico proditæ intervernerint, *de quibus in can. 1. in pr. xxx. q. 5. Licet interim quoad consensum conjugalem verè sint uxores, & latiori vocabulo concubinæ dicantur.*

30 In feudo observatur, ut filii naturales in nullam paterni feudi successione admittantur, etiam si rescripto Principis sint legitimati, *tit. 2. 6. in pr. vers. naturales lib. 2. Feud.*

31 Jam, quoad liberos spurios, sciendum est, spurii nomen aliquando latius, aliquando strictius

sumi. Latius spurii omnes illi dicuntur, qui illegitimè sunt nati, puta ex fornicatione, incestu, adulterio, sive ex alio quolibet turpi congressu, *l. Vulgò concepti 2. 3. d. De statu hom. Bart. in l. fin. n. 2. D. De h. s. qua ut indig. aufer.* Strictius verò spurii appellantur, qui ex meretricio suscepti sunt, qui & vulgò concepti dicuntur, quasi *opacè lev.* id est, sparsim concepti; vel quasi sine patre filii, ut loquitur Justin. in §. *Si adversus 12. Inst. De nuptiis:* & de his proximè egimus. De spurii prioris generis, exceptis meretriciis, varia nomina in jure & apud interpretes extant, pro diversitate concubitus, ex quo prodierunt. Nam qui ex adulterio nati sunt, vocantur adulterini; sicut & illi, qui ex stupro, eo quòd lex Julia stuprum & adulterium indifferenter sumat, *l. Inter stuprum 101. in pr. D. De verb. sig. c. l. Inter liberas 6. §. 1. d. Ad l. Int. de adul. Qui verò ex patre monacho, vel sacris ordinibus initiato, aut ex moniali, appellantur sacrilegi; præterquam quòd in moniali hoc amplius sit, quòd in ea triplex crimen admittatur, adulterium incestus, & sacrilegium, *can. Virginib. 14. c. ibi gl. xxvii. q. 1. Qui ex consanguineis, & affinis in gradu prohibito nascuntur liberi, hi incestuosi, & nefarii dicuntur, §. Ergò non omnes Inst. de nupt. c. l. fin. d. De ritu nupt. can. De incestis 8. xxxv. q. 2. c. 3. de quibus luitus Palæotus in lib. suo de Nobiis & spuris.**

In his igitur liberis, qui ex damnato & legibus punito concubitu nascuntur, constituti juris est, eos intestato patri non succedere, per text. in *can. Nov. 89. Quib. mod. natur. effie. sui, c. Auth. Ex complexu C. De incestis, c. in ut. nupt.* Idque adeò obtinet, ut ne alimenta quidem ipsis debeantur à parentibus, *jam d. jurib.* ut vel hac ratione refrænetur parentum libido, *l. fin. C. De naturalib. liberis,* siquidem parentes propter affectionem magis in liberis, quàm in se terrentur, *ut ait text. in l. Ist. quidem 8. in fine D. Quod metus causâ.* Hinc non immeritò hæc sententia etiam ad matrem transferretur, ut nec ipsi matris tales liberi ab intestato succedant, *Glos. in d. Auth. Ex complexu, & Did. Covarr. post alios à se citatos in 4. Decretal. in 2. c. 8. §. 5. n. 21. ubi etiam docet, hujusmodi liberos nec ex testamento matri succedere posse.*

Dixi, ex damnato & legibus punito concubitu; quod hæc quæstio suboritur, Quid dicendum sit de filio nato ex Clerico in sacro ordine constituto & soluta muliere, an hic similiter à matris suæ successione removeatur? Quod existimat post alios idem Covarr. *d. loco o. 23.* eò quòd hic

concupitus à legibus sit damnatus. Contrà verò sentire videtur Guido Papa *decif. 280, n. 2.* dum vult, spurios ex adulterio vel incestuato concubitu natos succedere matri, dummodò hæc illustri non sit; idem igitur censendum est de spuris ex tali Clerico, & soluta muliere susceptis. Verùm Guidoni Papæ adversatur text. *d. Nov. 89, in fine & d. Auth. Ex complexu.* Mihi tamen quoad præsentem quæstionem contrarium verisimilius videri, nisi fortè ille concubitus etiam ex parte mulieris damnatus & punibilis sit, ut in virgine, vel vidua honesta, quæ stuprum admittit; nam hoc casu Covarr. sententiam veriorē esse existimo. Cæterum si vulgaris aut vilis vitæ fuerit mulier, omninò putarem hæc specie spurios succedere posse matri suæ; cum ex parte matris non sit punibile hoc stuprum, *per text. in l. Si en 22, & in l. Quis adulterium 29, C. Ad L. Iul. de adult.* Quare idem censendum de filio nato ex conjugato & soluta, adhiberè prædictâ distinctione.

34 Quod autem antè dictum est, liberis ex damnato & punibili concubitu natis ne quidem alimenta præstanda esse à parentibus; id quidem ex rigore juris Civilis profectum est, sed à jure Canonico temperamentum accepit, ut non solum tales à parentibus alii possint, verùm etiam cogi parentes ad præstanda illis alimenta pro modo facultatum suarum, *per text. in c. Cum haberet 5, in fine inf. De eo, qui dux. in matrim. &c.* Etenim convenit æquitati naturali, ut eos, quos innaturam produximus, educando conservemus. *l. 1, §. 3, D. de just. & jure.* Neque liberis imputari potest, cum, teste D. Augustino, semen hominis, ex quo licumque sit homine, sit Dei creatura, & eo malè utentibus malè erit, *text. in can. Undecumque 3, dist. 56.* Quo fit, ut etiam alimenta liberis spuris à patre rectè relinquuntur in testamento, & exigi possint officio judicis secularis, sicut rectè monet Panorm. *ad d. c. 5, n. 5.* & secuta est Camera Imperialis; teste And. Gail *lib. 2, obs. 88, n. 12.* licet refragentur Alex. Jas. & alii, quos citat Palæotus in libello suo de Noth. & spur. c. 47. Hi enim existimant, hoc tantummodò obtinere in terris Ecclesiæ, non verò Imperii; ducti hac ratione, quòd leges civiles in Imperio, Pontificiæ verò in territorio Ecclesiæ sint observandæ, c. 2. in pr. & ibi Gl. De arbit. lib. 6, Sed falluntur, cum, auctore Paulo IC. necare is videatur, qui alimenta suo filio denegat, *l. 4, d. De agnos. & alen. lib. Ar-*

que hæc de utroque parente rectè dicuntur, *per text. in d. c. 5.*

Sed dubitatur, An communibus utriusque parentis expensis? Id putat Panorm. *ibid. n. 8, cum seq.* Sed verius est, eos non aliter à parentibus alendos esse, quàm si forent legitime nati; in quibus hic ordo observatur, ut primo tricennio ad matrem spectet educatio, deinde ad patrem, vel in subsidium ad eandem matrem, *l. 5, §. D. De agnos. & alen. lib. 1. Nejenius 34, D. De neg. gesti junctâ l. penult. & ibi Dd. C. De patriâ potest.* Neque obstat text. *in d. c. 5, inf. De eo qui duxit &c.* quoniam Panorm. nam tamen utriusque parentis textus mentionem faciat, non tamen eò pertinet, quasi utrique simul incumbat liberorum educatio; sed verba textus distributivè accipienda sunt, & ordine quodam successivo, ut jam dictum est. Et hæc hæc haec de descendens successione: sequitur, quomodo è contra ascendentes descendentes succedant.

36 Quod igitur ad ascendentes attingit, hi liberis suis, si nullos descendentes ex se relinquunt, ab intestato succedunt *per text. in Nov. 118, c. 2.* Nam tamen magis liberis debeatur hereditas parentum, propter commune votum eorum, & naturalem erga liberos charitatem, nihilominus, turbato ordine mortalitatis, ratio miseræ onis facit, ut similiter parentes ad liberorum suorum hereditatem vocentur, *l. Scripto 7, D. Unde liberi & l. Nam etsi 15, in pr. D. De iust. testam.* Succedunt autem parentes liberis suis æqualiter, servatâ tamen graduum prærogativâ, ita videl. ut proximiores gradu excludant superiores, pater & mater avum & aviam, & sic de cæteris ascendentes. Quòd si defuncto extant avus paternus & avia paterna, vel ex una parte avus paternus, ex altera verò avus & avia materna, sive ascendentes alii, qui æquali gradu sunt, hi omnes ad hereditatem defuncti admittuntur, idque in stirpes, non in capita; videlicet, ut medietatem quidem accipiant ascendentes à patre, quotquot ipsi sunt, reliquam verò hereditatem alii à matre ascendentes; sive plures sint, sive unus, *d. Nov. 118, c. 2.* Dixi, si æquali gradu sint ascendentes; secus, in æquali, veluti si defuncto extet pater, item avus maternus vel avia materna: hic avus maternus vel avia materna non concurrent simul ad hereditatem descendens, sed solus pater succedet. Idem iudicium est de reliquis ascendentes, ut semper proximior præferatur ulteriori

in succedendo; † cum in ascendentes nullus re-
 37 præsentationi locus sit, *d. c. 2, & ibi Gl. in V. proxi-
 mi, Nicol. de Ubald. tract. de success. ab intest. p. 2.*
 quemadmodum in descendentes, *c. 1, vers. sic
 tamen d. Nov. 118, idque mirum videtur, propter
 mutuam correlativorum naturam, l. fin. C. De ind.
 viduit. toll.* Ut enim descendentes in suorum pa-
 rentum successionem vocantur, cum beneficio re-
 præsentationis, ita similiter & eodem jure vi-
 debantur admittendi esse ascendentes in descen-
 dentium hereditatem. Verum alia ratio est in
 descendentes quam in ascendentes: in des-
 cendentibus consultitur memoriæ defuncti, non
 item in ascendentes. Item inquit IC. idcirco
 filios filiasve concipimus, & edimus, ut ex
 prole eorum earumve diuturnitatis memoriam
 in ævum relinquamus, *test. est in l. Liberiorum 220,
 § fin. D. De verb. sig.* Hinc, cum magis debeat hereditas
 descendentes quam ascendentes, sit, ut
 jus quoque præsentationis magis sit inter
 descendentes, quam ascendentes.

38 Atque ita se habet ordo ascendens, ut hi
 scilicet descendentes liberis suis ab intestato
 succedant, exclusis omnibus cognatis ex trans-
 verso sive ex latere venientibus, præterquam si
 extent fratres vel sorores germanæ: nam hi simul
 cum ascendentes vocantur, idque non in stir-
 pes, sed in capita, *d. c. 2, vers. si vero cum ascendenti-
 bus d. Nov. 118, Quod postea produxit Justinianus
 etiam ad fratris præmortui filios, ut & hi unâ
 cum ascendentes & fratribus ad hereditatem
 patris defuncti admittantur, non tamen in capi-
 ta, sed in eam hereditatis partem, quam habuit.
 set pater eorum, si is supervixisset, Nov. Vi fra-
 trum filii etc. 127, c. 1, Loquimur vero de fratri-
 bus vel sororibus ex utroque parente conjun-
 ctis: qui enim ex uno parente tantummodo de-
 functo conjuncti sunt, ii planè per ascendentes
 excluduntur, *d. c. 2. in verbis, solis fratribus ex utro-
 que parente conjunctis Vide latius Covarr. in tract. De
 success. ab intest. n. 4, 5, & 6.**

39 Et hæc locum habent, ubi agitur de successio-
 ne liberorum ex legitimo matrimonio descen-
 dentium; nam quod attinet ad naturales libe-
 ros, sive spurios, longè alia successio est, quam
 licet vel hac regulâ complecti: Quo modo suc-
 cedunt illegitimi liberi suis parentibus, eodem
 modo parentes iisdem illegitimis succedunt,
 Covarr. *d. tract. de success. ab intest. n. 19, Palzor. de
 Not. & spur. c. 39.* At verò id antè probatum est,
 naturales non nisi in duas uncias intestatis paren-

tibus succedere: spurios vero, quocumque tan-
 dem concubitu oriundos, nullâ ratione admitti,
*d. Nov. 99, c. 12, ergo nec parentes eorum aliter
 admittuntur. In matre tamen latius succeden-
 di jus receptum est, quia & ejus filii illegitimi
 largius in ipsius hereditatem invitantur; atque
 idè, sicut naturales, & vulgò concepti pleno
 jure matris succedunt, § Vulgò quasi Inst. De success.
 cognat. l. 2, D. Vnde cognati, ita similiter mater illis
 succedit, § fin. Insti. de SC Tertul. c. l. 2. D. eod. tit. ni-
 si una superstes sit & ipse pater; qui cum naturali
 filio succedit in duas uncias, ut jam dictum est;
 reliquæ verò decem uncie ad matrem devol-
 vuntur, § fin. junctâ Auth. Licet C. De natur. lib.
 In liberis ex damnato concubitu procreatis nul-
 la parentum & liberorum inter se successio est:
 parentes tamen ab his alendi sunt, quemadmo-
 dum & contra spurios ab ipsis parentibus, ex æqui-
 tate juris Canonici.*

Deiique de collateralium successione inter se
 hic ordo servatur; ut, si defunctus neque ascen-
 dentes neque descendentes reliquerit, primò ad
 successionem ejus veniunt fratres germani,
 unâ cum sororibus, ex iisdem patre & matre pro-
 ductis, exclusis omnibus agnatis, & cognatis, et-
 iam fratribus ex uno tantum parente conjun-
 ctis, quos appellamus vel consanguineos, cum
 communem tantum patrem habent, vel uteri-
 nos, cum eundem uterum, id est matrem habent,
 sed patrem diversum, *d. Novel. 118. c. 3, in pr.*
 Hac tamen moderatione adhibita, ut, si defun-
 cto fratres germani superint, & alterius fratris,
 vel sororis, præmortuorum filii, hi unâ cum ex-
 istentibus fratribus, id est, patris & avunculis
 suis ad hereditatem admittantur; idque jure re-
 præsentationis in stirpes, subingrediendo scilicet
 in locum sui patris. Secundò, post fratres utriusque
 conjunctos vocantur eorum filii, remo-
 tis etiam hoc casu fratribus ex altero tantum pa-
 rente conjunctis, *d. c. 3, in pr.* Tertio, si neque fra-
 tres, neque filios fratrum defunctus reliquerit
 ex utroque parente conjunctos, succedunt fra-
 tres ex altero tantum parentes conjuncti, & post
 hos cæteri à latere cognati; secundum tamen
 uniuscujusque ordinis prærogativam, videlicet
 ut viciniore gradu remotioribus præponantur.
 Ubi tamen plures ejusdem gradus reperiuntur,
 dividitur inter eos hereditas, secundum nume-
 rum personarum seu in capita, *d. cap. 3, § un.* Sub-
 lata in quacumque successione ab intestato dif-
 ferentiâ cognationis & agnationis; potestatis
 patriæ

patriz, & emancipationis; masculini sexus sint, an feminini: solâ scilicet habitâ ratione sanguinis. c. 4. d. Nov. 218.

41 Cæterum hîc suboritur quæstio passim agitata apud Interpretes, An filii fratrum, nullo alio defuncti fratre superstite, succedant patruo suo in stirpes, an in capita? Ponamus Titium intestatò decessisse, relictis ex fratribus præmortuis, Mævio & Sempronio, sex filiis, ita ut duo ex Mævio, & quatuor ex Sempronio sint suscepti: quæstum est, utrum hi sex filii æqualiter seu in capita, an verò eodem modo quo pater eorum, si viveret, ad Titii hereditatem admittendi sint, seu in stirpes? Et quidem Glos. in d. c. 3. in pr. in verbis, fratres fuerint, cum plerisque aliis, existimat, eos admittendos esse in stirpes, Moventur textu in d. c. 3. §. un. quam & sententiam maximis conatibus adversus Zashum defendit Franc. Soubec, in Comment suo ad Vetus Feud p. 92, n. 100, cum seq. Verum contraria Azonis sententia verior est, & juri magis conformis, quòd scilicet filii fratrum demortuorum, & ubi nullus alius frater superest, in patruu successione in capita, non in stirpes admittantur. Quod aperto textu comprobatur in d. cap. 3. vers. Hujusmodi verò privilegium, quo disertè inquit Justinianus, filios fratrum eo tantum casu in stirpes succedere patruo suo, quando existunt alii fratres defuncto conjuncti: unde inferitur, non existentibus aliis fratribus, ejusmodi filios in capita vocari, non verò in stirpes. Cum enim in transversalibus jus representationis locum non habeat, nisi in fratrum filiis cum superstitibus aliis fratribus concurrentibus, prout jam dictum est, rectè sequitur, omnes, qui aliter ex latere succedunt, ex persona sua, non verò parentum suorum succedere; & subsequenter, quot numero sunt transversales, totidem futuras esse hereditatis portiones, per text. in d. c. 3. in fine vers. si autem plurimi. Et l. Lege 14, §. un. C. De legit. hered. Et §. Si plures 5, Inst. de legit. agnat. success. Quam & sententiam Carolus V. secutus est, & viva constitutione confirmavit Spira anno 1529, die 23, mensis April. Ubi ergò patruu nequaquam superstites sunt, cæteri, sive illi filii sint eorum, sive alterius generis, singuli ex sua persona, & suo quodam jure, defuncto cognato succedunt; ita quòd nemini inferatur injuria, sive plures filii ex uno cognato, ex altero verò unus alter tantum existant, d. c. 3, §. un. Nov. 118.

42 Quæ certè exaudienda sunt de legitimorum transversalium inter se successione; etenim in

illegitimis, an scilicet hi aliis legitimis, vel è diverso, legitimi illegitimis, vel illegitimi transversales inter se ab intestato succedant, hîc breviter differendum est. Quare, quando legitimus vult succedere non legitimo, vel contrâ, tunc, si per solum patrem sibi invicem conjuncti sunt, nullahac specie inter eos est successio, conjunctumque tandem generis illegitimi sint ex damnato vel alio illegitimo concubitu, §. 4, Inst. De success. cognat. Et c. 12, §. 5, cum c. 15. Nov. 89. Palæot. d. tract. de Noth. Et sur. cap. 30. Verum, quòd attinet ad illegitimos per matrem conjunctos, certum est, mutam inter ipsos esse successione, sive uterque illegitimus sit, sive alter tantum, eo quòd sibi invicem cognati sint ratione matris, l. 2, Et l. 4, D. Unde cognati Prator omnibus cognatis bonorum possessionem pollicetur, sic. Inst. de success. cognat. Et d. 1. D. Unde cog. Vide omnino Nicol. de Ubald. De success. ab intest. parte 3, n. 8, Et Matthel in 2, membro tertii artic. De success. ab intest.

43 Porro, legitimâ successione deficiente, admittitur uxor ad successionem mariti sui intestati, & contrâ vir ad successionem uxoris suæ, l. un. D. Et C. Unde vir Et uxor, & post hos filius, l. 1, Et l. Vacantia 4, C. De bonis vacant. lit. 10, in Clericorum verè bona Ecclesia, excluso filio, per h. text. Et in c. 1.

44 Hic igitur successionis ordo non tantum observatur in bonis laicorum ab intestato descendenti, verum etiam in bonis Clericorum patrimonialibus; qualia sunt, quæ ex successione parentum, amicorum, sive alio titulo ad Clericos pervenerunt, dummodò non intuitu Ecclesiæ, sicut supra ad hoc c. 1, in princ. comprobavi; ubi præterea memini, Clericorum bona esse quadruplicia. Aut enim sunt patrimonialia, de quibus hætenus egimus; aut bona ipsius Ecclesiæ, quæ scilicet sustentandis ministris Ecclesiæ & divino cultui exercendo deputata sunt; aut bona ex redditibus, aliisque proventibus Ecclesiæ acquisita; aut denique quasi patrimonialia id est, in naturam quasi patrimonialium bonorum redacta; & de his tribus posterioribus generibus breviter dispiciamus.

45 Et quidem quòd ad bona ipsius Ecclesiæ attinet, expediti & certi juris est, ea ad defuncti Clerici heredes nequaquam pertinere aut devolvi, cum sint ipsius Ecclesiæ, non Clerici, can. 3, cum aliis seqq. x. l. 9. ideoque meritò extra hereditatem Clerici defuncti censentur; siquidem, auctore Cajo l. C. hereditas nihil aliud est, quam suc-

successio in universum jus, quod defunctus habuit, *l. Nihil aliud* 34, v. *De verb. sig.*

At verò de tertio genere bonorum major addubitatio est, an hæc ad defuncti Clerici heredes transmittantur. In quo illud præmittendum est, quòd, sicut Clerici rerum Ecclesiasticarum domini non sunt, sed potius procuratores sive administratores, *c. 2, sup. de donationib. & can. Quod autem* 3, xii. q. 7, ita nec eorumdem reddituum sive proventuum, cum de his testari non possint *c. Ad hæc* 8, cum c. *seq. sup. De testam.* neque alias pro arbitrio suo de his disponere, sed quatenus ipsis permissum est à sacris Canonibus, videlicet in honestam sui sustentationem, in pauperum, & Ecclesiæ usum, *can. Episcopus* 7, x. q. 2, & *cau. fin. xvi. q. 1, Tibi, 6. Sacerdos*, inquit D. Hieron apud Gratian. nostr. in *summa dist. 44*, de altario vivere, non luxuriari, permittitur. Ut hinc sanctissime cautum sit a Concilio Trid. *Sess. 25, c. 1, de reform. ne Cardinales; vel Episcopi, vel alii beneficia Ecclesiastica obrinentes, consanguineos, familiareve tuos ex redditibus Ecclesiæ augere studeant: cum (inquit) & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis doneant; sed si pauperes sint, eis ut pauperibus distribuant, eas autem non distrahant neque dissipent illorum causâ* † Ex quibus certè consequens est, quòd in his redditibus & proventibus Ecclesiasticis, & quæ ex iis comparata sunt, nullus succedere possit Clerico ab intestato decedenti, sed quòd ea ipsi Ecclesiæ remanere debeant, *c. Cum in officiis* 7, & c. *Relatum* 12, *sup. De testam. & 10101 sup. De pecul. Cleric. can. Episcopi* 19, & *cau. Sint manifesta* 21, xii. q. 1, sicut mox latius dicitur. Item ex his liquet, an Clerici redditus sive proventus Ecclesiasticos suos faciant, de quo magna contentio est inter Mart. Navarr. & Franc. Sarmient in tract. *De rediv. Ecclesiæ* sicut apud eos videtur est; nec enim hic persequi lubet, cum etiam statuamus Clericos redditus Ecclesiasticos percipiendo suos facere, sicut videtur probare *text. in c. un. §. 1, De cler. non resid. lib. 6, & nonc. Trid. Sess. 24, c. 12, de reform.* id tamen cum conditionibus per sacros Canones annexis accipiendum sit; ut scilicet id, quod superest sustentationi Clericorum, expendatur in usum pauperum, divini cultus, & Ecclesiæ, & ab intestato reservetur ipsi Ecclesiæ, per jura *sup. allegata.*

48 Sed quæstionis est, An consuetudo hac in re contraria valeat, ut scilicet in redditibus Ecclesiasticis, & quæ ex iis comparata sunt, succedere

possint legitimi heredes Clerico ab intestato decedenti? Quod putat Did. Covarr. ad eò, ut & consuetudinem de iis testandi valere existimet, *in c. 7, n. 23, sup. De testam. cujus sententia ibidem & auctores citat, Holtien. Fab. alios; item textum in c. Chm tibi* 18, *inf. De verb. sig. & in c. 2, §. 1, De cler. in Extravag. Ioan. xx. 1.* ubi valere vult consuetudinem, ut fructus beneficii vacantis per aliquod tempus pertineant ad defunctum. Verum ab his dissentit Mart. Navar. in *Comment. de spol. Cleric. §. 4*, improbens consuetudinem, quæ Clericorum spolia, id est, fructus & proventus Ecclesiastici, sive bona ex iis comparata cedunt heredibus Clerici, non habitâ ratione pietatis, sive paupertatis, sed potius convertuntur in profanos usus. Quæ sententia verior est, & satis comprobatur per *text. in c. Relatum* 12 *sup. De testam.* Licet autem mobilia, inquit tibi *text. per Ecclesiæ* acquisita de Jure alios pro morientis arbitrio transferri non possint, consuetudinis tamen est non improbandæ, ut de his pauperibus, & religiosis locis, & illis, qui viventi servierant, sive consanguinei sint, sive alii, aliqua juxta servitii meritum conferantur. Ut hinc non aliter consuetudinem valere constet, quàm juxta dispositionem *d. c. 12*, alioqui consuetudo irrationabilis esset, & adversaria Ecclesiæ utilitati, ac pauperum necessitati; atque idcirco merito explodenda, *c. fin. junctæ. 1, sup. De consuet.* Neque obstat *text. in d. c. 18, inf. De verb. sig.* quia eo loco nihil aliud statuit, quàm si cui ex privilegio §. Pontificis concessa sit ordinatio, id est, distributio bonorum à Clericis relictorum ab intestato, quòd sub nomine Clericorum etiam contineantur Canonici. Et quòd attinet ad *d. c. 2, §. 1*, non magis probat sententiam Covarr. sed potius eam refellit, dum *text. ibid.* consuetudinem percipiendi fructus primi anni post mortem Clerici abrogat, & restringit ad certam portionem: quod non fecisset S. Pont. si putasset valere hujusmodi consuetudinem. Illud facile admisero, quod ex Zenzelino tradit idem Navarr. in *d. Comment. de spoliis Cleric. §. 15, in princ.* ubi vult valere consuetudinem, ut primi vel secundi anni fructus cedant in exsolutionem æris alieni per defunctum Clericum contracti, vel in ipsius funeralia, vel in pauperum usum; non verò in commodum secularium, ut eo ditiores fiant: dum tamen per hanc consuetudinem divinis officiis non detrahatur, *d. c. 2, §. 1.*

49 Sed disputationis est, cuinam relicta à Clerico ex Ecclesiæ redditibus, ac proventibus, applicari

estari debeant? Profectò, si intuemur Jus Decretalium, & antiquos Canones, ipsi Ecclesiæ, vel successori Clerico reservantur, *soto tit. sup. De pec. Cleric. c. 1. 7. & c. 12. sup. De testam. can. 1. & 3. in pr. xii. quæst. 3. Can. 1. in pr. ead. quæst. 4. can. 1. & 4. ead. quæst. 5.* Hoc modo, ut si Episcopus sit, vel Parochus, vel alius, singularem & certum successorem habens in officio, vel dignitate suâ, huic ea tantummodò addicantur: si non habeat, ut est Canonicus, collegio Canonicorum applicentur, *d. cap. 12. sup. De testam. c. 4. sup. De off. jud. ord. can. Hac hujus placiti 38. can. De laicus 46. cum can. seq. xii. quæst. 2. & c. Quia sup. 46. De elect. eo temperamento adhibito, ut, si Clericus in diversis Ecclesiis beneficia possideat, dividi ea spolia debeant inter easdem Ecclesias juxta congruam æstimationem, d. c. 12. in fine. Vide. qua. habet Nic. de Wald. de success. ab intest. p. ult. num. 10. cum seqq. Et hæc, ut dictum est, secundùm jus Decretalium, quod in scholis profitemur, & antiquos Canones*

50 Cæterùm apud Mart. Navarr. *in d. Com. de spol. Cleric.* extant aliquot Extravagantes Summorum Pontificum, videlicet Pauli III. Julii III. Pauli IV. Pii IV. & Pii V. quibus Clericorum spolia, & ex illicita negotiatione quæ sita per Clericos, Sedi Apostolicæ & ejus Cameræ reservantur; exceptis bonis quasi patrimonialibus, de quibus paulò pòst separatim ageretur. Item, exceptis ornamentis Ecclesiæ, quæ ipsi Ecclesiæ remanent; & supellectilibus domesticis, licet ex rebus Ecclesiæ acquisitis, ut sunt scamna, mensæ, arcæ, dolia vacua, & similia, quæ iis in locis, ubi constitentur, relinquenda sunt. Item quæ à Clerico ex beneficiis vel pensionibus Ecclesiasticis, majorem redditum, quàm triginta ducatorum de camera non habente, relicta sunt; hæc enim spolio-

rum nomine non continentur, ex constitutione Pii V. ac proinde ad heredes Clerici defuncti transmittuntur: de quibus omninò idem videndus Navarr. *in d. Com. §. 8. ubi & §. 9.* pluribus argumentis probat, spolia Clericorum rectè reservari Sedi Apostolicæ.

Verùm cum in Germania nostra numquam, quantum memini, perfoluta sint spolia Clericorum Sedi Apostolicæ, dicemus prædictas Extravagantes usu receptas non esse: quod alioqui requiritur, antequam Constitutio nova obliget, *can. 2. cum can. seq. dist. 4.* aut certè Summum Pontificem expressè, vel tacitè, quomodo ipse sibi reservata quandoque inferioribus Ecclesiis communicat, ea reliquisse dispositioni Juris Decretalium, & antiquorum Canonum.

Postremò, quod attinet ad quasi patrimonialia bona Clericorum, qualia, ut supra in princ. hujus cap. diximus, sunt ea, quæ separatim extra beneficii Ecclesiastici redditus ob certum aliquod officium Ecclesiasticum à Clericis percipiuntur, veluti ex celebratione Missæ, concionibus & confessionibus, & similibus actibus: ea etsi ab Innoc. IV. *ad c. Quia nos 9. sup. De testam. & ult. vol. exæquantur redditibus Ecclesiasticis, eò, ut videtur, quòd respectu ordinis clericalis, acquirantur; tamen rectius Navarr. in tract. De red. eccles. quæst. 1. tenet. 19. æquiparat bonis patrimonialibus Clericorum; in quam sententiam citat Cynum, & alios Dd. Et ratio est, quia hæc tamquam merces laborum, & operum personalium, perfolvuntur à donatoribus, & non intuitu Ecclesiæ: at verò quæ respectu personæ acquiruntur à Clericis, propria eorum sunt, non Ecclesiæ; ac proinde de iis pro arbitrio possunt disponere, & ea transmittere ad suos heredes legitimos, *per text. in d. c. 9. sup. De testam.**

In Cap. ultimum.

HOc Cap. tribus verbis perstringam. Ex factò in eo proponitur de quodam Archipresbytero, qui se, suaque pietatis causa obculerat Monasterio: unde is in extremis agens, rogatus, ut conderet testamentum, respondit, se non posse testari, tamquam rerum suarum non amplius dominum, *Auth. ingressi C. De sacros. Eccles.* Hinc controversia orta est inter Episcopum, & Abbatem ejusdem Monasterii: Episcopo asserente, dictum Archipresbyterum, cum hanc suam voluntatem in extremis enuntiaret, phrenesi laborasse, & sic alienatâ mente fuisse; proinde non

valuisse ultimam illius voluntatem. Cui consequens putabat Episcopus, quòd is intestatus discessisset, *l. 2. §. 17. D. Qui testam. fac. poss. §. Item furiosus Inst. Quibus non est permis. fac. testam.* atque idcirco res omnes Archipresbyteri spectare ad ejusdem Ecclesiam, nullo ex cognatis suis superstite; nam ut sup. *ad c. 1. in princ. meminimus.* Clerico ab intestato discedente, si nullus ei legitimus heres existat, bona ipsius devolvuntur ad ejusdem Ecclesiam, *per text. in can. fin. XII. quæst. 5. can. Sine manifesta 21. XII. quæst. 1. & in cap. 13. Vers. si quis autem Episcopus N. v. 131.* Hæc igitur causa,

Hh

cūm

cum delata fuisset ad S. Pontificem, delegata fuit Episcopo Murnensi, sub hac forma: ut, nisi Episcopus ille probaret, Archipresbyterum mentis impotem fuisse, cum ultimam voluntatem suam exprimeret, ei silentium imponeretur; restitutus quoque iis, quæ Episcopus ex bonis ipsius Archipresbyteri occupasset: contra, si probaret, hereditas Archipresbyteri adjudicaretur Episcopo nomine Ecclesie parochialis, cujus administrationem gesserat Archipresbyter. Hæc est sententia hujus cap. ult. Itaque decisio hujus controversie videtur in eo consistere, an Archipresbyter sanæ mentis fuerit, cum diceret, se non posse facere testamentum, eò quod de suaque Monasterio obtulisset: ut hinc, si sanæ mentis eum fuisse constiterit, hæc sua confessio habeat vim testamenti, tamquam eo tempore Monasterium fuerit ut heres ab Archipresbytero institutum, idque, si non directis verbis, ac saltem indirectis: non enim in extremis agens Archipresbyter ali-

um heredem agnoscere voluit, quam ipsum Monasterium.
Sed obijcies, in testamento requiri heredis institutionem scripto, vel nominatim factam, l. *libemus* 29 C. De testam. & l. *Heredes palam* 21 in pr. D. *Qui test. fac. poss.* ut saltem heredis nomen signo indubitabili in eo exprimat, l. *Quoties* 9. §. 3 & l. *Assesoto* 77. D. De hered. instit. At verò hoc casu nostro Monasterium heres institutum non est scripto, vel nominatim, siue indubitabili signo; unde non videretur testamentum esse conditum, sed Archipresbyterum intestatum decessisse. Quare existimod decisionem hujus capituli nostri procedere ex æquitate juris Canonici, in favorem pie causæ, non verò ex rigore juris civilis, propter iuram in contrarium allegatam, quæ certè non aliter cum hoc nostro capite conciliari possunt, quemadmodum etiam videtur animadvertisse Ant. de Butrionum. 26. *vers. Et ex hoc habes.*

IN TIT. XXVIII. DE SEPULTURIS.

S U M M A R I A.

1. Sepultura nomine quid veniat.
2. Jus sepulturae cui competat.
3. Canonica portio parochialis.

1. **S**epultura nomine venit in primis ipse locus, in quo quis sepultus vel sepeliendus est: item jus sepulturae, quod Ecclesie vel alteri loco religioso competit, & tertio ipsum officium, ritus & actus sepeliendi.
2. Jus autem sepulturae regulariter competit & debetur Ecclesie parochiali, in qua defunctus solitus erat audire divina officia & Ecclesiastica percipere sacramenta: cap. 2. *Et ibi Gl. hoc tit. in 6.* nisi alibi sepultura elegit: quod cuilibet liberum est, etiam filiofam. servo, vel mulieri conjugata, cessante in electione sepulturae, ut & in alijs:

id genus rebus spiritualibus, patriâ, dominicâ & maritali potestate, c. *De uxore* 7. §. *utrum hoc tit.* vel nisi majores ab antiquo in alia aliqua Ecclesia sint soliti sepeliri, cap. 1. *hoc tit.* Et plerumque in testamento vel alia ultima voluntate, etiam de sepultura disponere homines solent; ut vel ideo quoque Tit. hic rectè superioribus subnectatur.

Ubi tamen quis alibi elegit sepulturam, tunc Canonica portio (quæ & funeralium dicitur) ex bonis relictis Ecclesie vel Monasterio, in quo sepeliri voluit, Ecclesie debetur parochiali, d. c. 1. *Et c. 4. hoc tit.* quæ vel quarta est, secundum jus commune, vel dimidia austeritate, vel alia quæ, pro locorum consuetudine, c. 2. *Et c. Certificari* 9. h. *tit.* Reliqua huc spectantiarpete ex summa Decanij Lib. III. Tit. XII. V. A.



IN TIT. XXIX. DE PAROCHIIS ET ALIENIS PAROCHIANIS.

S U M M A R I A.

1. Parochi limites parochia sua excedere non possunt.
2. Parochia & Parœcia quid.
3. Parochiani qui habendi.

Quemadmodum extra territorium jus dicere non licet, *l. ult. D. De jurisd.* ita neque extra Ecclesie suae limites Parochi vel alii Prælati aliquid juris sibi vindicare possunt, v. g. alienum parochianum in Ecclesiam suam ad Sacramentorum participationem vel ad sepulturam admittere, *cap. 2. & 3. hoc tit.* Neque hujusmodi limitibus, de quibus constat legitime constitutos esse, præscribi potest, *c. penult. h. t.*

4. Nomen autem Parochiæ hoc loco accipitur

non tantum pro particulari territorio aut diocesi unius Parochi & Plebani, sed & pro tota aliqua diocesi sive territorio Episcopi, *can. Bona 74. xi. quest. 2.* Dictum à Græco *παρῆχειν*, id est, *Præbendo*, quod Parochi munus sit præbere & exhibere subditis suis & parochianis Sacramenta, aliasque spirituales functiones: vel *Parœcia* à verbo *παροικεῖν*, id est, *cohabitare*. Unde *Parœcia*, quasi accolatus; *Parœcius* incola, *l. Pupillus 239 §. 2. D. De verb. signif. & Parœciani*, qui unum aliquod commune templum accolunt, ut inde Sacramenta participent. † Unde illi tantum pro parochianis aut parœcians habendi sunt, qui in eadem parochia domicilium habent: nam si domicilium aliò transferant, eo ipso desinunt esse diocæsani istius parochiæ, *cap. ult. hoc tit. V. A.*

IN TIT. XXX. DE DECIMIS, PRIMITIIS ET OBLATIONIBUS.

CAPUT PRIMUM.

De notione, origine, & descriptione Decimarum; & ex quibus rebus decimæ debeantur.

S U M M A R I A.

1. Decima quid?
2. Decimarum usus antiquissimus.
3. Lex divina veteris Testamenti de decimis.
4. Decima in signum universalis dominii instituta sunt.
5. Decimarum usus etiam apud Ethnicos.
6. Descriptio decimarum apud Christianos.
7. An ex hereditatibus, legatis, aut ex simili causa lucrativa decima debeantur.
8. Decimas Christianorum ampliores esse decimis veteris Testamenti.
9. Cur potius decima pars, non alia à juris conditori- bus electa fuerit.

Decimæ, si notionem nominis spectes, nihil aliud sunt, quam ejusque rei decima pars; unde & sæpè dicuntur decima, omisâ parte. Ulpian. *in l. 2. D. De polluitat. Si decimam quis bonorum novit.* Cicero in Verrem *lib. 5. Affirmante se*

plus decimam non daturum; per decimam intelligens decimam. Nam & hinc *decumanus ager*, ex quo scilicet decimæ vel decima pars fructuum penditur, apud eundem Cicero *lib. 2. de finib. Decimæ* in singulari numero quoque mentio fit *in c. Cum homines 7. c. Ad hac 15. cap. Quamvis 17. & in cap. Prohibemus 19. Ext. h. tit.* Sed frequentius plurali numero utimur; quod ut plurimum multarum rerum decima pars simul solvatur; vel, ut rectius dicam, unius rei decima pars in solvendo sæpè iteretur, ut accidit in fructibus agrorum, arborum, & similibus.

Ufus verò decimarum persolvendarum perve-
tustus est. Nam legitur *Genes. cap. 14.* Abraham solvisse Melchisedech decimas ex manubiis hostium à se devictorum. Cujus facti meminit & *D. Paulus ad Heb. cap. 7.* his verbis: *Intuemini autem, quantus sit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha.* Item *Gen. 28. cap.* traditur Jacob Patriarcha votum emisisse de solvendis decimis: *Si fuerit, inquit, Deus mecum, & custodierit me in*
El. 2. vis,

- via, per quam ego ambulo, & cunctorumque, qua adde-
 3 rus mihi, decimas offeram tibi † Bece decimarum usus
 ante omnem legem latam, pietatis quodam in-
 stitutum; donec postea Deus in veteri Testamen-
 to per Moysen eas sibi dari ab Israëlítico populo
 præcepit, a quo tunc primùm in necessitatem le-
 gis decimæ traductæ sunt, sicut constat Exod. 22.
 Decimas & primitias tuas non tardabis reddere. Levit.
 c. ult. Omnes decimæ terræ, sive de frugibus, sive de po-
 nis arborum, Domini sunt. Et pacis interjectis: Om-
 nium decimarum, bovis & ovis, & capra, qua sub pa-
 storis virga transeunt, quidquid decimum fuerit, san-
 ctificabitur Domino. Non eligitur nec bonum nec malum,
 nec altero commutabitur: si quis mutaverit, & quod mu-
 ratum est, & pro quo mutatum est, sanctificabitur Do-
 mino, & non redimetur.
- 4 Igitur Deus lege latâ per Moysen decimas sibi
 reddi voluit; non quod eis indigeret (cùm omnia
 illius sint, juxta illud Psalm 23 Domini est terra, &
 plenitudo ejus: & Psalm 49 Non accipiam de domo tua
 vitulos, neque de gregibus tuis hircos, quoniam mea sunt
 omnes fera sylvarum, jumenta in montibus & boves; cog-
 novi omnia volatilia cali, & pulchritudo agri macrum
 est: sed tantùm in signum universalis domini, c.
 Tua nobis 26. & c. Cùm non sit 33 h. tit.
- 5 Sed & apud Ethnicos, quos cura aliqua reli-
 gionis tangebatur, sæpè legimus decimas solutas
 diis. Plinius lib. 19. cap. 14. tradit, ex thure, quod
 ex Arabia Sabothon portabatur, decimas cuidam
 Deo sacrificio, quem vocabant Sabin, non pondere,
 sed mensurâ sacerdotes capere solitos fuisse. Idem
 de Cinaamomo apud Ægyptios refert idem Pli-
 nius eod. cap. Memorat & Herodotus lib. 1. Cyrum
 ad portam civitatis Lydorum, quam diripuerant
 milites ejus, custodes collocasse ex suis satelliti-
 bus, qui prohiberent exportari opes, priusquam
 decimæ Jovi redderentur. Diodorus lib. 5. & Plu-
 tarch. in Problem. narrant quoque Herculi deci-
 mas fuisse persolutas. Plura hujus rei exempla
 apud alios extant, quæ consulsit omittimus. Sal-
 tem ex his discimus, etiam apud Ethnicos habi-
 tam fuisse rationem decimarum, quasi earum ob-
 ligatio & solutio, quodammodò nobis insit na-
 turaliter prospectu divini cultus. Ut hinc mirum
 non sit, si & decimæ apud Christianos lege & usu
 receptæ sint, de quibus hic ex professo tractabi-
 tur.
- 6 Quare Christianorum decimas his verbis libet
 describere: Quod sit pars decima omnium eo-
 rum, quæ quis licitè quavis ex causâ acquisit,
 ministris Ecclesiæ exsolvenda. Probant hanc de-
 scriptionem text. in c. Per venit 5 cum seq. & passim h.
 tit. nostro de Decimis, præsertim in cap. Ex transmissa 13.
 in c. Non est in potestate 22. in can. Decima xvi. quasi 1.
 & in can. Quicumque ead. quasi 7. Quibus locis di-
 scere caveatur, ut de fructibus terræ, veluti de vi-
 no, grano, feno, de leguminibus, de fructibus ar-
 borum, hortorum, pecorum, item de lucro nego-
 tiationis, militiæ, venationis, ac generaliter de o-
 mnibus acquisitis, decimæ pendantur Ecclesia-
 rum ministris. Consequenter & de proventibus
 molendinorum, d. 5. & d. c. 22. & c. Pastoralis 28.
 hoc tit. item de mercede elocatarum ædium, c. pe-
 nult sup. De pactis: de melle apium, & de captu pi-
 scium, d. c. 5. adeoque de lucro cujusque artificii
 sive professionis, d. can. Decima vers. de militia, & d.
 c. 22. hoc tit. Et quamvis citati textus nominatim
 non meminerint metallorum, lapidum, aucupii,
 silvarum; rectè tamen continentur verbis d. c. 22.
 ibi, de omnibus, & in d. c. 23. in vers. quia fidelis homo de
 omnibus, qua licitè potest acquirere, decimæ erogare tenet-
 ur. Quibus verbis reliquarum rerum obventio-
 nes & proventus, a jure non expressi, haud dubiè
 comprehenduntur: cùm & explorati juris sit, me-
 tallorum, lapidum, silvarum, & aucupiorum re-
 ditus inter fructus numerari, l. Item si fundi 10. D.
 De usufruct.
- Sed quæ situm est, An etiam ex hæreditatibus, 7
 legatis, & similibus, quæ titulo lucrativo alicui
 obveniunt, jure debeantur decimæ? Quod qui-
 dam existimant, d. c. Ex transmissa hoc tit. Verùm ali-
 aliis contrâ magis videtur; hac ratione, quod hæ-
 res neque ex terra, neque ex operis nostris pro-
 veniant, & subsequenter earum decimæ inter
 prædiales vel personales recenseri non possint,
 prout horum sententias refert Gloss in d. c. Pastoralis
 28. hoc tit. & Innoc. in c. Non est, eod. At Panor. in d.
 c. Pastoralis num. 8. hac in re subsistit, nihil certi
 constituens: nisi quod putet consuetudinem in
 hac quæstione adeundam esse: optima enim (in-
 quit) legum interpret est consuetudo, c. Cùm dile-
 ctus sup. De consuet. Quæ sententia & mihi proba-
 tur. Nec enim dubium est, in rebus, quæ quoti-
 die occurrunt, extare consuetudinem loci, quæ
 vel dicit decimas has solvendas, vel non solven-
 das esse.
- Ex quibus certè perspicuum est, quod licet &
 Christianorum decimæ potissimum ad exemplum
 sive imitationem veteris Testamenti introdu-
 ctæ sint, ut cap. 3. inf. latius dicitur, longè tamen il-
 læ ab his distent: utpote cùm in Testamento ve-
 teri nonnisi de frugibus & arborum pomis,
 & de

& de animalibus, quæ sub virga pastoris transferebantur, decimæ exsolverentur, non verò de aliis rebus, *Levit. cap. ult. Dominic. Soto De just. & iure lib. 9, qu. 4, art. 2*, ubi & hujus rei rationem reddit.

Atque hæc de decimis, de quibuslibet obventionibus solvendis, juxta præscripta sacrorum Canonum; quibus an derogetur consuetudine, præscriptione vel aliis modis, infra c. 17, tractabitur.

Cæterum hic dispiciendum est, cur potius decima pars, quam nona vel alia minor à conditori-

bus juris electa fuerit: Hæc ratio redditur, quòd denarius numerus perfectus sit, & quodammodo limes omnium numerorum; siquidem post eum ultra non proceditur, sed reiteratio fit ab eodem ad alium numerum, duplicem vel triplicem, & sic deinceps. Unde denarius numerus rectius quam alius Deo convenire visus est, utpote omnium rerum perfectissimo, ex mente O. Thomæ in 2, 2. qu. 87, in respons. Cui adde quæ de perfectione & dignitate numeri denarii tradit And. Tiraquel. in tract. de Præscript. §. 1, Gloss. 4, in princ.

CAPUT II.

De Divisione decimarum, earumque inter se differentia.

SUMMARIUM.

1. Decimarum divisio in personales, prædiales & mixtas.
2. Differentia earum.
3. Fructus non intelliguntur nisi deductis expensis, & cur aliud obtineat in decimis prædialibus.
4. Altera divisio in majores & minores.
5. Decima extraordinaria.

EX his, quæ superiori Cap. dicta sunt, tria decimarum genera nascuntur. Aut enim sunt decimæ prædiales, aut personales, aut ex utrisque mixtæ. Prædiales sunt, quæ ratione prædiorum solvantur, unde & nomen sortita sunt, Prædia autem vel urbana sunt, vel rustica, l. 1, D. Communia prædior. Urbana dicuntur & officia habitandi causâ facta, sive in urbe, sive extra urbem, l. Urbana 198, D. De verb. signif. ex quorum mercede locationis decimæ præstantur, c. pen. sup. De past. quemadmodum & ex molendinorum proventus, ut priore cap. meminimus, per text. in cap. Pervenit 5, c. Ex transmissa 23, hoc tit. Rustica prædia sunt, reliqua officia habitandi causâ non præparata, sed in alium usum; ut sunt stabula, ovilia, & similia, distincta tamen ab urbanis prædiis, l. Eo jure 4, §. 1, D. in quib. caus. pign. Alias si urbanis prædiis coherant, ejusdem generis censentur, utpote accessoria ad urbana prædia, d. l. Urbana, juncto cap. Accessorium De R. l. lib. 6, Item rusticorum prædiorum nomine veniunt & agri, vineæ, silvæ, & similia, quæ cum prædia sunt, vel eorum superficies, idcirco recte decimarum functioni subjiuntur, c. 4, §. 6, c. 22, & passim h. t.

Personales decimæ dicuntur, quæ ex luero operarum nostrarum vel aliunde prospectu personæ nostræ debentur, veluti ex negotiatione, militia, artificio, aliave professione. Item ex venatione, piscatione, aliisque ejusdem generis, sicut sup. c. 1. probavimus, ex d. cap. Pervenit, cap. Non est in potestate 22, hoc tit. & can. Decima xvi. q. 1. Ubi tamen fructus prædii ex venatione, piscatione vel aucupio constant, hi magis ad prædiales decimas pertinent, l. Venationem 25, D. De usur. & l. Item 8, §. aucupium D. De usufructu.

Mixtæ dicuntur decimæ, quæ partim prædiales sunt, partim personales: veluti quæ ex fructibus pecorum, avium in prædiis nostris colliguntur, concurrente nostrâ industriâ. Hostien. in Summa h. t. num. 3, Navar. in Manuali c. 21, n. 29.

Sed hoc inter se inter prædiales & personales decimas; quòd prædiales integræ solvantur, nullis detractis expensis, veluti seminis, cultura vel alterius rei: quod non est in personalibus, in quibus deductio admittitur expensarum, quæ factæ sunt quarrendis, emendis & convolvendis mercibus, cap. Pastoralis 28, cap. Cum homines 7, cap. Ex parte 21, cum duob. capp. seqq. cap. Tu nos 20, h. t. Quod ad id verum est, etiam si expensæ non utiliter, sed pro arbitrio mercatoris factæ essent, dummodò non in fraudem decimarum: sicut ex innoc. & aliis tradit Pet. Rebuff. de Decimis quest. 11, num. 4. Exemplo id illustretur: Centum aureos in merces comparandas impendi, eas postea vendidi centum & quinquaginta; hæc proutquam decimæ ex dicta summa centum & quinquaginta præstantur, subducam in primis centum, quibus merces emptæ sunt, deinde portoria & vectigalia,

lia, & impendia itineris, & si forte his omnibus deductis remanserint ex lucro viginti, tenebor ad duos aureos decimarum nomine. Quod non est in prædialibus decimis, ut antè dictum est.

3. Quibus certè quoad prædiales decimas obitare videtur textus in *l. Si à domino 36, § fin. D. De pesit hered.* quo loco non intelliguntur fructus, nisi deductis impensis; his enim verbis utitur ibi Paulus l. C. tus: *Fructus intelliguntur, deductis impense, qua quarendorum, cogendorum, conservandorum, que eorum gratia fiunt. Quod non solum in bona fidei possessoribus na uralis ratio exposulat, verum etiam in prardonibus.* Idem confirmat textus in *l. Fructus 7, D. Solutio matrim. & in l. 1, C. De fructib. & litium expens.*

Sed cur diversum obtinet in his prædialibus decimis? Ideo, quòd Deus prædiales decimas in signum universalis domini sibi reservaverit, *d. cap. Tua nobis 26, & c. Cum non sit 33, hoc tit.* Usque ad eò, ut etiam ante exactionem tributorum & censuum, qui Principi penduntur, deduci jubeantur decimæ, aut non deductæ tamquam onus annexum tributa & census comitentur, *d. cap. Cum non sit.* Intellige verò hanc reservationem à Deo factam, non in novo sed in veteri Testamento, Le-

vir. cap. ult. quod postea securi Canones idem apud Christianos statuerunt. Ut & hinc cum Deus in veteri Testamento non reservaverit sibi decimas personales, ideo expensæ ex his rectè deducantur, *d. cap. Pastoralis.* Locumque habet juris communis regula, quâ lucrum non intelligitur, nisi deducto omni damno, quod & in expensis factis consistit, *l. Mutius 30, D. Pro socio.* Verum cum hodie vix aut rarior usus sit personalium decimarum, non est, quòd his longius immoremur.

Solent quoque vulgò decimæ prædiales dividi in majores & minores sive minuras. Majores sunt, quæ ex frumento, vino, oleo, aliisque ejusdem generis penduntur. Minores sive minutz, quæ ex hortis & partu animalium præstantur, *d. c. Tua nobis & ibi Glos. h. t.*

Nonnumquam fit, quòd S Pontifex Ecclesiasticis proventibus decimas extra ordinem imponat, *c. 2, h. tit. in Clement. & c. 1, eod. in Extravag. communib.* de quibus latè Petr. Gregorius in *Syntagmate lib. 2. c. 20, num. 3, & seqq.* quæ huc non pertinent. Nos enim hoc loco de decimis agimus, quæ ex præscripto sacrorum Canonum, & sic constituto & ordinario jure, solvuntur Ecclesiæ ministris.

C A P V T III.

Decimæ quo jure sint introductæ.

S U M M A R I A.

1. Difficultas & effectus hujus questionis.
2. Decimæ an sine divini juris?
3. 4. 5. 6. Auctoritates pro hac sententia.
7. 9. Verior sententia, esse partim juris divini, partim humani.
8. Verba D. Thomæ hac de re.
10. Præcepta veteris Testamenti per Christi mortem abolita.
11. Eadem per Principem restitui posse.
12. Clerici novi Testamenti quomodo successerint in locum Leviticæ tribus.
13. 14. Argumenta prioris sententia diluuntur.

Perquam difficilis quæstio est & summè controversa inter Theologos & Canonistas, quonam jure introductæ sint decimæ, divino an humano sive Ecclesiastico? Quam quæstionem præ cæteris, duobus libris prosecutus est Conradus Somerhart in *tract. de Decimis.* Neque

hæc quæstio effectu caret: si enim statuamus, præstationem decimarum esse divini juris, consequens erit, omnes homines per æquè teneri ad functionem decimarum, nec ullâ consuetudine, præscriptione temporis vel privilegio sive alio titulo, ab ea excusari posse. Quippe jus divinum omnes comprehendit, adeoque immutabile est, *can. Si consuetudinem, & can. seq. dist. 8, can. Sunt quidam xxv. q. 1, & c. fin. sup. De præscriptionib.* Sin humani juris esse dixerimus, nihil è diverso impediet, quin contrariâ consuetudine, præscriptione sive privilegio, sive alio titulo legitimo, præstationi decimarum derogari possit, *c. fin. & ibi Dd. sup. De consues.*

Et quidem Innoc. in *c. ult. sup. De parochiis,* existimat indistinctè tam personales quam prædiales decimas jure divino deberi. Cui ad stipulantur *Glos. in c. 1. in v. decimarum h. tit. lib. 6, Rebuff. in tract. de Decimis q. 1, num. 11, & communi calculo alii teste Phil. Franco in d. cap. 1, ex Joan. Andrea, licet in meo Codice hanc sententiam Loth. And. non reperirim.*

Alii

Alii verò distinguunt inter prædiales & personales decimas: illas asserentes divino jure deberi; personales non nisi ex præscripto juris Ecclesiastici. Hostiens. in *Summa* h. t. ejusdem opinioniones recenses Did. Covarr. *Var. resol. lib. 1. c. 17. vers. Sunt tamen hæc in re.* Sed & Alciatus *lib. 1. cons. 22. in pr.* ejusdem sententia est, dum vult prædiales decimas deberi de jure divino: atque hanc esse ait *communem & canonizatam ubique conclusionem.* Personalium decimarum ibidem non meminit, quas tamen multo magis vult deberi Innoc. in *d. c. ult. De paroch.* eo quòd decimæ ex nostris operis provenientes digniores sint, quàm quas tellus reddit. Qui idem Innoc. *d. loco* eos, qui negant deberi personales decimas, tamquam insanos & hæreticos pronuntiat, quod retragentur præcepto vet. Testamenti, *Deut. 12. Offerretis in loco illo holocausta & victimas vestras, decimas & primitias manuum vestrarum.* Verum minùs rectè hæc Innoc. ut in progressu videbitur.

3) Atque horum sententia, qui putant prædiales decimas esse divini juris, multis locis stabiliri videtur. In primis veteris Testamenti præceptis, *Levit. c. ult. Malach. 3. Deuter. 12. & 14. Numer. 18. Exod. 22.* His enim locis decimæ jubentur solvi Leviticæ tribui, cui Clerus noster in novo Testamento successit, *cap. Translatio 3. sup. De constitutionib.* Deinde ex illa Christi exprobratione in Scribas & Phariseos, *Matth. 23. Va vobis Scribae & Pharisei hypocritæ, qui decimatis mentham & anethum, & cyminum, & reliquias quæ graviora sunt legis, iudicium & misericordiam & fidem: hæc oportuit facere, & illa non omittere.* Quibus profectò verbis innuit Christus, decimas præstandas esse; ac proinde earum præstatio divini juris videretur. Eodem spectat & illud ejusdem *Matth. 22. Nisi abundaverit iustitia vestra plusquam Scribarum & Phariseorum, non intrabitis in regnum caelorum: & quod paulò antè ibidem dixit Christus: Non veni solvere, sed adimplere legem: item, Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari & quæ sunt Dei Deo.* Ut igitur tributa & census Cæsari penduntur, ita similiter Deo decimæ.

4) Tertio, ad ejusdem sententiæ confirmationem accedant auctoritates SS. Canonum, quibus idem evinci videtur; nam textus in *d. cap. Tua nobis h. tit.* his verbis utitur: *Decimæ, quas Deus in signum universalis dominii sibi reddi præcipit: in c. Tua 5. eod. Neminem potest à solutione decimarum eximere, quæ divinâ constitutione debentur: in c. Parochianos 14. eod. ubi nihil expressius, cum decima non ab homine, sed ab ipso Domino sint instituta.* Quo etiam fit, ut gra-

viter interdicator concionatoribus, ne quidquam proponant publicè vel privatim, quo auditores avercantur à solutione decimarum, sed potius contrà inducant ad solvendas decimas, *cap. 1. hæc tit. in 6.*

Quibus adjiciantur sanctorum Patrum testimonia, videl. Augustini in *can. Decima xvi. q. 1. & in can. Majores ead. qu. 7.* Hieronymi in *can. Revertimini & can. ult. xvi. q. 1. & Gregorii in can. 1. d. qu. 7.* Qui quatuor principales Doctores, inquit Hostiensis in *Summa* h. t. q. 7. in eo conveniunt, quòd decimæ solvendæ sint ex debito sine mora, & integrè, non obstante consuetudine.

Postremo his addatur decretum Concilii Trid. *Sess. 25. cap. 12. de reformat.* sub his verbis: *Non sunt ferendi, qui variis artibus decimas Ecclesie obventiones subtrahere moliantur, aut qui ab aliis solvendas temerè occupant. & in rem suam vertunt: cum decimarum solutio debita sit Deo, & qui eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadunt.* Præcipit igitur sancta Synodus, omnibus, cuiuscumque gradus & conditionis sint, ad quos decimarum solutio spectat, ut eas, ad quas de jure tenentur, in pæterum Cathedrali aut quibuscumque Ecclesiis vel personis, quibus legitime debentur, integre persolvant. Ex quo decreto Conc. Trid. liquet, decimarum solutionem fieri Deo; & consequenter videri eas divini juris esse.

Cæterum, his omnibus nihil impediens, 7) veriore eorum sententiam arbitramur, qui censent decimarum præstationem partim esse juris divini & naturalis, partim humani sive Ecclesiastici. Divini & naturalis, quatenus decimæ subserviunt alimentatiõni seu exhibitioni Clericorum, propter Christi sententiam: *Dignus est operarius mercede sua, Luc. 10. & Matth. 10. repetitam à D. Paulo 1. ad Timoth. 5. Cujus sunt & hæc verba: Nescitis, quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacro sunt edunt. & qui altari deserviunt, cum altari participant, 1. Ad Corinth. 9. Adde c. Cum secundum 16. sup. De præben. & can. Ex his xii. q. 1. Igitur prospectu alimentatiõnis Clericorum, decimæ juris divini sunt; tum & in eadem finem spectatæ, juris naturalis, juxta juris civilis regulam: Secundum naturam est, commoda cuiusque rei cum sequi, quem sequuntur incommoda, *Secundum D. De R. I.* Quatenus vetò decimæ excedunt exhibitionem Clericorum, esse juris Ecclesiastici, id est, humani. Cujus hæc ratio est, quòd nullâ lege divinâ apud Christianos cautum sit, ut decimæ, id est, decima pars fructuum, præcisè exsolvantur. Non igitur quoad hoc decimæ divini*

divini juris fuit. D. Thom. in 2, 2, q. 87, art. 2, in 2, argum. & eiusdem responsione, quem Soto Cajetanus & Theologi omnes communiter sequuntur, teste Greg. de Valentia tomo 3, Commentar. Theolog. disput. 6, q. 5, de Decimis. punct. 1, vers. ut haec omnia, & Vid. Covarr. lib. 1, Variar. resolut. cap. 17, num. 2, vers. praeterea, ubi & plures ejusdem sententia enumerat. Quippe sub lege Evangelica, solum quae spectant ad legem purè divinam tenemur facere, quae à Christo per ejus Apostolos nobis praecepta sunt, juxta illud Matth. ult. cap. docentis eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis. Ac de solvendis decimis nec in Evangelio, nec apud Apostolos praeceptum extat, &c. D. Thom. & Covarr. jam alleg. locis. Intellige verò, quoad ipsam quosdam, id est, decimam partem, quae alimentatoriis ministrorum Ecclesiae non subferuit.

8 Lubet hic Sancti viri & Theologorum Scholasticorum facile principis verba subjicere, ad majorem hujus rei illustrationem. Is igitur D. Th. d. q. 8, art. 1, in resp. ita loquitur: decima in veteri lege datur ad sustentationem ministrorum Dei: unde dicitur Malachia 3, Inferte omnem decimationem in horreum meum, ut sit cibus in domo mea. Unde praeceptum de solutione decimarum, partim quidem erat morale, inditum naturali ratione, partim autem judiciale, ex divina constitutione robur habens. Quo enim eis qui divino cultui ministrabant, ad salutem populi totius, populi necessaria victus ministraret, ratio naturali dicitur: sicut & huic, qui communi utilitati invigilat, scilicet, Principibus & militibus, & aliis hujusmodi, stipendia victus debentur à populo. Unde & Apostolus hac probet, 1. ad Corinth. 9, per humanas constitutiones dicens: Quis militat suis stipendiis umquam? aut quis plantat vineam, & de fructibus ejus non edit? Sed determinatio certa parte exhibenda ministris divini cultus non est de jure naturali, sed est introducta institutione divina in veteri Testamento, secundum constitutionem illius populi, cui lex dabatur, qui cum in duodecim tribus esset divisus, duodecima tribus, scilicet, Leviticis, qua tota erat divini ministerii mancipata possessiones non habebat. Unde convenienter institutum est, ut reliqua undecim tribus decimam partem suorum proventuum Levitis darent, ut honorabilius viverent, & quia etiam aliqui per negligentiam erant transgressores futuri. Unde quamvis ad determinationem decima partis erat judiciale. Et nonnullis interjectis pergit ita D. Thomas: Ita etiam determinatio decima partis solvenda, est auctoritate Ecclesiae tempore nova legi instituta, secundum quandam humanitatem, ut scilicet, non minus populus

nova legis ministris novi Testamenti exhiberet, quam populus veteris Testamenti exhibebat, &c. Haec D. Thomas.

8 Ex quibus planum sit, decimas Christianorum, quatenus subiciuntur exhibitioni Clericorum, esse juris naturalis, adeoque divini; quoniam verò decimarum in veteri quidem lege fuisse divini juris, at in nova lege Evangelica eam esse juris humani sive Ecclesiastici. Dixi, quatenus subserviantur exhibitioni Clericorum; nam si Clerici aliunde ex obventionibus Ecclesiae sustentationem habeant, nec tunc quidem decimae juris naturalis vel divini erunt: cum hoc casu cessent rationes, cur decimae naturalis & divini juris esse dicantur, videlicet haec, Dignus est operarius mercede sua: quis militat suis stipendiis umquam? & similes. Quippe cessante ratione legis, cessat & ipsa lex, l. Adigere 6, § quamvis D. de jure patron. & c. Cum cessante 60, in pr. sup. De appellationib.

Nec movent auctoritates pro contraria sententia supra allatae. Quod enim attinet ad praecepta veteris Testamenti, quibus mandatum erat Israelitico populo decimas inferre Leviticis tribui, illa per mortem Christi abolita sunt, ut & cetera praecepta ejusdem Testamenti. D. Thomas in 1, 2, q. 103, art. 3, ad 2, Dominicus Soto de Just. & jure lib. 2, q. 5, art. 4, Mart. Navar. in Manuali cap. 1, num. 28, Covarr. Variar. resolut. lib. 1, cap. 17, in pr. praesertim Greg. de Valentia tomo 2, Commentar. Theolog. disput. 7, q. 7, puncto 7. Erant verò triplicis generis praecepta veteris Testamenti: aut enim ceremonialia, aut judicialia, aut moralia. Ceremonialia pertinebant ad divinum cultum Deo ritè exhibendum, ut videre est Levit. cap. 1, cum seqq. Judicialia subserviebant justitiae rectè in Republica Judaeorum administrandae, Exod. c. 21, cum seqq. & Levit. 18. Moralia verò ad morum disciplinam spectabant; veluti, Honora patrem tuum, & matrem tuam. Non occides. Non furaberis, & similia, ut videre licet Exodi 20, De quibus latius D. Thom. in 1, 2, q. 99, art. 4. Et quidem haec omnia praecepta, quatenus fuerunt veteris Testamenti, per mortem Christi sublata sunt, ut & antè meminimus: Licet moralia praecepta, vi naturalis rationis, cui innituntur, perpetuò durent & obliant; non tamen ut sunt praecepta veteris Testamenti, sicut docet Greg. de Valentia jam cit. loco. Adde Covarr. d. c. 17, num. 1, Inter quae non annumerabatur praeceptum de decimis, quod judiciale fuit, non morale, nisi quatenus illae

illæ deferviebant alimentationi Leviticæ tribus; sicut & hodie exhibitioni Clericorum, ut antè dictum est.

- 11 Non dubium tamen est, quin veteris Testamenti præcepta (exceptis ceremonialibus, quæ præfigurabant Christi futura mysteria, ut est immolatio agni, circumcisio, & similia) rursus reperi, & in usum Christianorum traduci possint per summum Pontificem, aut etiam per Principem Christianum, novâ lege latâ; quemadmodum multis locis videre est in Decretalibus, c. 1, de adult. c. 1, De furtis, c. 1, De homicid. c. 1, cum 4, seqq. De injur. tum alibi. Quæ tamen in usum revocata non tam veteris Testamenti erant, quam novæ leges Ecclesiasticæ sive humanæ, ut pote novâ sanctione per Principem renovatæ & restitutæ, ut accidit & in decimis veteris Testamenti, quæ per Christi mortem abrogatæ, iterum a sacris Canonibus repetitæ sunt.
- 12 Quod verò diximus, Clericos novi Testamenti successisse in locum Leviticæ tribus, exc. Translato sup. De constitutionib. non eum sensum habet, quâsi etiam decimarum præceptum simul ad nostros Clericos transierit; sed quòd per Christum cessaverit ministerium Leviticæ tribus, alio sacerdotio illi surrogato, abrogatisque legalibus præceptis.
- 13 Quare neque obstant loca novi Testamenti, supra adducta. Nam quòd attinet ad illud Matthæi c. 23, *Va vobis Scribis & Phariseis, &c.* eo quidem Christus comprobavit decimas, sed quatenus erant adhuc præcepti veteris Testamenti, quòd tunc nondum per mortem Christi expiraverat. Ad illud verò, *nisi abundaverit justitia vestra quam vis idem responderi posset, nondum per mortem Christi cessasse, tamen separatim, volunt Theologi, hoc ideo Christum dixisse, quòd Scribæ & Pharisei tantummodò vacarent exterioribus of-*

ficiis præstandis, interiora autem negligenter gloriamque apud homines aucuparentur, neglecto Deo; item minima curarent, contemptis majoribus. Azor. *Institut. Moral. lib. 7, cap. 23, vers. in his igitur duabus.* Quo loco etiam responderet ad illud Christi dictum, *Non veni solvere legem, sed adimplere:* quia Christus, quoad vixit, legem veteris Testamenti servavit, quæ divinitus erat data usque ad ejus mortem. Similiter responderet ad illud, *Reddito quæ sunt Cesaris, Cesari, & quæ sunt Dei, Deo;* quòd scilicet his verbis indicaverit Christus, tributa Principibus esse persolvenda; & Deo cultum, & honorem, & obsequium debitum itidem tribuendum. A populo Israëlítico veteris Testamenti ideo decimæ præstabantur, quòd de iis extraret præceptum divinum; at verò de reddendis decimis nullum extrat præceptum divinum, sed tantum canonicum, ab Ecclesia institutum.

Sed neque nos urgent loca juris Canonici, inc. 14 *Tua nobis & in c. Parochianos cum similib. h. t.* Nam illa exaudiri debent de divina lege veteris Testamenti, non de divina lege novi Testamenti, quæ nulla extrat. Dicuntur nihilominus hodie decimæ juris divini, quòd præcipue originem traxerint ex lege divina veteris Testamenti, quam secuta Ecclesia Christiana easdem decimas novâ sanctione restituit; & sic idem nomen adhuc sibi retinent.

Quòd accedit, quòd & Augustinus, Hieronymus, aliique Patres doctrinâ & sanctitate illustres, in adstruendis decimis passim utantur testimoniis veteris Testamenti, ut ostendant scilicet, Ecclesiam ejusque Principes legem à Deo Israëlitis datam imitatos fuisse. Covarr. *lib. 1, Variar. resolut. cap. 17, num. 2, vers. & præter has rationes.* Ex quibus facile quoque respondere est ad decretum Conc. Trid. supra à nobis recitatum.

CAPUT IV,

Qui ad solvendas Decimas teneantur. Item an decimæ non solutæ possessorem prædii comitentur.

SUMMARI A.

1. Quilibet ad præstandas decimas tenetur.
2. Onus decimarum sequitur fructus à solo separatos.
3. Decima non soluta an sequantur possessorem prædii?
4. Concilium Imperatores D. De publican. & l.

1. & l. 2. C. Sine censu, &c.
5. 8. Sententia Panorm. refutata.
6. Item Joannis Andrea.
7. Decima cur tributa egentium animarum.
9. Ad decimas prædiales tenentur & Iudai, Religiosi &c.

10. Personales decima onerant tantum personas.
 11. Meretrices & similes an ad personales decimas teneantur.
 12. D. Thoma distinctio personarum, quoad restitutionem inhonestè quaesitorum.

Constitutissimi juris regula est, quemlibet, cujuscumque generis, ordinis, vel gradus, teneri ad functionem decimarum, c. Ex transmissa 23, cum c. seq. c. Nuncios 6, & passim h. t. aded ut ne quidem Imperator de non solvendis decimis alicui gratiam facere possit, c. Tua 15, eod. Ea, que obtrahit præsertim in prædialibus decimis, quas Deus in signum universalis domini sibi reservavit in usum Clericorum, ut loquitur textus in cap. Tua nobis 26, eod. tit.

2. Ut hinc fructus prædiorum à solo separati onere decimarum affecti dicantur, hoc est, ut, ad quemcumque fructus transeunt, eos comiterur & decimandi jus, c. Cum h. mines 7, c. Pastoralis 28, vers. fructus, & c. Cum non sit 33, h. t. Unde & in cloacis prædiis non domini prædiorum, sed eorum conductores conveniuntur decimarum nomine, c. Dilecti 8, c. A nobis 24, & d. cap. Tua nobis h. t. Si quidem res cum suo onere transit ad alium, d. cap. Cum non sit, & d. cap. Pastoralis, c. Ex literis De pignor. & l. Alienatio 67, D. De contrah. emp.

3. Unde ex his facilis responsio est ad hanc questionem, utrum decimæ prædiales non solutæ sequantur possessorem prædii. Fingam Titium fundi sui decimas non solvisse, & postea eundem fundum transulisse in Mævium; hæc igitur quæstio est, utrum Mævius decimas ejusdem fundi antè non solutas Ecclesiæ inferre cogatur? Nam certum est, solummodò Titium cogendum esse, propter fructus fundi à se perceptos, non verò Mævium, ad quem fructus non pervenerunt. Quare, si fructus apud Titium adhuc extant, re- & is convenitur conditione ex canone, quo, scilicet, decimæ introductæ sunt, arg. l. un. D. De condit. ex lege; aut si consumpti sunt, conditione sine causa vel injusta causa, l. 3, C. De condit. ex lege.

4. Nec his refragatur textus in l. Imperatores 7, D. De publican. in l. 2, & l. 3, C. Sine censu vel reliquis &c. quibus locis possessores fundi tributarii conveniuntur, etiam quoad tributa antè non soluta. Verba d. l. Imperatores hæc sunt: Imperatores Antonius & Verus rescripserunt, in vectigalibus ipsa prædia, non personas conveniri; & ideo possessores etiam prætorii temporis vectigal solvare debere. Nam alia hujus rei ratio est, quòd fundi affecti sunt onere vectigalium sive

tributorum ex dispositione juris; atque idcirco cum eodem onere transeunt in novum possessorem, juxta d. l. Alienatio, cum similib. At decimæ non ipsos fundos afficiunt, sed tantummodò eorum fructus, ut antè probatum est.

Licet huic sententiæ ad verberetur Panormit. in d. cap. Cum homines 8, num. 6, h. t. existimans potius novum possessorem conveniri oportere. Movetur per text. in d. cap. Tua nobis 26, hoc tit. ubi decimæ vocantur tributa egentium animarum: at in tributo receptum est, quòd afficiat ipsos fundos, d. l. Imperatores. Verum ipse text. in d. cap. Tua nobis contrarium magis innuit, dum his verbis utitur: Et cum de cunctis omnino provenientibus decimis sine reddenda, sicut colonus de parte fructuum, quæ sibi remanet ratione cultura, sic & dominus de portione, quam percepit ratione terra, decimam reddere sine diminutione tenetur. Ecce colonus partiarius, pro parte fructuum à se perceptorum, ad functionem decimarum revocatur, non solus dominus ratione domini; quod certe fieret, si Panormit. sequeremur. Igitur decimæ solos fructus afficiunt, non fundum. Idem liquet ex c. Cum non sit 33, eod. tit. Statuimus, inquit text. ut in prerogativam domini generalis, exactionem tributorum & censuum præcedat solutio decimarum, vel saltem hi, ad quos census & tributa indecimata pervenerint (quoniam res cum onere suo transit) eam per censuram Ecclesiasticam decimare cogantur Ecclesiis, quibus de jure debentur.

Videò quidem Joan. Andr. in d. c. Cum homines num. 6, in ea esse sententia, quòd putet arbitrium esse Ecclesiæ, utrum convenire velit, novum vel antiquum possessorem prædii; id quo & communiter sentiunt Dd. teste ibid. Joan. Anania. Sed mihi minimò probatur, aded ut ne quidem in subsidium ad novum possessorem recurrere possit; quia, ut dixi, decimæ onus sunt fructuum, non prædiorum; atque idcirco a quitati non convenit, ut alter alterius odio prægraveretur, c. Non debet 22, De R. l. in 6, Neque factum venditoris nocere debet emptori, l. Eadem cuique D. De R. l.

Sed obcurtos, & tributa solvi ex fructibus, cum & horum onus sint, l. Neque stipendium, 13, D. De impens. in res dot. fact. ubi ita Paulus l. C. Neque stipendium, neque tributum ob dotalem fundum præstita exigere vir à muliere potest; onus enim fructuum hæc impendia sunt. Verum hoc accidit, quia vir ipse simul possessor dotalis fundi erat, & omnes ejus commoditates receperat; unde mirum non est, si & tributorum onus ad eum quoque spectaverit: siquidem & fundus tributarius tacitè fisco obligatus

tus fuerat, l. 1. C. Si propter publi pensis. Et l. Inter 42, D. De pactis. At verò prædia decimarum nomine nullo pignoris jure obligata sunt illis, quibus decimæ debentur, sed tantummodò fructus, ut hæc tenus comprobatum est.

7 Quod verò decimæ in d. cap. Tua nobis tributa egentium animarum vocentur, id non proprie fit, sed latiore significatione, prout tributum accipitur pro quavis datione vel cessione, in specie scilicet notione verbi tribuo, cujus supinum est tributum. Nam & decimis tribuere beneficium, l. In commodato 17. §. sicut D. Commod. actionem, veniam, l. 2. §. pervenisse D. De hered. vel act. vend. l. Divus, §. §. matri D. Adl. Corn. de fals. cum similib. Item rectè decimus, in tributum venit, id est, contributionem, l. 4. D. Ad L. Rhod. de jactu. Itaque decimæ dicuntur tributa animarum egentium, quòd egentibus animabus, à Clericis recipientibus eas, contribuendæ sive communicandæ sint: quamvis proptius dixerimus eas esse tributa Dei, quòd in signum universalis domini Deo reservatæ sint, in usum Clericorum, tum etiam pauperum, d. cap. Tua nobis. Et d. cap. Cum non sit hoc t.

8 Nec quoque impedit e. Cum in aliquibus 12, eod. cui & innititur Panorm. dum textus his verbis utitur: Statuimus, ut domini talibus personis & taliter sua prædia excolenda committant, quòd abique contradictione Ecclesie decimas cum integritate persolvant. Nam hic text. nihil juvat sententiam Panorm. sed potius eam evertit. Ad quid enim conductorum meminit textus, nisi quòd ab iis decimæ fructuum pendi debeant, non à dominis, à quibus elocata sunt prædia?

9 Quo etiam fit, ut, cum prædialia decimæ sint onus fructuum à solo separatorum (nam pendentes fructus fundi pars censentur, l. Fructus pendentes 44, D. Derei vind.) rectè quoque Judæi ad eas præstandas conveniantur, e. De terris 16, h. t. Item Religiosi licet exempti sint, cap. 2. §. pen. eod. lib. 6 Item Reges, Principes, alique cujuscumque status aut generis, ad quos fructus prædiorum perveniunt, nisi privilegio summi Pontificis, vel alio jure se exemptos doceant, cap. Anobis 24, h. tit. de quibus ex professio inf. c. 17.

10 Sed quid de personalibus decimis? Hæ tantum personas onerant, non res. Joan. Andr. sup. cit. loco per text. in l. 1. §. Si heres D. Ad SC Trebell.

11 Illud quaesitum est, An meretrix ex quaestu corporis sui decimas præstare teneatur? Similis quaestio est de mimis & morionibus. Et hos om-

nes non teneri, videtur probare textus in e. Ex transmissa 23, h. t. Cujus verba hæc sunt: Quia fidelis homo de omnibus, qua licitè potest acquirere, decimas erogare tenetur. Ergò à contrario sensu (qui utroque jure receptus est, e. Cum Apostolica 7, inf. De his qua sunt à Pralat. Et l. 1, vers. non aliter D. De officio eius cui mand. est jurisd.) quæ illicitè acquirunt, ex iis decimas erogare non tenentur. Confirmat hanc sententiam can. Non est putanda l. 9. 1; quò prohibetur Deus honorari ex rebus illicitè acquisitis, ubi & allegatur locus Proverb. cap. 22, Et o-stia inopiorum abominabiles, qua offeruntur ex scelere. Ac Deo offeruntur decimæ in exhibitionem Clericorum, propter cultum ipsius, d. cap. Tua nobis 26, circa med. h. tit. Accedit argumentum desumptum ex l. 2. l. 3, Et l. finali D. De condit. ob. eurs. caus. quibus locis iudex ad restitutionem compellitur ejus, quòd accepit, ut rectè judicaret: nec non depositarius & commodatarius, ut depositum vel commodatum domino redderet. Similiter & is, qui ne sacrilegium, homicidium, vel aliud crimen committeret, aliquid eo nomine accepit. Hi itaque, & similes, cum ad restitutionem teneantur ejus, quòd receperunt, non quidem ex scelere sive delicto, sed quòd gratis & ex necessitate officii facere tenebantur; multo magis illi, qui delicti committendi causa quid acceperunt. Non igitur meretrix ex quaestu corporis sui decimas inferre cogitur, sed potius ad restitutionem ejus, quòd accepit, tenetur. Attamen D. Thom. in 2. 2. q. 87, art. 2, in resp. ad 2, argum. rectius putat, meretricem, mimum, morionem, ad decimarum præstationem conveniri posse; eo quòd ad restitutionem eorum, qua professione suâ acquisiverunt, minimè obligentur: secus verò esse in furibus, raptoribus & usurariis. D. Thomam suis verbis audiamus.

Ad secundum, inquit, dicendum, quòd aliqua male acquiruntur dupliciter: uno modo, quia ipsa acquisitio est injusta, puta, quia acquiruntur per rapinam, aut furtum, aut usuram; qua homo tenetur restituere, non autem de eis decimas dare; tamen si aliquis ager sit emptus de usura, de fructu ejus tenetur usurarius decimas dare, quia fructus illi non sunt ex usura, sed ex Dei munere. Quædam verò dicuntur male acquisita, quia acquiruntur ex turpi causa, sicut de meretricio & histriionate & aliis hujusmodi, qua non tenentur decimas dare, secundum modum aliarum personalium decimarum. Subdit tamen ibid. D. Th. inquit, tamen Ecclesia non debet eas recipere, quatinus sunt in peccato: ne videatur

eorum peccatis communicare, sed postquam penituerint, possunt ab eis de his recipi decima. Idem tradit Dominicus Soto sup. citato loco, ex sententia, ut videtur, ejusdem D. Th. admonens, D. Thomam loqui secundum sui temporis regionisque morem, quo personales decimæ profus in usu erant. Iam vero, addit Soto, nullibi, quod audivimus, ejusdem perstat decimarum observatio. Interim sententia D. Thomæ juri convenit, & responso Ulpiani confirmatur in l. 4. §. sed quod meretur D. De condic. ob. turp. causam, & in l. Affectionis §. D. De donationib. Priori responso ita loquitur Ulpian. Sed & quod meretrici datur, repeti non potest, ut Labeo & Marcellus scribunt; sed novatione, non ea quæ utriusque turpitudine versatur, sed solius danti: illam enim turpiter facere, quod sit meretrix; non turpiter accipere, cum sit meretrix. Posteriore responso his verbis idem Ulpian. Affectionis gratia neque honesta neque inhonesta donationes sunt prohibita: honesta erga bene merentes, amicos vel necessarios, inhonesta circa meretrices. Idem judicium est de mimis, morionibus & parasitis, de quibus latius consule Did. Covarr. in cap. Peccatum. De reg. jur. lib.

6. p. 2. §. 2. Quare non obstant text. in d. c. Ex transmissis, & in d. c. Non est putanda: nam hi referendi sunt ad alterum caput bonorum, quæ restitutioni subjacent, sicut ex D. Thoma & Soto jam explicavimus.

Argumenta verò deducta ex l. 1. l. 3. l. ult. D. De condic. ob. turp. causam. nonnihil quidem nos commovent, sed tamen rectè eis occurritur: quod dictis legibus ideo restitutio fieri jubeatur, quod is, qui dat judici, ut secundum se in bona causa pronunciet, vel ut commodatarius sive depositarius rem reddat, ipse dans timore ductus id faciat, ne justam alioquin causam amittat, aut res sua commodata vel deposita supprimatur, aut aliò avertatur; & id quidem faciat in mercedem operæ, quæ alioquin à recipiente erat gratis præstanda. Quod non est in meretrice, mimo, morione, qui non coguntur gratis suam professionem exercere. Vide quæ fusius de hac retractant Navar. in Manuali c. 17. num. 31. cum seqq. & Greg. de Valent. tom. 3. Comment. Theol. disp. 3. q. 9. & disp. 5. q. 6. puncto 4. & 5.

CAPUT V.

Utrum pauperes ad decimarum præstationem teneantur.

SUMMARIUM.

1. Pauperes ad decimas anteneantur.
2. Decima tributa ingenium animarum.
3. Regula, Dolo facit, qui petit &c. explicata.

Qua situm est, an is ad præstandas decimas obligatus sit, qui ex prædiis suis non nisi sibi & familiæ suæ necessaria colligit. Et certius est, obligatum esse, per ea, quæ superiori Cap. disseruimus. Si quidem debitor obtentu inopia suæ non liberatur ab obligatione; imò, si ita res ferat, in carcerem detruditur, nisi cesserit bonis suis, l. 1. & quæ ibi traduntur D. C. Qui bon. ced. poss. Sed in decimis id multo magis obtinet, quod Ecclesia, cui debentur, jus habeat in rem, hoc est, in ipsos fructus collectos, ut supra proximo Cap. demonstravimus. Adeoque Ecclesia ipsa, si debitorem decimarum suspectum habet, potest ipsi inhibere, ne se absente, vel alius suo nomine fructus colligat vel exportet. Specul. in tir. de decimis num. 12. Guido Papa q. 283. & additio q. 433. in dec. Tholof. arg. l. 2. ibi, sub aspectu etiam Curialium, C.

Quando & quib. quarta pars deb. lib. 10. l. Si sufficit. 29. D. De inoff. testam. l. Nam ita dicitur 39. D. De ad. opte l. De unoquoque 47. D. De ro. judic. c. 2. De procurat. in 6. Idque hanc rationem habet, quod, ubi alterius præjudicium vertitur, semper vocandus sit is, cujus interest, aut saltem ipse licite interesse potest, jam D. V. jurib. non verò ob eam rationem, quam comminiscuntur alii, quod decimæ sint pars fructuum, ergò & fundi, quia fructus sunt pars fundi, l. Fructus 13. D. De rei vindic. nam falsa hæc ratio est & ejus consecutio. Decimæ quidem sunt pars fructuum, sed à solo separatorum, ut ante cap. 4. comprobavimus: non igitur pars fundi sunt, quia nec fructus separati amplius fundi pars sunt, sed soli fructus pendentes pars fundi censentur, l. Fructus 44. D. eod. Neque in hac re interest, quibus debeantur decimæ; probatæ ve improbatæ vitæ sint; divites an pauperes; nec enim ideo creditoris jus minuitur, cap. Tua nobis. 6. vers. prætextu. tit. Facit elegans textus in can. Fortè xlv. q. 5. ubi ita Augustinus: Fortè aliquis hoc secum cogitat, & dicit: multi sunt Christiani divites, avari, cupidi, non habeo peccatum, si suum illis absumero.

absulero, & pauperibus dedero. Vnde enim illi nihil boni agunt, mercedem habere potero, si ego elemosynam dedero. Etenim in hac re parcat unusquisque anime sua, quia huiusmodi cogitatio ex diaboli calliditate suggeritur. Nam etiamsi totum tribuat pauperibus, quod absulerit, addit potius peccata, quam minuat.

2. Sed objicies, decimæ sunt tributa egentium animarum, can. fin. xvi. quæst. 1. ac proinde cum Clerici, quibus solvantur decimæ, teneantur eas pauperibus communicare, frustra à pauperibus eas petunt, quas solutas postea ipsi restituere teneantur, juxta regulam Juris, Dolo facit, qui petit, quod restituere oportet eumdem, c. Dolo De R. I. in 6. † In eadem sententiam Paulus J. C. Dolo facit, qui petit, quod redditurus est, l. Dolo §. D. De doli mali except. Verum respondetur, decimas prin-

cipaliter solvi Deo, in signum universalis dominii, per text. in d. c. Tua nobis 2. 6. hoc tit. atque idcirco cum prospectu Dei præstentur, prius à debitore exsolvendæ sunt, deinde à Clericis restituendæ, si ita dicit inopia debitoris, aut saltem brevi manu, uti dicitur, acceptæ remittendæ. Unde prædictæ regulæ locus non est, ubi præjudicium alterius (ut hoc in casu, Dei) vertitur, ex sententia Butrii & aliorum in cap. Cum homines num. 7. hoc tit. Iunge Gloss. in can. Quicumque in verb. quod minus xvi. quæst. 8. Quin & Pauorm. in d. cap. Cum homines, non malè existimat, debitorem decimarum, si fame obruatur, justè posse eas denegare; cum in tali necessitate omnia communia sint, can. Discipulos, de consecr. dist. 5. can. Sicut dist. 47. §. l. 2. §. cum in eadem, in fine D. Ad L. Rhod. de jactu.

CAPUT VI.

Utrum Clerici & Monachi ad decimas teneantur.

SUMMARIUM.

1. Tenentur ad decimarum præstationem laici quilibet.
2. An & Clerici?
3. Intellectus c. 2. h. t.
4. Personales decimas Clerici debent Clericis.
5. Explicatio c. in l. De censib.
6. Monachi ad decimas prædiales an teneantur.
7. Monachorum exemptorum à decimis privilegium personale.
8. Ut & privilegium fisci de non solvendis vestigalibus.
9. Exemptio ista accipienda de propriis prædiis Monachorum.
10. Et ne immium ladat Ecclesiam, cui aliàs decima debentur.
11. Cessante causâ cessare privilegium immunitatis.
12. Privilegium de non solvendis decimis ut præscribitur.
13. 16. Conciliatio c. Si de terra cum c. Accedentibus De privil.
14. Privilegium amittitur sententiâ latâ contra illud.

INter omnes convenit, laicos cujuslibet ordinis & conditionis ad præstationem decimarum, tam personalium quam prædialium, ex juris præscripto obligari, sicut antè c. 4. comprobavimus.

2. At disputationis est, An idem obtineat in Cler-

ricis & Monachis? Er quidem in Clericis negari videretur, text. in c. 2. hoc tit. ubi his verbis Paschalis S. Pont. Novum genus exactionis est, ut Clerici à Clericis decimas exigant, cum nunquam in lege Domini hoc legamus: non enim Levita à Levitis decimas recepisse leguntur. Illi profectò qui à Clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt, decimas eis debent. Quo textu motus D. Thom. in 2. 2. quæst. 87. art. 4. in respons. putavit Clericos, quatenus Clerici sunt, id est, possessiones Ecclesiasticas habent, non teneri ad solvendas decimas: aliter, si proprio jure, id est, ex successione hæreditaria, vel alio titulo prædia possideant; nam hac specie censet, eos esse obligatos ad decimarum functionem. Contra verò afferunt textus in can. Si quis laicus, in can. Ecclesia & in can. Quicumque xvi. quæst. 1. quibus etiam ex prædiis dotalibus jubentur solvi decimæ illi Ecclesie, cui antè debebantur. Non igitur Clerici ratione prædiorum Ecclesiasticorum immunes sunt à præstatione decimarum. Et ratio ipsa evincit, siquidem factum alienantis prædium in Ecclesiam priori Ecclesie nocere non potuit, l. Factum cuique suum D. De R. I. Et quod eleganter inquit text. in unico De alienat. feudi lib. 1. Ecclesia cultrix & auctrix justitiae non patitur contra justitiam aliquid fieri in se, vel in alterum. Quare si prædia ab una Ecclesia in aliam translata eximerentur à functione decimarum, id injustè & non aliter fieret, quam cum detrimento prioris.

Nec obstat textus in d. c. 2. hoc tit. Quia si ibidem 3.

li 3.

Inter-

Interpretem Panorm. sequimur, is textus agit de Clericis residentibus in parochia, ut, scilicet, hi parochiali Ecclesie decimas inferre non cogantur. Sed hoc minus recte; cum aperti juris sit, omnes fructus prædiorum decimarum onere affectos esse Deo, in signum universalis dominii, c. Tua nobis 2 6 hoc tit. sicut sup. cap. 1. 3 & 4 latius demonstravimus. Unde rectius Rebuff in tract. de Decimis quest. 5 num. 6 conser. d. cap. 2. exaudiendum esse de decimis per Clericos semel perceptis, ut hæc rursus ad alteram decimationem alius Clericis persolvendam non obstringantur; exemplo Levitarum (quod idem textus utitur) qui in veteri Testamento non leguntur à se invicem decimas exegisse. Ita quod d. cap. 2. non agit de primis decimis prædiorum, sed de decimis decimarum antè perceptarum à Clericis; alioqui textus malè applicaret exemplum Levitarum, qui tunc temporis nihil præter decimas possidebant. Planè personales decimas Clerici Clericis debent, si ab his divina percipiunt. Quo sensu accipienda est posterior pars ejusdem c. 2.

5 Neque etiam movet textus in cap. 1. inf. De censib. quo ex manso in dotem Ecclesie constituto, prohibentur decimæ solvi. Verba hæc sunt: *Sancium est, ut unicuique Ecclesie unus mansus integer absque ullo servitio tribuatur. & presbyteri in eis constituti, non de decimis, neque de oblationibus fidelium, non de domibus, neque de arvis, vel de hortis juxta Ecclesiam positis, neque de prædicto manso, aliquid servitium faciant præter Ecclesiasticum. Et si quid amplius habuerint, inde sensoribus debitum servitium impendant. Mansum vacat textus tantum agri, quantum sufficit duobus bobus annuatim ad arandum, Gloss. ibid. Innocent. verò & communiter alii sumunt mansum pro dote Ecclesie, ut notat ibid. Panorm. Utrumque sit, non tamen inde certò probatur, decimas non solvi ex fundo dotali Ecclesie, sed propter decimas, oblationes, &c. nihil præstandum esse fundatori: quod longè est aliud. Idque eleganter transfert Panormitan. ad hanc questionem, An valeat obligatio Parochi cum subditis suis, ut pro decimis certi quid solvat? Et respondet non valere, per eundem textum & in can. Decimas quas xvi. quasi 7.*

In Monachis id juris est, quod & hi decimas ex suis prædiis solvere cogantur, cap. 3 & cap. 4. hoc tit. Etenim decimæ, ut sæpè meminimus, onus fructuum sunt, ex constitutione sacrorum Canonum, quasi hoc illis à jure innatum sit. Unde & ad Monachos hoc onus fructuum rectè trans-

fertur: nisi quòd reperio Paschalem II. omnibus Religiosis remisisse decimas laborum suorū, hoc est, eorum prædiorum, quæ suis manibus sumptibus excolunt. d. can. Decimas. Cui tamen postea per Adrianum IV. derogatum est, & restrictum ad solos Cistercienses, Templarios & Hospitalarios, c. Ex parte 10 cum seq. hoc tit. servata tamen moderatione, quam post eum Innoc. III. in generali Concilio Lateranensi adhibuit, ut scilicet hoc beneficium non nisi ad prædia ante Concil. Lateranense acquisita pertineat, cap. penult. eod. In certis verò Monachis maneret idem beneficium Adriani IV. quoad novalia, ut de his, si per se aut per alios impensis suis excolant, non teneantur inferre decimas; sicut nec de animalibus & hortis suis, d. cap. Ex parte, vers. ceteris vero. Ut vel hinc quoque constet, decimas non esse divini juris, aliàs privilegio tolli non possent, c. fin. sup. De præscript. sicut supra cap. 3. latius de eo differimus.

Cæterum hoc privilegium Monachorum cum respectu personarum ipsis indultum sit, rectè sequitur emptores vel conductores eorum prædiorum à solutione decimarum nequaquam liberos esse, sed eos jure cogi posse ad præstandas decimas, c. Licet 11 hoc tit. Quippe privilegium personale personam sequitur, eamque non transgreditur, c. Sanè 9. inf. De privileg. c. Privilegium De R. l. in 6 & §. Sed & quod Principi Inst. De jur. natur. gent. & civ.

Quòd pertinet elegans responsum Pauli J. C. in §. l. Locatio 9. §. ult. D. De publican. ubi licet fiscus à præstatione vectigalium immunis sit, non tamen mercatores earum rerum, quas à fisco emerunt: ideo quòd illud privilegium singulariter fisco sit reservatum, & subsequenter ad emptores transeat. Quod scitè Panorm. in d. c. Licet, pertrahit ad res studiosorū, qui quamvis immunitatem habeant vectigalis non solvendi, non tamen earum emptores. Facit juris regula: In omnibus causis id observatur, ut ubi persona conditio locum facit beneficio, ibi, deficiente eà, beneficium quoque deficiat, l. In omnibus 68. D. De R. l. Secus est in privilegio respectu rei concessio, quod in quemlibet successorem rei transfunditur. Exempla vide in l. 1. §. permittitur D. De aqua quotid. & in l. In forma 4. §. quamquam D. De censib.

Item eadem exemptio à decimis exaudienda est de propriis prædiis Monachorum. Nam si quæ prædia Monachi ab aliis conductæ habent, eorum decimas non minus quàm aji præstare tenentur.

nentur, *c. Dilecti 8. hoc tit.* Siquidem privilegium quoad præiudicium tertii, scilicet Parochi sive alterius Clerici, cui alias decimæ legitimè competunt, strictè accipiendum est; quemadmodum & cætera beneficia à Principe obtenta in præiudicium alterius, *l. 2. § si quis à Principe D. Ne quid in loco publ. & cap. Quamvis 8. De rescript. in 6.*

10 Rursus tertio, eadem exemptio de non solvendis decimis hoc temperamento accipienda est, ne nimium lædat Ecclesiam, cui alias debentur decimæ, *cap. Quid per no vale 21. circa fin. De verb. signif.* Cujus ratio pendet ex mente concedentis, qui non censetur in dubio beneficium conferre in grave præiudicium alterius, *l. 2. C. De precib. Imp. offer.* & ne quidem in leve præiudicium, nisi id disertè exprimat, *d. § si quis à Principe, & d. c. Quamvis.* Quare hæc specie privilegium de non solvendis decimis ad eò revocatur, ut ne quidem ad moderatorem redigi debeat, *arg. cap. Cum causa 6. De empt. & vendit. & l. 2. C. De rescind. vend. Panorm. in cap. Suggestum num. 4. in fine hoc tit.*

11 Adde & privilegium immunitatis à decimis cessare, cessante causâ privilegii, ob quam concessum fuit, *d. c. Suggestum.* Quod & in cæteris privilegiis observatur, sicut fufius docet And. Tiraquei. *in traçt. Cessante causâ num. 210. cum seqq. & probat text. in cap. Cum cessante 60. in princ. de appellat.*

12 Sed nec hic prætermittendum est, quòd privilegio de non solvendis decimis quadraginta annis non utendo præscribatur; quasi tanti temporis lapsu videatur renunciatum privilegio, *cap. Accedentibus 15. de privil.* propter regulam generalem, quæ in omnibus Ecclesiæ juribus præscribendis observatur, ut scilicet ea quadraginta annorum præscriptione tollantur, vel potius elidantur, oppositâ exceptione præscriptionis, *cap. 4. cap. Ad anres 6. cap. Illud 8. cum cap. seq. sup. de præscrip.* Idque multò magis obrinet, ubi expressè privilegio renunciatum est; ad eò ut hoc casu sufficiat vel una renunciatio, *c. Cum accessissent 2. de consuet.* Est enim certa juris sententia, quemlibet favori suo renunciare posse, *l. penult. C. de pact. & c. 1. eodem tit. in 6.*

13 Neque his obstat textus in *c. Si de terra 6. eodem tit. de privil.* quo privilegio de non solvendis decimis triginta annorum spatio præscribitur, contra *d. c. Accedentibus*, ubi 21. anni exiguntur. Nam respondet Panorm. *ibid. distam terra corrigi per cap. Accedentibus* tamquam postetius ordiæ, & pro hac sententia citat Gloss. ibi communiter re-

ceptam. Quæ certè conciliatio constare non potest, ideo quòd Decretales Gregorii IX. eodem tempore editæ sint, & ab eodem auctoritate accepertint, aperteque fateatur ipse Gregorius, *in proæmio suo*, nihil superflui inesse Decretalibus suis. Effet autem superfluum, *si d. cap. Si de terra per d. c. Accedentibus*, tamquam posterius, abrogaretur.

Quare ut hæc absurditas evitetur, neque facile correctio inducatur, *cap. Cum expediat 29. in pro. de elect. lib. 6. & l. unica C. de inoff. dorib.* putarem species utriusque *cap. à se invicem separandas esse*, cum in diversis casibus loquantur. Etenim *d. c. Si de terra* agit de præscriptione parochialis Ecclesiæ, ad quam alias de jure communi spectant decimæ (ut dicam *inf. cap. 9.*) contra Monasterium; atque idcirco, cum hæc præscriptio favorabilis sit (eo quòd res facilius ad suam naturam recurrat, *l. Si unus 27. § factus ver. quod si non d. de pact. & c. Cum venerabilis 21. de censib.*) ideo in hac præscriptione minus tempus statuitur, nempe 30. annorum. Quod non est in casu *d. c. Accedentibus*, ubi alii, quàm Parochus, inter se contendunt de decimis. Et hujus quoque sententiæ videretur esse Hent Boich. *in d. c. Si de terra.*

14 Postremò, hoc privilegium, ut & quodvis aliud privilegium, amittitur per legentiam latam contra privilegium; sive illud allegatum & deductum sit in iudicium, sive non. *c. Suborta 21. de sent. & rejudic.* Idque propter auctoritatem sententiæ, quæ obtentu instrumenti de novo reperti vel producti rescindi non potest, *l. Imperatores 32. de rejudic. & l. Sub prætextu 19. C. de transact.* Nisi fortè appellatus esset à sententia, *d. c. Suborta 23.* hoc enim casu privilegium adhuc suam vim retineret, & in iudicium appellationis, rectè deducetur, *c. Cum Ioannes 0. de fide instrum.* Quippe per appellationem sententia lata extinguitur, *l. 1. §. fin. d. Ad 8. C. Turpil. vel, ut aliis placet, suspenditur*, donec de ea in iudicio appellationis cognitum fuerit, *l. Præcipimus 32. vers. hac si appellatio C. de appellat.* Quod hanc rationem habet, quòd in oppositâ appellatione reducatur causa in eum statum, in quo erat litis contestata tempore prioris iudicii, *per text. in l. Ita demum 13. & ibi Bart. & Bald. C. de procurat.* Quare privilegium sive alia instrumenta in priori instantia omiffa, vel etiam producta, rectè in appellationis iudicio producuntur vel repetuntur, *d. cap. Cum Ioannes, cap. Fratrum 17. de testib. & l. Eos 6. §. si quid*

autem C. De appellat. Vel nisi cessante appellatione peratur ex causa in integrum restitutio adversus sententiam. Nam & hac ratione rescissâ sententiâ, causa in pristinum statum reponitur, & pro-

ductioni privilegii locus fit, adeoque tota causa de novo agitur, c. Suscitata De in integ. restit. & l. Nemo s. D. eod. tit.

CAPUT VII.

Decimas integrè persolvendas esse, & quando, & ubi:

SUMMARI A.

1. Decima prædiales statim collectis fructibus integra debentur.
2. Cujus periculo sint, si non præstentur.
3. Cujus expensis in rebi debeant.
4. Personales decima quando præstanda.

Decimas integrè, id est, absque ulla diminutione sive detractioe, præstandas esse probant textus Decretal. in c. 4. s. 8. c. 21. 23. 26. & 31. hoc tit. Idque si prædiales decimæ sint, statim fructibus collectis, id est, à solo separatis, c. Cum homines 7 Extr. eod. Ita enim collecti fructus dicuntur, per text. in l. Si servus 27 §. si olivam D. Ad L. Aquil. & l. Si servus 77. D. De rei vindic.

Unde si morâ debitoris decimæ perierint, aut damnatum passæ sint, debitoris periculum est, l. Cum res 49. §. fin. D. Delegat. 1. nisi monitus Clericus, cui debentur, nolit decimas recipere; tunc enim Clerici culpa sibi ipsi nocet, l. Qui decem 72. D. De solutionib. præterquam si idem Clericus postea decimas repetat, aut acceptare velit. Nam hæc specie periculum rursus redit ad ipsum debitorem; cum tunc posterioris moræ, non prioris habeatur ratio, l. Illud 17. D. De peric. & commodo rei vend. & l. Debitor 7. D. De usuris, Gloss. in d. c. Cum homines.

Sed cujus expensis decimæ in horreum Clerici sive Ecclesiæ convehuntur? Debitoris, can. Revertimini & ibi Gloss. xvi. quest. 1. Sed melius est hac in re, aliisque similibus, ad rem consuetudinem loci, quæ profectò retinenda est, arg. c. Cum sint homi-

nes 18. & c. Cum in aliquibus 32. §. fin. hoc tit. ut etiam monet Paporm. in c. Pervenit 5. num. 3. eod. quo loco ex communi usu receptum tradit, quod decimæ frumenti excusâ paleâ deferantur in horreum Ecclesiæ, impensis villici sive domini. Sed aliter hic in agro Ingolstadtensi observatur, ut ex fructibus à solo separatis & in manipulos (vulgò *gerbas* vocant) coniectis, decimæ earum ex eis separantur & in eodem agro relinquuntur Ecclesiæ, cui debentur. Quare singulorum locorum consuetudo in hac respectanda est.

Personales verò decimæ præstantur in finem anni, ut vult Glossa in d. can. Revertimini & Joan. Andree, quem citat & sequitur Panorm. in d. c. Pervenit; ne si ex singulis operis decimæ statim solverentur, incommodum foret ipsi debitori vel Ecclesiæ; eo quod dici solet, Particularis solutio multa incommoda sæpè adfert, l. Plane 3. D. Familia ercise. De quo ramen non video magnopere laborandum esse, cum hæc decimæ videantur hodie & passim in desuetudinem abiisse. Nisi quod Pet. Rebuff. in tract. de Decimis quæst. 12. num. 5. asserat, solere bonos Advocatos & devotos lucrum suum ex postulationibus referre in scripturam, & postea in fine mensis vel anni illud recognoscere. Imò addit, se multos vidisse, qui dispositos loculos haberent pro decimis; ut, si decem solidos uno die lucrarentur, unum ex iis immitterent in loculos pro elemosynis erogandis, pro anniversariis, pro exhibendo Parocho, & aliis operibus piis exercendis; & bonum esset (subjicit) si sic faceremus.

CAPUT VIII.

Decimæ quibus exsolvendæ.

SUMMARI A.

1. Decima prædiales solvenda Parocho; & quid de personalibus.

2. Parochus loci quo ad decimas intentionem suam fundatam habet.
3. Quid si alium possessione decimarum spoliaverit.
4. Quis hæc titulus legitimus.

Explo.

Explorati iuris est, decimas, id est, ius decimandi ad Parochum loci, ubi prædialia sunt, spectare, quod ad prædialia decimas attinet, c. 2, *De restitut. spoliat. in 6. cap. Cum contingat 29, cum c. seq. Et c. Quoniam 13, ho. tit.* Sin personales, ad Ecclesiam, in qua debitor Sacramenta Ecclesiastica percipit, licet alibi lucrum obtigerit, cap. *Ad Apostolica 20, eod. Et cap. fin. De parochiis.*

Quod sit, ut Parochus loci contra quemlibet possessorem iuris decimandi, etiam Episcopum, habeat intentionem suam fundatam: ita quod non teneatur probare, quo titulo ius decimandi ad se pertineat, cum id ex Canonum præscripto habeat, que madmodum rectè tradit Rebuffus in tract. de Decimis quest. 7, numer. 4, Et 5, per text. in c.

A nobis 24, Et ibi Butr. num. 4, hoc tit. Et iuris. jam antè citatis.

Ad eò ut, si proprià auctoritate Parochus loci possessionem iuris decimandi alteri interverte- rit, sive, ut vulgò loquimur, spoliaverit, decimas ipse percipiendo, non antè ad restitutionem teneatur, quàm spoliatus probaverit legitimum titulum possessionis suæ, d. c. 2, *De restit. spoliat. in 6* quod latius inf. c. 16. persequimur.

Legitimus verò titulus hîc est in alieno Clerico, hoc est, qui non est Parochus loci (nam de laicis possessoribus decimarum separatim agimus inf. c. 12,) vel consuetudo, vel præscriptio, vel privilegium, vel compromissum, vel transactio. De quibus iam distinctum dispiciamus.

CAPUT IX.

De consuetudine & præscriptione, quibus alieno Parochò vel Clerico decimæ prædialia acquiruntur.

SUMMARIA.

1. Consuetudo à præscriptione in quo distat.
2. Possessio & quasi possessio quarum rerum sit.
3. Consuetudine rectè acquiri ius decimandi.
4. Dummodo ea rationabilis sit & præscripta: Et qualis.
5. Item præscriptio.
6. Cap. 1. De præscript. in 6. refertur & explicatur.
7. Titulus in præscribente quando requiratur.
8. Argumenta contra huiusmodi præscriptionem.
9. Incorporalis rei etiam præscriptio datur.
10. In decimis præscribendus una præscriptio sufficit.
11. Præscribens alienas decimas an sit in præsumpta mala fide.
12. Intellectus l. Si quis diuturno D. Si servitus vindic.
13. Doctorum interpretatio rejicitur.
14. Item Covarruvia.
15. Auctoris sententia.
16. Immemoralis præscriptio quomodo probetur.
17. Memoriam rei extare in factis antiqui qualiter probetur.
18. An & per instrumentum?

quibus 32. D. de legib. Et §. ex non scripto Inst. De iure n- tur veluti in proposito argumento, si subditi alicuius parochiæ præstent alteri Clerico decimas, Parochò id dissimulante vel tacente. Præscriptio verò, quando alicui personæ, vel etiam pluribus coniunctim per possessionem vel quasi, legitimi temporis ius aliquod acquiritur, sicut liquet ex tit. Decretal. De præscriptionibus Et tit. Cod. De præscript. longi temp. cum aliquot seqq. Quamvis & interdum præscriptio pro consuetudine accipiatur, ut in cap. fin. De præscript. cum similibus de quibus latius Franc. Balbus in tract. de præscript. in prima parte princ. quest. 10, Petr. Rebuff. tract. de Decimis quest. 12, nu. 45. Et Covarr. in cap. Possessor p. 2, §. 3, numer. 2, De R. l. in 6.

Dixi, per possessionem, vel quasi, ut utramque possessionem tam rerum incorporalium quàm corporalium complecterer. Siquidem possessio propriè est rerum corporalium, l. Sequitur 4. §. si viam 27, D. De usucap. Et l. 3, in pr. D. De acquir. vel amit. poss. Quasi possessio, rerum incorporalium. Quamvis & iure usurpatum sit, ut & res incorporales simpliciter possideri dicantur, c. *Ad auves 6, De præscript. Et c. 1, eod. tit. in 6,* Quare & nos in hoc tractatu utimur interdum verbo possessionis etiam in rebus incorporalibus.

Quod igitur consuetudine ius decimandi, parochiali Ecclesiæ ex præscripto sacrorum Canonum competens, alteri Ecclesiæ acquiratur,

Kk pro-

Consuetudo à præscriptione in eo distat, quòd illa consensu hominum tacito inducatur, & sic in communi ius constituit, l. De

probat textus in cap. Cum sint homines 18, & c. Ad Apostolica 20, hoc tit. Et ratio est, quia consuetudo derogat juri communi, & ut. De consuet. & consequenter jus alteri Ecclesie competens in aliam Ecclesiam transfundit, & Cum Dilectus 8, d. iii. De consuet. Nec enim ex necessitate juris est, ut prae-
 4. Dum tamen haec consuetudo (ut & aliae locorum consuetudines) rationabilis sit, & legitimè praescripta, d. cap. uti qua & alia pleraque jure Canonico sancita: & pè & regulariter tolluntur d. c. ult. sup. De consuet.

Sed magnae quaestio est (ut & obiter hoc inferam) quae dicatur consuetudo rationabilis, quaeve legitimè praescripta: Auxit de utroque inquirunt. Dd. ut videre est, apud Panorm. in d. c. ult. & Menoch de arbitrar. jud. qu. casu 82. cum seq. & alios, quos hic consulto omitto. Sed praeter verior nobis sententia videtur ejusdem Panorm. qui secutus Hostiensem, & Joan. Andreæ, existimat rationabilem consuetudinem certo jure definitam non esse, sed pendere ex aestimacione judicis, cuius est considerare, an consuetudinis huius bonus sit, an reprobus; an iustae sive iniustae rationi innitatur. Quam & sententiam communi calculo recepram attestatur And. Gail. lib. 1. Observ. 31, num. 12. Et confirmatur ex vulgata juris sententia, quae ea, quae à jure definita non sunt, censentur relicta arbitrio judicis, per text. in l. 1. in fine. De jure delib. in l. 1. §. expilatores. D. De effect. rib. in c. fin. De transact. & cap. De causis. 4. in fine. De offic. & potest. jud. de eg. Quare & idem retinendum est in consuetudine, quando praescripta dici possit, ut similiter id ad arbitrium judicis redigatur, ob eamdem rationem, quod si licet id non sit definitum jure certo. Iudex igitur circumspiciendus in exploranda consuetudine, utrum ea rationabilis & legitimè praescripta sit, dispicere id & aestimare debet. Ut & praescribit Alexandri Imp. Constitutio in l. c. Quae sit longa consuet. cujus verba hic subjicere libet: Praes provinciae, probatus ite, quae in oppido frequenter in eodem controversiarum genere servata sunt, causa cognita statuet. Nam & consuetudo praecedens & ratio, quae consuetudinem suavit, custodienda est. Et ne quid contra longam consuetudinem fiat, ad sollicitudinem revocabit Praes provinciae. Quare consuetudo, an ra-

tionabilis & legitimè praescripta sit, pendet à cognitione & aestimacione judicis. Praescripta, inquam, id est, sufficienti consensu populi introducta. Unde hujus verbi praescripta alia significatio est in praesenti argumento, quam sub titulis Decretal. De praescript. & c. De praescript. longi temp. cum similib. quibus res, tunc praeter praedicatur, quando per continuationem possessionis temporis a jure defuncti, alteri jus acquisitum vel ablatum est.

Ceterum proprius ad rem regrediendo, ex praedictis liquet, consuetudinem valere, ut decimae unius Ecclesiae alteri Ecclesiae sita pendatur, d. cap. Ad Apostolica 20, hoc tit. & ibid. Panorm. Covarr. Variar. resolut. cap. 17, num. 8. vers. tertio deducitur.

Idem & praescriptione fieri posse comprobatur textus in c. Ad aures 6, De praescript. cujus verba placeat & hic adscribere: Ad aures nostras peruenit, duas Ecclesias litigasse super decimis, quas una earum in alterius parochia 40. annis possedit & infra Tua fraternitati tenore praesentium innotescat, quod de jure melior est conditio possidentis; qui quadragenalis praescriptio omnem praesens actionem excludit. Dummodo haec quadragenalis praescriptio & bonae fidei sit & cum titulo, aut sit titulus desit, immemorialis, hoc est, ejus temporis, cujus possessionis initium memoria non existit. Quod hic suppleendum est, ex Bonifacii VIII. rescripto in c. 1. De praescript. in 6. Cujus verba lubet etiam hic adscribere, eo quod Dd. nostri inde eruant regulam quandam generalem, quae & ad alios casus producitur.

Igitur verba d. cap. 1. ita habent: Episcopum, qui Ecclesias & decimas, quas ab eo repetit, proponit (licet in tua sint constituta dioecesi) se legitimè praescripisse, allegare oportet (cum jus commune contra ipsum faciat) hujusmodi praescriptionis titulum & probare. Nam licet ei, qui rem praescribit ecclesiasticam, si sibi non est contrarium jus commune, vel contra eum praesumptio non habeatur, sufficiat bona fides; ubi tamen est ei jus commune contrarium, vel habetur praesumptio contraria, bona fides non sufficit; sed est necessarius titulus, qui possessori causam tribuat praescribendi: nisi tamen temporis alleget praescriptio, cujus contrarii memoria non existat. Haec tenus textus, sed ejus facti speciem plenius inspiciamus. Erant duo Episcopi diversarum dioecesium, quorum unus in alterius dioecesi possidebat Ecclesias & decimas, quas cum alter repereret tamquam ad suam dioecesi spectantes, ex can. Omnes basilicae xvi. quaest. 7. can. 1. cum trib. can. seqq. x. quaest. 1. can. 1. §. has. verò decimas d. quaest. 7., alter excipiendo ita occur-

occurrit, quod eas legitime præscripsisset. Unde de hac re consultus Pontifex rescribit, eum præter præscriptionem allegare & probare oportere præscriptiois titulum; hancque generalem rationem subiicit, quod quamvis in præscriptione rei Ecclesiasticæ sufficiat bona fides, tamen ubi jus commune vel præsumptio refragatur præscripti, necessariam esse & tituli probationem, aut saltem immemorabilem præscriptionem.

7 Ex qua ratione Doctores nostri hanc regulam generalem faciunt, quod, ubi jus commune, vel præsumptio est contra præscribentem, requiratur necessarius titulus possessionis in præscribente; aliàs opus esse immemorabili præscriptione. *Gloss Gemin. & Francus in d. cap. 1. Joan. And. in summano ejusdem c. 1. Panorm. in c. De quarta De præscript. Dyn. in c. Possessor nōm. 27. Deregulariū in 6. Covarr. d. lib. 1. Variar. resolut. cap. 17. numer. 7. Balbus in tract. de præscript. in 2. parte 3. princ. qu. 6. num. 10.*

3 Ceterum huic præscriptioni juris decimandi etiam potissimum refragari videntur. Primum est, cum hoc jus decimandi incorporale sit, possideri non potest, *d. l. Sequitur 4. §. si viam D. De usucap. & l. Servitutes 4. D. De servit. ut* At verò sine possessione non procedit præscriptio, *c. 3. de R. l. in 6. & l. Sine possessione 2. §. D. De usucap.* Secundum est, quod in præstationibus annuis, vel alterius certi temporis, tot sint præscriptiones, quot sunt anni sive tempora decursa, *l. Cum notissimi 6. §. in iis etiam C. De præscript. 20. vel 40. annorum.* Textum huius §. suis verbis subiiciamus: *In iis etiam promissionibus, legatis, vel aliis obligationibus, quæ dationem per singulos annos vel menses, vel aliquod singulare tempus continent, tempora memoratarum præsumptionem 30, vel 40, annorum non ab exordio talis obligationis, sed ab initio cuiusque anni vel mensis, vel alterius singularis temporis, computari manifestum est.* Quare ex hoc §. inferri videtur, quod in decimis prædialibus, quæ plerumque annuæ sunt, aut certi alterius temporis, non currat una præscriptio, sed separatim ejusque anni vel temporis, quo decimæ solvi debent. Tertium argumentum est, quod in omni præscriptione abesse debet mala fides, id est, conscientia mala, quæ possessor putat alienam rem non esse suam, *cap. suo. de præscript.* At qui possidet alienas decimas in mala fide est, quia contra ius possidet, quo Parocho loci debentur decimæ, *ut supra c. 8. comprobavimus.* Esse autem in mala fide eum, qui contra ius possidet, probat iuris regula in c. Qui contra de R. l. in 6. & text. in l. Quemadmodum 7. in fi.

ne C. de agric. & censuris lib. 11. Cui consequens est, Clericum decimas alienas possidentem, non posse eas præscribere, obstante malâ fide ipsius.

Quibus tamen nihil impediens, inconclusa manet hæc juris conclusio, quod decimæ per præscriptionem alteri Ecclesiæ rectè acquirantur, *per text. in d. cap. Ad aures, & in d. cap. 1. De præscript. in 6.*

Nec obstat primum argumentum; quia licet rei incorporalis aulla sit possessio propria, utpote quæ tantummodò est rei corporalis, *l. 1. in fine princ. D. De acquir. vel amit. possess.* attamen cum rei incorporalis quasi possessio detur, *cap. Querelam 24. De elect. & cap. 3. De causa possess. & propriet. receptum quoque à jure est, ut & res incorporalis præscribi possit, l. 1. & l. 2. C. De servit. & l. Si quis dicitur 10. D. Si servit. vindic.* Ut hinc & jus decimandi licet incorporale, rectè quoque præscribi dicatur, *d. cap. Ad aures, & d. cap. 1. De præscript. in 6.*

Quoad secundum argumentum, illud quidem majoris momenti videtur primâ fronte; nihilo minus facilè tollitur, si dicamus in decimis præscribendis diversum esse, quàm in aliis præstationibus annuis, vel alterius certi temporis. Quia præstatio decimarum non venit ex contractu vel ultima voluntate, de qua loquitur *d. §. in iis etiam*; sed ex dispositione sacerorum Canonum, à quibus in modum regulæ statutum est, ut ex omnibus fructibus & obventionibus decimæ solverentur, *ut sup. cap. 1. latè deductum est.* Quæ regula, cum & una sit, unamque & simplicem obligationem inducens, factum quoque est, ut & sufficeret contra decimas una præscriptio, *per d. cap. Ad aures, & d. cap. 1. in 6. ex sententia Baldi in d. c. De quarta 4. num. 5. De præscript.*

Quod ad tertium attinet de mala fide, verum est quidem, malam fidem præsumi, ubi quis contra jus agit, si credat eum, à quo habet decimas, illas possedisse, vel ex privilegio, vel ex consuetudine loci, vel ex præscriptiore, vel ex donatione, vel ex transactione, sive compromisso, *ut hic & c. seq. latius dicitur, & sic transferendi in se decimas potestatem habuisse.* Quemadmodum de emptore dicitur, *in l. Bone fidei 109. D. De V. S.* qui emptor bonæ fidei ex eo censetur, quod ignoraverit rem, quam emit, alienam fuisse, aut putaverit, eum, qui vendidit, jus vendendi habuisse, puta, procuratorem vel tutorem. Siquidem hic error, cum facti sit, malam fidem non inducit, atque idcirco non impedit præscriptionem, *l. Juris ignorantia 4. D. De juris & facti ignor.* At solus juris

error impedit prescriptionem, l. Numquam 31. in princ. D. De usucap. & d. l. Iuris ignorantia: veluti si putem rem me posse emere à pupillo sine auctoritate tutoris, l. 2. §. si à pupillo D. Pro emptore; vel rem Ecclesiæ Cathedralis, sine Capituli consensu & approbatione, can. Sine exceptione xxi. quæst. 2. Utroque enim casu error juris officit prescriptioni, d. l. Iuris ignorantia & d. l. Numquam. Quæ ratione si putem me posse recipere decimas à laico, sine assensu Episcopi, similiter juris error est, quia pugnat cum c. Cum Apostolica 7. in fine De his quæ sunt à Prælat. & consequenter idem error obstat prescriptioni. Cæterum si quis putet Clericum, à quo decimæ ad se devenerunt, verum ius decimandi habuisse ex aliquo justo titulo, cum reverà non habuerit, error hic, cum in facto consistat, præscribenti nihil obest. Aliter in errore juris, quia in eo pari passu ambulat, scire & scire debere. Quippe quilibet scire tenetur leges, ubi quid acturus est, l. Leges sacratissima 9. C. De legib. aut saltem peritos legum consulere, l. In bonorum possessionibus 10. D. De bonor. possess. Quid si non fecerit, ignorantiam affectasse censetur, adeoque pro supino & crasso ignorante habetur, qui scienti assimilatur, c. 1. in fine De ordinat. ab Episc. qui veniunt, Episcopatus.

Itaque in decimis parochialis Ecclesiæ præscribendis requiritur titulus, unà cum possessione 40. annorum, aut sine titulo immemorialis possessio, juxta d. cap. 1. De præscript. in 6.

12 Cui rursus objicitur textus in l. Si quis diuturno 10. D. Si servus vindic. Si quis diuturno usu, inquit Ulpianus, & longà quæ si possessione jus aquæ ducenda nata sit, non ei necesse est docere de jure, quo aqua constituta est (veluti ex legato, vel alio modo) sed utilem habet actionem, ut ostendat per annos forè tot usum se, non vi, non clam, non precario possedisse. Per voculam tot intellige decem annos inter præsentibus, & viginti inter absentes, exemplo rerum immobilium, l. 2. C. De servit. & aqua; juncto itè Insti. de usucap. Hic igitur videmus, servitutem aquæ longo tempore acquiri absque titulo; cum tamen juris præsumptio adversetur præscribenti, quæ omnis res in dubio libera & immunis à servitute præsumitur, l. Alius & cum l. seq. C. De servit. & aqua. Quæ implacabilis videtur esse antinomia.

13 Conantur autem Dd. hunc obicem ita tollere, quod in servitute per prescriptionem acquirenda agatur de levi præjudicio, ideoque titulus in ea non sit necessarius. Secus in iis, quæ sunt majoris momenti, ut sunt decimæ, iurisdictio, alia-

que huiusmodi, quæ ob sui momentum titulum requirunt. Ubi enim maius periculum vertitur, ibi plenius consultur, cap. Vbi periculum in princ. de elect. in 6. & l. 1. §. sed etsi quis D. De Carbon. edito. Verum hæc conciliatio displicet Dd. Covarr. lib. 1. Variar. resolut. cap. 17. num. 7. ubi latè hanc rem persequitur, & tandem prædictam conciliationem hæc ratione refellit, quod interdum talis servitus esse possit, quæ gravissima incommoda adferat prædio servienti; veluti in servitute via, vel aquæ ductus, si ea per medium fundum constituta sit, item in iure pascendi, si id totum agrum occupet. Unde malè Dd. autumant, divè. sum idcirco esse in servitutibus, quod hæc levis momenti sint.

Quare ipse Covarr. hæc difficultatem aliter submovet; adhibita distinctione inter eum, qui iure communi resistente rem possidet, & eum, qui non verante iure possidet: ut priore casu titulus necessarius sit, iuxta c. 1. De præscript. lib. 6. & c. 2. De restit. spoliat. eod. lib. Posteriori minimè, ut in d. l. Si quis diuturno. Verum nec hæc conciliatio meo iudicio subsistit. Nam textus d. c. 1. titulum requirit, non solum, ubi præsumptio iuris communis, sed vel alias præsumptio militat contra præscribentem, ut in specie c. Si diligenti 17. De præscript.

Ut autem hæc controversia sedetur, puto in acquirenda servitute duo animadvertenda esse; unum, an servitus constituta sit per dominum prædii servientis, alterum, an per alium, qui dominus prædii non est. Ut priori casu opus non sit aliquo titulo in præscribenda servitute, sed sufficiat scientia domini, alium in possessione rei suæ esse, iuxta d. l. Si quis diuturno, & l. 1. & l. 2. C. De servit. & aqua. Nam si præterea titulus requireretur, frustra contenderetur de prescriptione, cum per ipsum titulum iam antè servitus constituta fuisset, & si quis velit Insti. de servit. prædior. Accedente tamen patientiâ domini, quæ loco traditionis est in servitutibus, l. Si ego emi 13. §. 1. D. De Public. in rem act. & l. 1. in fine D. De servit. rustic. prædior. Quod & denotant in d. l. Si quis diuturno & d. l. 1. C. De servit. verba non vi, non clam, non precario. At per alium non dominum constituta servitus exigit titulum, ut ipsi domino prædii nocent præscriptio, sicut ex Castrensi rectè tradit Balbus in tract. de præscript. in 2. part. 4. princ. quæst. 1. numer. 4. per textum in d. l. Si ego emi. Atque hoc sensu in decimis accipiendus videtur textus in d.

c. 1. De *prescript. in 6.* quoddam scilicet Episcopus, qui prescriptione se tueri nitebatur, nullo titulo possederit Ecclesias & decimas, sed potius presumatur eas propria auctoritate occupasse. Ut igitur hæc presumptio cessaret, necessarius erat ei titulus, quo eas acciperet & possederit. Quæ sententia est d. c. 1. Est enim vis ea immemorialis prescriptionis, quoddam instar tituli sit legitime constituti, *l. Hoc iure §. ductus aqua D. De aqua quot. & est. privilegioque æquiparetur, c. Super quibusdam §. præterea De verb. signif.*

16 Sed quæ situm memini, quomodo probetur immemorialis prescriptio. Nec enim sufficit in immemoriali prescriptioe testes asserere, possessorum tanto tempore rem possedisse, quoddam ejus initii memoria non existat, nisi etiam addat causam scientiæ suæ, *l. 3. C. De testib. Respondet Glos. in d. c. 1. De prescript. in 6.* hanc causam necesse esse ut reddant testes, se non meminisse, quoddam alius præter possessorem rem unquam possederit, idemque à majoribus suis se accepisse. Quam Glos. communi calculo approbatam esse tradit Balb. in d. tract. de prescript. in 2, part. 3, p. princ. q. 6, num. 24. Addit Covarr. in c. Possessor in 2, Relect. §. 3, num. 7, De R. I. in 6, ut & idem testes testificentur hujusmodi quoque esse famam publicam & opinionem apud eos, qui rei cognitionem habent. Item addit ex Lapo, ut testes ejus ætatis sint, quod possint reminisci eorum, quæ ante 40, annos acciderunt. Ut hinc communiter tradant Dd. teste Myns. cent. 1, Obs. 30, ad probandum tempus immemoriale hæc sequentia requiri. Primum, quod testes sint ad minus 54, annorum, & de 40 annis testificentur. Secundum, quod testes necessarii dicant, communem opinionem esse, quod de contrariis usu non extet memoria. Tertium, quod testes ita semper viderint & audierint à suis majoribus. Quattum, quod numquam fuerit observatum contrarium. Quæ licet temerè respicienda non sint, tamen non omnia jure comprobantur. Quare soleo ego in hac re accersere textum singularem in *l. Si arbiter 2, vers. sed cum D. De probat.* qui memoriam rei non extare his verbis expressè decidit, *Cum omnium hæc est opinio, nec audivisse, nec vidisse, cum id opus fieret, nec ex eis audisse, qui vidissent aut audissent, & hoc insimulè similiter sursum versus accidisset, tum memoriam operis facti non extare.* Vult igitur hic text. ad probandum immemoriale tempus, ut testes deponant, opinionem esse omnium, hoc est, communem ejus loci, in quo quæritur, (nec enim

omnes & singuli solent aliorum facta observare, *l. 2. in fine D. De juris & facti ignor.*) rei initium non extare, neque ex aliis, cum quibus vixerint, audisse, qui vidissent & audissent à majoribus suis in infinitum: puta, à parentibus, avibus, proavis, &c. tum suis, tum alienis. Ut tamen & arbitrium siue æstimatio judicis hac in re quoque concurrat, *l. 3. §. ideoque D. De testib.* Quocirca decimarum prescriptioem eam immemorialem rectè dixerimus, quarum initium nullum visu vel auditu adferri potest ex depositionibus testium. Et contra verdè eam non esse immemorialem, si diversum constiterit ex testificatione testium, *Glos. in d. c. 1. De prescript. in 6.* & rectè probat argumentum à contrario sensu.

Quibus certè consequens est, quod in factis antiquis memoriam rei extare rectè probetur per testimonia de auditu alieno, ut in d. *vers. sed cum, & in l. 2, §. idem Labeo 8. D. De aqua pluvia arc.* ubi ita textus: *Idem Labeo ait. Æm quæritur, an memoria extet facti opere, non diem & consulom ad liquidum exquirendum, sed sufficere si quis sciat factum. hoc est, si factum esse non ambigatur: nec utique necesse est superesse, qui meminerint, verum etiam si qui audierint eos, qui memoriam tenuerint.* Quod loco & Bartolus notat, ad ad probandum, memoriam extare, sufficere testimonium de auditu alieno: quippe in antiquis necessitas confugere nos cogit ad auditum alienum.

Ex quibus quoque patet, graviter hallucinari eos, qui immemorialem prescriptioem centum annis definiunt, quos & referat Dd. Covarr. in d. c. Possessor §. 3, num. 8, *vers. hinc factum esse, apud quem id persequere.*

Poriò & illud quæ situm est (ut hoc argumentum de immemoriali prescriptioe absolvamus) an per instrumentum, memoriam rei extare, probari possit? Fingamus, Titium Clericum in parochia sui Parochi, vel alterius, decimas hæcenus collegisse ultra centum & amplius annos; tandem Parochum loci reperisse instrumentum, quo initium possessionis Titii doceri potest: quæ situm est, an ex hujusmodi instrumento rectè probetur initium possessionis Titii in percipiendis decimis, ita quod Titius allegare non possit immemorialem prescriptioem? Quod putat Joan. Andreæ in d. c. 1, in fine *De prescript. in 6.* quem & refert additio Glassii ibidè similiter & Phil. Francus num. 15, & Balbus in tract. de prescript. in 2, part. 3, princip. q. 6, n. 25, qui Joan. Andr. tacitè sequi videntur. Et quidem rectè; si enim memo-

nam rei extare legitime probatur per testimonia & auditus alieni, uti constat ex d. S. *Idem Labeo*, cur non æquè ex instrumento, quod à jure æquiparatur testibus etiam de facto suo testificantibus? l. *In exercendis* 15, C. *De fide instrum.* Etenim memoria rei non tantum in mentibus hominum residet, sed & in scripto, quod memorie conservandæ causa confici solet, l. 10, l. 13, & fin. C. *De proximis sacror scrip lib. 12.* Quare ubi ex instrumento, vel ex alia scriptura, legitime constat de initio rei cœptæ, profectò dici non potest, eam esse im-

morialem, sive ejus præscriptionem esse immemorialem, cum de initio ejus jam constet per scripturam. Atque hanc sententiam, quod initium possessionis rectè probetur ex instrumento, & ideo non occurrere immemorialem præscriptionem, nuper, cum ex facto incidisset, Collegium Juridicum Ingolstadiense in respondendo, comprobavit in causa decimarum possessarum à quodam Monasterio per 150. annos & amplius; quàm & confirmare videtur Covarr. d. m. 8, in fine.

CAPVT X.

De privilegio, donatione, compromisso, transactione & permutatione, quibus alteri Ecclesiæ decimæ acquiruntur.

SUMMARI A.

1. Decima unius Ecclesiæ rectè transferuntur in aliam Ecclesiam auctoritate Summi Pontificis.
2. An & per donationem?
3. An per viam compromissi?
4. Acquiritur & jus decimandi per transactionem.
5. Et per permutationem.

Superiori Cap. differuimus de consuetudine & præscriptione, quibus decimæ acquiruntur alteri Ecclesiæ; nunc subsequenter dispiciamus, an idem fieri possit privilegio S. Pontificis. Item an per viam compromissi, donationis, transactionis, vel permutationis.

De privilegio S. Pont. ambigere non convenit; cum apud omnes in confesso sit, omnes Ecclesias, omniaque bona & jura Ecclesiastica consistere in potestate S. Pont. c. 2, in princ. *De præben. in 6, c. Antiqua* 21, in princ. *De privileg. can. 1* & 2, dist. 22, atque ideo jus decimandi unius Ecclesiæ competens, posse ejusdem auctoritate in aliam Ecclesiam vel personam transferri, c. *Accedentibus* 15 h. tit. & c. 2, eod. in 6, Idque docemur & exemplo decimarum in feudum concessarum ante Concil. Lateranense, de quib. *infra* à cap. 13.

De donatione extat textus c. *Cum Apostolica* 7, *De his, quæ fiunt à Prælat* quo permittitur laico, possidenti decimas jure feudante Concilium Lateranense, donare eas Ecclesiæ, cui voluerit, præsertim religioso conventui, sed interveniente Episcopi consensu. Idem probat textus in *can. ult. vers. quamobrem* XVI. q. 1. in laico, qui nullo legi-

timo titulo decimas decinet, ut illas possit, ipso loci Episcopo assente, conferre in usum monachorum & servorum Dei: cum enim translatio decimarum alienationem quamdam sapiat rei Ecclesiasticæ ab una Ecclesia in aliam, simplex donatio non sufficit, sed & consensus Episcopi exigitur, jam *dictis* jurib. Unde secus est, ubi decimæ à laico propriæ Ecclesiæ conferuntur, quæ specie nullo assensu Episcopi opus est, cum hoc casu nulla alienatio sit, sed potius restitutio decimarum Ananias in *cap. Prohibemus* 10, in fine h. t.

Quoad compromissum, cum jure permillum sit, de causa decimali compromitti posse in arbitros, d. c. *Cum Apostolica* & ibi notant. Butr. Ananias, Imola & Panorm. rectè sequitur & ex sententia arbitratorum decimas uni litigantium adjudicari, & alteri adimi posse, sive totas sive pro parte: alioquin frustra de decimis compromitteretur. Et quamvis d. c. *Cum Apostolica* meminerit duorum arbitratorum, nihilominus & à jure admissum est, ut etiam plures vel unus tantum arbiter in causa decimarum assumi possit, c. 1, *De arbit.* dummodò arbitri Clerici sint, non laici. Ut enim laicus in causa spiritali prohibetur esse judex, c. 2, *De judic.* ita & arbiter, c. *Contingit* 8, eod. tit. nisi fortè laicus simul cum Clerico assumeretur ex auctoritate judicis Ecclesiastici, cap. *Per tuas* 9, d. 1. *De arbitris.*

In quo tamen illud quæ situm fuit, An in compromisso decimarum, sive alterius rei Ecclesiasticæ, quæ in alienando certas solemnitates juris requirit (*de quibus in summa causa* XII. qu. 2, & apud Nayar. in *Comment. De alienat. rerum Ecclesiast.* & in

Et in Summa mea juris Can lib 2, t 31.) eadem quoque solemnitates in hoc compromisso necessariæ sicut? Et magis est quod sic, ex sententia Panorm. in c. Dilecti 4. Et in repet. d. c. Per tuas num. 41, De arbitrio. Siquidem, prohibita alienatione, censetur omnis actus prohibitus, per quem devenitur ad alienationem, c. Cum quid unâ viâ De R. I. in 6, argum. l. Oratio 6, D. De sponsalib. Et c. Nulli 5, De reb. Eccles. alien. At verò in compromisso decimarum alienationis vertitur periculum.

Jam de transactione, quod & per eam jus decimandi acquiritur, constat satis ex textu in c. 1. Et c. Veniens 8, De transact. in c. Ex multiplici 3, Et in c. Suggestum 9, h. t. Quæ transactio hac ratione fit, ut, si multorum prædiorum decimæ fiat, de quibus contenditur, certâ prædia utrimque ex consensu mutuo assignentur, vel si unum prædium fit, fiat pro parte prædii sive pro numero manipulorum, vel alia formâ simili, prout inter partes convenerit. Ut autem hæc transactio perpetua fit, necesse est, Episcopi vel Pontificis auctoritas interveniat, alioquin Clerici transigentis

personam non egreditur, d. c. Veniens Et d. c. 2. Nec huic refragatur, quod transactio interdicitur sit de re spirituali, c. Consiuetus, 4, c. Super eo 6, Et c. Præterea. 10, De transact. quia id verum est, ubi causâ transactionis iuncta res temporalis intervenit; siquidem spiritualia non recipiunt æstimationem, c. fin. De rer. permut. At nihil impedit, decimas distribui inter litigantes ex mutuo consensu, ut antè dictum est; dummodò nulla temporalis res extrinsecus accedat: nam & hoc genus transactionis est, l. Transactio 3, in V. vel retento C. De transact.

Postremò, quoad permutationem, decimæ tunc Ecclesiæ cum decimis alterius Ecclesiæ commutari posse, probat textus in d. c. fin. De rerum permutat. arg. ducto à contrario sensu, Et ibi Henr. Boich. Idem fit & in beneficiis Ecclesiasticis, quæ similiter cum spiritualia sicut, c. Super De transact. permutationem mutuum admittunt, c. Ad quasiones d. t. De rer. permut. Et c. un. eod. in 6, Ut tamen in permutatione decimarum etiam auctoritas Episcopi interveniat, propter alienationem.

CAPUT XI.

De decimis Novalium.

SUMMARI A.

1. Novale quid.
2. Decima novalium cui debeantur.
3. Item molendinorum recens extructorum.
4. Quid de novalibus incerta parochia?
5. Iure decimandi in feudum dato non continentur novalia.
6. Privilegium de non solvendis decimis an comprehendat novalia?
7. Et 8. Cap. ex parte 27. h. r. examinatur.
9. Sententia Auctoritatis.
10. Intellectus c. 2, eed. tit. in 6.
11. Novalium decima ab alio possessore privilegio non continentur.
12. Novalium decima nullius parochia cui debeantur.

Novale, hoc jure Canonico, est ager nunc primum præcisus, cap. 1, De verb. signif. De jure civili est terra præcisa, quæ anno cessavit, l. Silva 30, §. novalis D. eod. tit. vel quæ excisa silvâ in formam agræ ducta est, l. 3, in fine D. De terram. moti. Sed jure Canonici magis propria est

significatio, ubi de decimis agitur: cui convenit & textus in c. Quia per novale 21, d. t. De verb. signif. Quod sit ager de novo ad culturam redactus, cujus non extat memoria, quod aliquand. cultus fuerit.

In privilegio tamen de non solvendis decimis novalium concessis piis locis, contra aliud nomen novale accipitur; ut nos aliter novalia intelligantur, quam de his, quæ nullum aut leve præjudicium adferunt Ecclesiæ parochiali, d. c. Quid per novale: eo quod privilegia ita exaudicanda sint, ut quàm minimùm noceant alterius juri, l. 1, §. merito, Et §. si quis à Principe D. Ne quid in loco publ. Sed propius ad rem.

Novalium decimæ, cum & prædiales sint, consequens est, eas, instar aliarum prædialium, competere Parocho loci, c. Quoniam 13, Et c. Cum contingat 29, hoc tit. usque adeò licet aliæ decimæ ejusdem parochiæ ab alia Ecclesia præscriptæ sint, nihilo enim minus Parocho loci decimæ novalium debentur, d. c. Cum contingat. Et hujus rei ratio est, quod præscriptio sine possessione, vel quasi, non procedat, c. 3, inf. De R. I. Et l. Sine possessione 15, D. De usucap. & tantum quis præscribit, quantum

quantum possidet, l. Qui fundum 7, §. 1, D. Pro emptore & l. 1, §. Iulianus D. De itin. actuque priv.

3 At verò novalis ager, quoad jus decimandi, numquam antè possessus fuit. Igitur nulla in eum canit præscriptio: Parocho itaque loci novalium decimæ remanent ex dispositione juris communis. Quod rectè quoque transfertur ad molendina, quæ quotidie in terra vel in aqua extruuntur, ut ad similitudinem novalium cogantur ad præstationem decimarum suorum provenientium, c. Pervenit 5, cap. Extransmissa 23, & cap. Pastoralis 28, h. tit. De decimis.

4 Sed quaestio est, si novalis ager non unius parochiæ sit, sed inter duas parochias situs, utri earum decimæ novalium debeantur? Et rectè respondet Rebuff. in tractatu de Decimis, q. 14, num. 4, quod utrique parochiæ pro ratione limitum: ut si, verbi gratiâ, limites unius parochiæ protendant se ad tres partes novalis, huic tres partes decimarum cedant, reliqua verò pars quarta alteri parochiæ, argumento §. insula 22, Instituit. De rerum divisione.

5 Adde & jure decimandi in feudum concessio laico (ut infra cap. 11, tractabitur) non venire decimas novalium, c. Tua 2, §. fin. h. tit. De decimis. Siquidem hæc concessio, cum odiosa sit præjudicans ecclesiasticis juribus, restringi potius quam dilatarî debet, dicto §. finali, cap. No. aliqui De privil. in 6, juncto cap. Odia De R. T. eed. lib.

6 Unde idem retinendum est in laico, cui à Summo Pontifice jus decimandi concessum est, ut, scilicet, idem beneficium ad decimas novalium non porrigatur, ob eandem rationem, & probat d. §. fin.

7 Cui tamen adversari videtur textus in cap. Ex parte tua 27, h. tit. De decim. quo loco privilegium concessum de non solvendis decimis comprehendit etiam novalia. Quia, ut inquit ibi text. ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur. At novalium decimæ minores appellantur in d. cap. Ex parte tua. Sed respondent Dd. distinctum jus esse in privilegio concessio ecclesiasticis, de quo loquitur d. c. Ex parte tua, ab eo, quod datum est laicis, d. c. Tua §. fin. & ideo, cum illud favorabilius sit in favorem ecclesiasticorum, uberiores interpretationem recipit, non item in laicis, Gl. in d. c. Ex parte & in d. c. Cum contingat, ubi & Panorm. hanc Glossam communi calculo receptam attestatur.

Cæterum Covarr. Var. resol. lib. 1, cap. 17, num. 13, ab hac sententia discedit, juri magis consonum existimans, ut privilegium etiam concessum ec-

clesiasticis non producat ad decimas novalium, per textum in cap. 2, §. 1, De decimis lib. 6, quo loco privilegium de percipiendis decimis novalium, non extenditur ultra dimidiam partem novalium, non extenditur ultra dimidiam partem novalium, propter grave præjudicium parochialis Ecclesiæ, cui alioquin jure communi debentur decimæ novalium. Unde si hoc receptum est in decimis novalium, expressè concessis, multo magis obtinebit, ubi nulla facta est novalium mentio in privilegio. Siquidem Principis privilegium, licet alias in dubio plenissimam interpretationem recipiat, l. 3, D. De constitut. Prine. & c. Cum dilectus 6, in fine De donat. non tamen ubi alteri nocet privilegium, c. Quamvis 8, De rescript. in 6, & d. l. 2, §. si quis à Principe D. Ne quid in loco publ.

Neque huic sententiæ Covarr. ut ipse existimat, refragatur textus in d. c. Ex parte tua: nam ibi diversa ratio subest, quòd scilicet privilegium illi concessum fuerit, cui alias jure communi decimæ competebant; sed fortè ex præscriptione, si ve alio jure speciali, exciderat ab earum perceptione. Atque idcirco, cum illud privilegium favorabilem causam contineat, eo quòd res ad pristinam naturam suam redeat, nempe ad parochialem Ecclesiam sive Monasterium, cujus erant parochiales Ecclesiæ, l. Si unus 27, §. patris vers. quod si non D. De patris, ideo largior interpretatio in hoc privilegio adhibetur, ut etiam & novalium decimas comprehendat. Citat quidem Covarr. hujus sententiæ suæ auctorem Fortun. Garf. in l. Galus, §. & si quid si tantum D. De liber. & postb. cum reverà sit Petri antiqui Interpretis, cujus meminit Panorm. in d. cap. Ex parte. quam ibid. improbat Panorm. ideo quòd textus in d. cap. Ex parte non se fundet in jure communi, sed in eo, quòd ubi magis conceditur, minus concessum esse videatur. Unde ipse Panorm. putat eundem textum exaudiendum esse indistinctè, ut scilicet privilegium concessum ecclesiasticis, de non solvendis decimis, contineat etiam novalium decimas. Verùm utraque sententia tam Covarr. quam Panorm. mihi non probatur. Quia tamen Covarr. veram esse admittamus, tamen non nisi merâ conjecturâ dicitur, cum in d. cap. Ex parte nulla fiat mentio præscriptionis, aut alterius juris singularis, quo antè ad alium decimæ pervenerunt. Panormitani verò ideo displicet quòd text. in eod. cap. Ex parte non loquatur de non solvendis decimis, sed de exigendis. Verba textus ad Abbatem sanctæ Columbæ hæc sunt: Cum tibi quod majus est. fin.

est, sit concessum, ut videlicet decimas de laboribus terra parochiarum tuarum cum integritate percipias, de novaliibus eas exigere satis potes: quia ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur.

9 Quare magis putarem textum in d. c. Ex parte accipiendum esse de iis parochiis, in quibus Abbas S. Columbae habebat jus patronatus, ex sententia Innoc. & Hostiensis *ibid.* Neque enim de propriis parochiis ipsius Abbatis sive Monasterii intelligendus est, cum hoc casu nullum beneficiū esset; utpote decimis novalium ipso jure spectantibus ad parochiales Ecclesias: cum id precipuis frustra impetretur, quod à jure aliàs concessum est, *l. unica C. De thesaur. lib. 10.*

10 Nec è contrà movet d. c. 2, § 1, h. t. in 6, nam ibi privilegium de percipiendis novalium decimis idcirco restringitur ad mediam partem, quòd veteres decimæ plenè & integrè expressæ non essent, verisimiliter summus Pont. non concessisset privilegium novalium decimarum in dispendium grave parochialium Ecclesiarum. Ita fit, quòd summus Pont. interpretetur hoc privilegium, ex mente concedentis, ut neque parochiales Eccle-

siaè magnum detrimentum sentiant, & alter non omninò careat commodo privilegii sui.

Præterea animadvertendum est, in privilegio, quo quis eximitur à solutione decimarum novalium, non comprehendi novalia, quæ tempore dati privilegii erant ab alio possessa, *c. Dudum 3. De privileg.* idque ne alteri præjudicetur; nisi fortè & eorum mentio in privilegio facta esset, *d. c. Dudum*; quod potest S. Pont. propter summam ejus potestatem in Ecclesiasticis juribus, *c. 2, De præben. in 6, cum similib.*

Postremò & hinc meminisse oportet, si talia novalia exurgant, quæ omninò extra fines parochiæ sunt, horum decimas ad Episcopum loci spectare, *c. Quoniam 13, h. t.* ita quòd liberum ipsi Episcopo sit, eas decimas vel alteri Ecclesiæ assignare, vel in Ecclesiæ suæ opus convertete. Atque hoc idcirco, quòd & Episcopus totius dioceseos suæ parochus dicatur, *c. penult. circa pr. De donationib.* ut meritò has decimas, quæ nullius parochiæ inferioris sunt, sibi adscribat, vel alteri Ecclesiæ applicet. Quod latius persequitur Panorm. *in d. c. Quoniam num. 2.*

CAPUT XII.

De quarta decimali quæ Episcopo competit.

SUMMARI A.

1. Quarta decimarum solvenda Episcopo.
2. Quatuor genera decimarum veteris Testamenti.
3. Et qua ex his hodie retenta.
4. Decima dissuetudine vel prescriptione tolli possunt.

1 **I**ure constitutum est, ut Clerici & Religiosi ex decimis, quas perceperunt, quartam earum partem Episcopo loci inferre cogantur, *c. Congruente 16, De officio jud. ord. c. De quarta 4, De prescriptionib. c. c. Cum olim 19, De censib.* quæ & originem suam traxit ex legibus veteris Testamenti.

2 Etenim apud Hebræos olim quatuor genera decimarum frequentabantur. Unum earum, quæ Leviticæ tribui pendebantur Alterum, quæ sacerdotibus à Levitis ex iisdem decimis à se perceptis Tertium genus erat, quæ ab Hebræis in horreum recondebantur in tempus visitationis templi Hierosolymitani, ut tunc eæ insumerentur. Quartum genus decimarum cedebat in usum

pauperum, ut testis est D. Hieronymus *super Ezech. c. extat in c. 1, h. t.*

Ex his primum genus decimarum hodie à Levitis translatum est in Clericos nostros, auctoritate sacrorum Canonum, *10. tit. De decimis hic c. in 6. diximus sup. cap. 3.* Secundum planè sublatum est, nisi quòd in eorum locum successerit hæc quarta decimalis. Tertium genus similiter abolitum est, licet sint, qui existiment oblationes Ecclesiæ in eorum locum substitutas esse. Sed & quartum genus decimarum antiquatum est, earumque vicem hodie sustinent elemosynæ. Panorm. *in d. c. 1, num. 3.*

Ex his igitur quatuor generibus primum & secundum sola in usum per sacros Canones revocata sunt; ita tamen quòd secundum genus non planè decima pars sit, sed quarta; atque idcirco quarta decimalis dicitur solvenda, scil. Episcopo loci, propter curam, quam ipse sustinet pro tota Diocesi sua.

Ubi tamen observandum est, quòd sicut ipsa decimæ dissuetudine, aut legitima prescriptione tolli

ne tolli possunt, ut *inf. c. 17*, dicitur, ita & hæc quarta decimalis, d. *cap. De quarta*. Servatâ tamen moderatione in præscriptione hujus quartæ, quæ de

titulo æ immemoriali præscriptione eod. *cap. dicitur*, quæ & ad quartam decimalem pertrahitur.

CAPVT XIII.

Laici an juris decimandi capaces sint.

SUMMARI A.

1. Laicos juris decimandi incapaces esse.
2. Nec illud præscribere posse.
3. Nisi illud habeant ex privilegio S. Pont.
4. Laici conversi sunt capaces juris decimandis.
5. Item qui ante concilium Lateranense decimas in feudum receperunt.
6. Con. Lateranense quo tempore celebratum fuerit.
7. 8. Conciliatur & Prohibemus hoc iis. cum c. Cum Apostolica De his quæ sunt à Prælat.
9. Quid juris sit de iis, qui ignorantur possidere decimas in feudum ante Conc. Lateranense.
10. Præjudicium Capella Tolosana
11. Fructus decimarum laicis recte concedi & elocari ad modicum tempus.

L Laicos juris decimandi incapaces esse, probat textus apertus in *cap. Causam 7*, De præscriptionibus. Cujus verba hæc sunt: *Causam qua inter Regem Archid. & nobilem virum G. super decimis vertitur. & inf. Idcoque mandamus, quatenus causam debito fine decidat, non obstante præscriptione temporis, vel concessione ecclesiastica seculari ve persona, si idem G. eam opponere voluerit; quia cum laici decimas detinere non possint, eas nullâ valent præscribere ratione. Quippe hoc jus spirituale est, c. ult. De rerum permut ac proinde ejus possessio in laicum non cadit, argum. *cap. Sacrosancta 51, & cap. Messana 56, sup. De elect. Gloss. in d. cap. Causam, Panorm. & Butrius in c. Quamvis 17, h. t. De decimis*. Nam & hinc jus decimandi Sanctuarium Dei dicitur in *c. Adhac 15, eod.* Quod pertinet gravis illa comminatio Gregorii VII. in Conc. Lateranensi, *Decimas*, inquit, *quas in usum pietatis concessas esse Canonica auctoritas demonstrat, à laicis possideri Apostolica auctoritate prohibemus. Sive enim ab Episcopis vel Regibus vel quibuslibet personis eas acceperint, sciant se sacrilegii crimen committere, & æterna damnationis periculum incurrere.* textus est *can. 1, & v. 9, 7*, ubi & subjecta annotatio nova tradit, hoc Concilium celebratum fuisse Romæ in Laterano anno Domini 1059. Sed & adicit*

hunc Canonem Gregorii VII. repetitum fuisse ab Innocentio II. in Concilio Romæ à se habito. Unde videant laici detentores decimarum, quo in periculo salutis versentur.

Igitur laici sunt incapaces juris decimandi, ita facientibus sacris Canonibus, à quibus hoc jus decimandi institutum est, in exhibitionem Clericorum, non laicorum. Cui quoque consequens est, laicos, si quod obtendunt jus decimandi, nullâ præscriptione etiam immemoriali se curi posse, propter defectum possessionis vel qualis, ut expressè constat ex *d. c. Causam, & ibi Gloss. Innoc. Hostiensis, Imola, Panorm. Bald. & alii*, innixi ratione ejusdem *c. Causam*, quod scilicet decimæ à laicis possideri non possint; ergo neque præscribi, cum necessaria sit possessio, sive quasi, ad inducendam præscriptionem, etiam immemorialem.

Cæterum cum nulla ferè sententia juris ita sit, perpetua, ut non aliquam exceptionem vel plures admittat, *l. Omnis definitio D. De R. t.* ideo dispiciamus, ane hujus quoque rei exceptiones dentur. Tres reperio, quæ huc accersendæ sunt. Prima est in laicis, qui jus decimandi beneficio summi Pontificis consecuti sunt. Nam & hujus rei licet spiritualis S. Pont. laicum capax facere potest, idque docet Panorm. in *d. c. Causam 3*, argumento ducto à jure eligendi Prælatum, quod similiter spirituale est, *d. c. Sacrosancta & d. c. Messana*, & tamen S. Pont. fidei auctoritate rectè communicatur laico, *can. Adrianus, & can. in Synodo dist. 63*. Sed melius quod hoc rejicere in supremam summi Pontificis potestatem, quam habet in omnes Ecclesias, earumque bona, *cap. 2, in princ. De præb. in 6, can. 1, & 2, dist. 22*, Confirmat, quod statim subjiciam de decimis in Feudum concessis ante Conc. Lateranense. Neque res exemplo caret; nam refert Did. Covarr. *Præf. quasi cap. 33, num 2, vers. Tertio quoties*, Reges Hispaniæ Ferdinandum & Elisabetham decimas regni Granatensis à S. Pontifice obtinuisse, sed adjunctâ lege dotandi Ecclesias.

Ut hinc notandum sit, quòd et si privilegium & immemorialis præscriptio pari passu ambulant, hoc est, quòd per privilegium obtineri potest, idem possit & per immemorialem præscriptionem, *c. Super quibusdam § præterea De verb. signif. & l. Hoc jure § ductus D. De aqua quodid. & astrua*, id tamen non obtinere in decimis, aliisque juribus spiritualibus, quæ nullâ præscriptione, licet immemoriali, à laicis acquiri possunt, propter defectum possessionis, *d. e. Causam De præscript. & ibi notant Panorm. num. 3. & Felinus num. 2. quo loco & plures Dd. in eandem sententiam citat.* Diversum est in Clericis, qui cum decimarum aliorumque jurium spiritualium capaces sint, idcirco jus decimandi præscriptione non minus quàm privilegio rectè acquirunt, *c. Ad aures 6. sup. De præscript. & c. 1. eod. tit. in 6.*

4 Secunda exceptio est in laicis conversis, etiam si nullo clericali ordine insigniti sint, quales sunt Equites Melitenses, Hospitalarii & Teutonici ordinis. Nam hi cum propter religionem, quam profitentur, merè laici non sint, sed Monachis quodammodo connumerentur, propter eadem vota substantialia Ordinis sui, idcirco licet quoque in jus decimandi admittuntur, *c. 3. inf. De privileg. & c. Quamvis 17. in verb. laico in saculo remanente. hic De decimis, arg. ducto à contrario sensu, prout notat ibid. Panorm.*

5 Tertia exceptio est in laicis, qui ante Conc. Lateranense decimas in feudum ab Ecclesiis receperunt: has etenim laici ex concessione ejusdem Concilii licet possident, *c. Cum Apostolica 7. De his qua fiunt à Pral. & c. 2. § sanè De decim. lib. 6. Covarr. Var. resol. lib. 1. cap. 17. num. 5. vers. olim sanè.*

6 Sed inter Dd. controversum est, quo tempore fuerit hoc Concilium Lateranense celebratum. Hujus certe investigatio frustranea non est, propter laicos, qui cum nullum in decimis possunt obtinere titulum suæ possessionis, solent ad hoc Concil. Lateranense confugere. Sunt igitur qui variè hujus Concilii tempus subducunt; illud rejicientes vel in annum Domini 1179 vel in annum 1215. vel in 1129 vel in 1160. quos recenset Gilkenius scriptor diligentissimus, *tract. De usus cap. & præscript. p. 3. cap. 8. & num. 19.* Sed horum supputatio facile contemnitur. Verùm Dd. Covarr. *Variar. resol. lib. 1. cap. 17. num. 5. vers. & dubio procul*, ex Historicis, aliisque commemorat hoc Concilium incidisse circa annum Domini millesimum centesimum septuagesimum nonum, &

restatur Guilielmus Tyrius Archiepiscopus *lib. 21. Belli sacri cap. 26.* qui & eidem Concilio interfuit. Fuit autem hoc Concilium generale Latinorum 300. Episcoporum, cum nonnullis Episcopis Orientalibus. Et quamvis ipse Tyrius in specie non meminerit harum decimarum, sicut nec aliorum actorum ejusdem Concilii: tamen necesse est Concilium hoc in id tempus incidisse, utpote sub Alexandro III. coactum, qui eâ ætate vixit. Sed ego postea in acta ejusdem Concilii diligentius inquirens reperi, ea extare in recenti editione Conciliorum tom. 3. parte altera à Severino Bino Clarissimo viro in lucem emissa, ubi & hoc Concil. utpote Universale & Oecumenicum refertur in annum Domini 1180. quod non abhorret à sententia Covarr. & Tytii: nisi quòd inscriptio Concilii certum annum designet, hi verò utantur verbis *ferè aut circiter annum Domini 1179.* Hujus Conc. Canones quàm plurimi extant in Decretalibus Gregorii IX. *ut in cap. 4. De præben. cap. 4. De excessib. Pralator. cap. 2. De privileg. cap. 6. cum seq. De elect. c. 1. De Schismat. cap. 5. De iudic. cap. 2. De usuris, cum similibus.*

7 Sed quòd ad præsens argumentum de decimis attinet, ex eodem quoque Concilio desumpta est Decretalis *in c. Prohibemus 19. h. t. De decimis & in cap. Cum Apostolica circa fin. De his qua fiunt à Pral.* ubi cum textus meminit Concilii Lateranensis, referendum est ad Canonem ejusdem Concilii, qui ita loquitur: *Ecclesias sanè & ascimas de manulicorum sine consensu Episcoporum tam illos quàm quoscumque alios religiosos recipere prohibemus.* Quem Canonem Innoc. III. in *d. cap. Cum Apostolica in fine*, intelligit de laicis, quibus ante hoc Concil. Lateranense decimæ in feudum perpetuò concessæ erant, ut, si eas in aliam Ecclesiam (quàm cui aliàs competebant) præsertim in religiosum locum resignarint, id rectè fecerint cum assensu Episcopi: non autem inviti coguntur eas laici resignare. Verba text. paulò post subiiciam. Et hinc profectum autumo, quòd passim dicitur, laicos decimas, quas jure feudi ante Concil. Lateranense acceperunt, licet possidere, non tam ex permissione expressa ejusdem Concilii (quam nullam video in suis Canonibus) sed ex interpretatione Innoc. III. in *d. Cum Apostolica. Conser. hic & c. 2. § sanè h. tit. in 6.*

8 Quare his non refragatur Decretalis *in d. c. Prohibemus*, quæ, ut dixi, & ex eodem Concilio desumpta est, *cap. 14. in fine*, quo dicitur laici detinere decimas cum animarum suarum periculo.

Verba hęc adscribamus: *Prohibemus, ne laici decimas cum animarum suarum periculo detinentes, in alios laicos possint aliquo modo transferre; si quis verò receperit & Ecclesia non reddiderit, Christiana sepultura privetur.* Quia hic textus, interprete Covarr. d. n. s. exaudiendus est, vel de decimis ante Concilium Lateranense nullo infeudationis titulo à laicis possessis; vel de iis, qui quidem decimas jure feudi obtinent, sed debita obsequia non præstant Ecclesiis, à quibus eas in feudum recognoscunt.

At verò Panorm. in idem c. *Prohibemus*, existimat verba illa, cum animarum suarum periculo, accipi oportere de imminente periculo; quia timendum est, inquit, ne Deus provocetur: utpote cessante Ecclesiæ necessitate, ob quam in feudum laicis concessæ erant, c. *Cum cessante in pr. De appellat.* Et in confirmationem hujus suæ sententiæ adducit d. cap. *Cum Apostolica*, ubi Innoc. III. de laico his verbis censet: *Taliter respondemus, quòd monendus est laicus, qui decimam detinet, ut eam restituat Ecclesiæ, ad quam spectat; qui si foris induci negaverit, & eam diocesani consensu alteri Ecclesiæ assignaverit, præsertim religioso Conventus, constabit ipsa donatio perpetua firmitate subnixâ. Et paucis interjectis: Nam & in Later. Concilio est inhibitorium, ne qualibet religiosa persona Ecclesiis & decimas de manibus laicorum sine consensu Episcoporum recipiat, &c. Hoc autem de illis decimis intelligimus, quæ laicis in feudum perpetuò sunt concessæ.* Ita Innoc. III. qui per Concilium intelligit Lateranense, sub Alexandro III. celebratum, ut paulò antè meminimus.

Quare magis assentiendum puto Panorm. interpretationi; quòd scilicet laici decimas ante Concilium Lateranense in feudum receptas licite quidem possideant, sed non sine periculo animæ, utpote cessante Ecclesiæ necessitate, ob quam eas in feudum acceperunt. Unde & in eodem cap. *Cum Apostolica* monentur, non coguntur laici eas restituere. Monentur, inquam, ad avertendum malum, quod fortè illis intentat Deus, propter retentionem diuturniorem, cum decimæ sint & dicantur sanctuarium Dei, & tributum egentium animarum, cap. *Ad hac* 15, c. *Tua nobis* 26, hoc tit. Itaque hæc monitio majoris cautionis gratià fit.

Unde minimè probabile est, quòd existimat Archidiaconus. in cap. 2, num. 2, h. tit. in 6, cum nonnullis aliis, quos ibidem recitat, decimas illas ante Concilium Later. in feudum datas fuisse tantummodò ad vitam, quibus concessæ erant, non verò ad

hæredes pertinuisse, non obstante verbo *perpetuò*, in d. cap. *Cum Apostolica* c. cap. 2, §. *Sanè in fine* h. tit. in 6, Cum & illud perpetuum dicatur, quòd durat ad vitam alicujus, l. 1, D. *Pro socio*: atque idcirco putat rectè dici in d. c. *Prohibemus*, laicos cum animarum suarum periculo decimas detinentes, &c. non intelligendo primos investitos de decimis, sed hæredes sive successores eorum. Sed hanc interpretationem Joannes And. in d. c. 2, rectè refellit hæc potissimum ratione; quòd ob id immeritò Conc. Lateranense permittit decimarum translationem posse fieri in aliam Ecclesiam, quam in eam, cui aliàs jure feudi, defuncto vasallo, competeant.

Porrò hic quæstio est, Quid de illis decimis sentiendum sit, quas laicus quidem asserit se majoresque suos possedisse, sed ambigitur, an ante Concilium prædictum Lateranense? Sunt qui velint hanc laicum justè eas decimas possidere, dummodò probet possessionem tanti temporis, ut ejus initii memoria non extet. Joan. And. & Ant. de Butrio, & communiter alii, in d. c. *Cum Apostolica*, prout eos citat Alex. de Imola conf. 6, num. 5, lib. 1. Hostiensis contra in d. c. *Cum num. 10*, putat, tempus immemorabile non sufficere, sed necesse esse, ut laicus probet majores suos, à quibus causam habet, decimas jure feudi possedisse ante decretum Urbani II. vel saltem auctoritate summi Pontificis. Respicit Hostiensis ad cap. 1, *Episcopum vel Abbatem* lib. 1, *Feudor.* ubi hoc decretum Urbani recitatur; sed generale est de rebus Ecclesiæ non amplius concedendis in feudum; nihil ibi in specie de decimis: nisi fortè postea nova necessitas Ecclesiæ incidere, ut etiam coacta fuerit Ecclesiæ decimas laicis jure feudi concedere, & ita supervenerit hoc Conc. Lateranense, quòd speciatim à decimis prohibuit, ne & in posterum eæ in feudum darentur, antea verò datas rata haberentur.

Probat verò sententiam suam Hostiensis quinque rationibus: quarum prima est, Quòd Ecclesiæ fundatam habeat intentionem suam de jure communi; ergò obtinere debet, nisi è contrà possessor probet titulum, c. *Si diligenti* 17, *De prescript.* Altera est, Quia hic vertitur periculum animæ, ergò quòd tutius est, sequendum est, argum. c. *Luvemus* *De sponsalib.* c. *Illud* §. *licet inf.* *De clerico excommunicato.* Tertia, Quia talis possessio odiosa est, cum non cadat in laicum regulariter, cap. *Causam qua* *De prescript.* Quat-

Quarta, Quod summa ratio est, quæ pro religio-
ne facit, *l. Sunt persona 43. in fine D. De relig. & sum-*
ptib. funer. Quintam rationem uti infirmam con-
sultò omitto. Unde colligit, in dubio pro Eccle-
sia contra hunc laicum proauctiandum esse. Ego
hac in re solo hoc argumento uti solco, ex doctri-
na Bartoli in *l. 1. C. Srad. verus credit* quæ afferitur,
unumquemque probare oportere, quod est causa
intentionis suæ, sive sit actor sive reus, *per text. l. Si*
minorem 4. C. De in integ. restitut. cui convenit omnino
l. 1. C. De probationib. & l. 1. & l. 2. D. eod. ubi ita Pau-
lus J. C. Et incumbit probatio, qui dicit, non qui
negat. At qui allegat, se majoresque suos decimas
in feudum recepisse ante Concilium Lateranense,
eum sit fundamentum intentionis suæ, tum & fa-
cti quæstio, id probare tenetur. Neque enim ju-
vat immemoralis possessio sive detentio, quæ
nulla dari potest in laico: nisi tribus casibus, quos
ante hoc eod. Cap. recensuimus, quive ante omnia
doceri debent, *c. 2. De restit. spoliat. in 6.* Atque hu-
jus sententiæ quoque sunt, Joan. Monachus &
Archid. teste Panorm. in *d. c. Ciam Apostolicam. 12.*
De his que sunt à Prelat. licet Joan. Andr. existi-
met in hac re sufficere immemoriam possessionem
& famam, quod scilicet decimas ante Con-
cilium Lateranense jure feudi obtinuerit laicus;
cujus opinionem æquam esse censent Panorm. *d.*
num. 12. & Felin. *in d. c. Causam num. 3. De prescript.*
Alias enim, inquit, fieri posset, ut propter diffi-
cultatem probationis laicus privaretur jure
suo.

Hæc igitur opinio Joan. Andr. duo simul exi-
git, & immemoriam præscripti onem & famam:
quamvis ne quidem famam requirere videantur
Butrius & Imola in *d. cap. Cum Apostolica & alii a-*
pu. Dd. Covarr. Variar. resolut. lib. 1. cap. 17. num. 5.
circa fin. existimantes ultra immemoriam tempus
non requiri famam, sed sufficere hoc tempus ad
probationem tituli, quod scilicet laicus decimas
jure feudi ante Concilium Lateranense acquisi-
verit. Quippe ex immemoriam præscriptione ti-
tulus præsumitur, *cap. 1. De prescript. in 6. & l. Hoc*
jure 5. ductus aqua D. De aqua quotid. & assiva. Neque
his repugnare, ajunt, quod laicus præscribere
non possit jus decimandi propter defectum pos-
sessionis; quia hæc species laicus non tam præscri-
ptione nititur, quam præsumptione tituli, quæ
exurgit ex lapsu temporis immemoralis, quod
videlicet ipse laicus majoresve ejus licitè, id est,
ante Concil. Lateranense, decimas feudi titulo
possederint.

Sed & hæc sententia si rectius inspicatur pla-
nè convenit cum opinione Joan. Andr. Nam ad
essentiam immemoralis præscriptionis est quod
& communis fama eam testetur, & de contrario
ulnulla extet memoria, *per text. in l. Si arbitror 28.*
in fine D. De probat. sicut supra Cap. 9. tilius expli-
cavimus. Et sanè hanc opinionem, quæ eadem est
cum priore, non difficile esset defendere propter
immemoriale tempus, quo alias præsumptio ti-
tuli induci censeretur, *d. c. 1. in fine De prescript. in 6.*
nisi expressum jus laico ad veraretur, quo statui-
tur & declaratur, laicum incapacem esse posses-
sionis juris decimandi: quod initio hujus Capituli
demonstravimus. Unde necessariò consequens
est, elidi hanc præsumptionem contra expressum
jus introductam, quo sicut possessio negatur in
laico, ita & præsumptio tituli, quæ ex hac imme-
moriali possessione oritur.

Extat quidem hæc de re præjudicium Capellæ 10
Tolosanæ inter Episcopum Caturiensem & no-
bilem quemdam; cujus antecessores cum deci-
mas ab immemoriam tempore, jure feudi possed-
issent, idque testaretur publica fama; decidit, ut
hic nobilis in idem feudum confirmaretur: sed
addit, propter scandalum, quod grave imminet,
si feudum ab eo ablatum fuisset, tum & con-
servandæ pacis causa. Igitur sola præsumptio ti-
tuli ex immemoriam tempore non sufficiebat, ni-
si etiam & pacis studium, & scandali evitatio ac-
cessissent. Vide *decij. 439. Capella Tolos. & facit text.*
in can. 1. dist. 51. & quod tradit D. Thom. 2. 2. quest.
87. art. 1. in fine de decimis non petendis per ministros Ec-
clesiæ, ratione scandali.

Non tamen hic omittendum est, quod docet 11
Glos. in *c. Quamvis 17. hoc tit.* fructus decimarum
concedi posse laico ex causa, ad tempus vitæ suæ;
non autem jus ipsum decimandi, sed ut decimas
nomine & titulo Ecclesiæ percipiat. Quam sen-
tentiam Dd. ibi frequentior calculo admittunt,
teste Covarr. *d. cap. 17. num. 5.* Eandem Glos. *d. c.*
Quamvis vocat Panorm. *ibid. num. 4.* quotidianam
& maximè notabilem, si tamen intervenerit Su-
prioris auctoritas.

Sed & fructus decimarum laicis elocari posse 12
extra controversiam est, *per cap. 2. De locat. & ibi*
tradunt Butr. Imola, Ananias, Panorm. dum modò
hæc locatio in modicum tempus contracta sit,
hoc est, ad decem annos non porrigatur, *cap. 1. De*
rebus Ecclesiæ non alienan. in Clement. & ibi Glos. & Pa-
norm. & Imola in d. cap. 2. Quod autem modicum
tempus ita accipiendum sit, facilè conicitur ex

cap. *Querelam ult. Ne Pralat. vices suas &c.* quo loco valet concessio Ecclesie, id est, obventionum Ecclesie pro annuo censu per septennium. Nisi quod hodie ex constitutione Pauli II. in cap. *unic. De reb. Ecclesie non alien in Extravag. communib. re-*

rum Ecclesiasticarum locatio & conductio contractata sit, ne triennium excedat. Intellige, ubi scilicet hæc constitutio excepta est, de quolâ Covarr. *Variar. resolut. lib. 2. cap. 6. & Navar. in can. Non liceat xii. quest. 2. num. 21.*

CAPUT XIV.

Utrum laicus de decimis jure feudi investitus ante Concil. Lateranense, possit alium laicum subfeudare? Et quid de feudo decimarum ad Ecclesiam reverso.

SUMMARIUM.

1. Feudum uni concessum alteri subfeudari potest.
2. & 4. An idem obtineat in feudo decimarum?
3. Feudum decimarum ad Ecclesiam reversum an rursum in feudum concedi possit?

EA feudi natura ordinaria est, ut uni concessum possit ab eodem subfeudari, id est, rursus in feudum alteri concedi, dummodò æquè idoneo & eadem lege detur, c. *un. §. 1. Qualiter olim poterat feud alienari. c. 1. §. similiter De lege Corradi, & c. Imperialem §. illud quoque De prohib. feudi alienat. per Frider. lib. 2. Feud.*

2. At quæstionis est, An idem sit in feudo decimarum concessio laico ante Concilium Lateranense de quo proximo Capite egimus? Quod putat Bernardus in c. *Prohibemus 19. in Gloss. V. laicos hoc tit.* dum tamen id fiat assentiente Episcopo. Nam videntur decimæ jam naturam feudi induisse. Sed contra rectius dicitur, per text. in cap. *Cum Apostolica 7. De his que sunt à Pralat. & in d. c. Prohibemus.* Utriusque Capituli textum superiore Cap. recitavimus, & ex communi interpretatione Dd tradit Panorm. in d. c. *Prohibemus, per eundem text.* dum is indistinctè prohibet decimas, id est, jus decimandi transferri in laicos. Apertius verò ex d. c. *Cum Apostolica* hæc sententia confirmatur, dum disertè loquitur de feudo decimarum, ut scilicet decimæ semel in feudum concessæ restituatur vel ipsi Ecclesie, ad quam aliàs de jure spectant, vel alteri Ecclesie sive religioso loco applicentur cum assensu Episcopi. Non igitur in feudum

alteri laico dari possunt. † Eiusdem quoque sententiæ, quòd ne quidem Episcopo approbante hujusmodi decimæ laico subfeudari possint, sunt Hostiensis, Joan. Andr. Henricus, Curtius & alii apud Did. Covarr. lib. 1. *Variar. resolut. cap. 17. num. 5. vers. præter hæc & illud.* Qui & idem obtinere videntur in hujusmodi feudo extincto, & ad Ecclesiam reverso; quod ex sententia d. cap. *Cum Apostolica* satis eruitur. De quo vide quæ fusiùs tradunt Imola in c. 2. num. 39. cum seq. *De feudis, & Jason. de feudis, tit. Quis feudum dare possit num. 13.*

Unde factum est, quòd antè diximus, decimas in feudum concessas amisisse jus suum spirituale, & induisse naturam feudi sæcularis, ita quòd sine vitio deinceps in alium laicum transferri possint; ex illa juris regula, quæ res semel legitimè alienata deinceps rectè alienatur, l. *Pater 36. §. quindecim D. De legat. 3.* Nam his repugnant ea, quæ jam dicta sunt; ac proinde prædicta juris regula huc transferri non potest, impediente juris dispositione contrariâ, alleg. locis. Etenim jus illud decimandi, quod ex institutione sua spirituale est, tantummodò competens Clericis ob executionem divini officii, per hujusmodi concessionem feudi Clericis non adimitur, sed solum quoad utilitatem, id est, perceptionem fructuum, remanente proprietate apud Clericos: quod verba textus in d. c. *Cum Apostolica*, videntur satis subindicare, dum inquit, *quod monendus est laicus, qui decimam detinet, ut eam restituat Ecclesie, ad quam spectat.*

CAPUT XV.

De decimis per emptionem aut permutationem aut per similem titulum acquisitis.

SUMMARI A.

1. Laici nullo titulo sibi acquirere possunt jus decimandi.
2. Decimarum jus inasstimabile.
3. Gravissima comminatio in Prælatos & laicos: ratione decimarum.
4. & 5. Vindicta in Carolum Martellum & alios.
5. Rustici cujusdam factum improbat.

VT hinc constitutissimi juris sit, laicum nullo titulo siue emptionis, siue permutationis, siue donationis aut simili, jus decimandi sibi posse acquirere; sed si quod obtendit restituere eum oportere Ecclesiæ, ad quam spectat, sub pœnis à laicis Canonibus præscriptis, in c. Ad hac 15. c. Quamvis 17. & c. Prohibemus 19. hoc tit. & can. 1. xvi. quest. 7. non tantum ideo, quod laicus juris decimandi incapax sit, sicut supra cap. 13 latius docuimus. Sed & si per emptionem vel permutationem, vel similem titulum onerosum, qui æstimationem recipit, sibi acquiserit decimas, id frustra quoque fieri; * cum apud omnes in confesso sit, jus decimandi esse spirituale, ac proinde nullam æstimationem recipere, ut expresse textu cavetur in c. ult. in fine De rerum permut. cujus verba hic adscribam: *Quo circa mandamus quatenus si vobis constiterit de præmissis (cum permutatio de spiritualibus ad temporalia improbetur prædictum arbitrium, & quicquid secutum est ex eo, vel ob id, irritum decernatis. Erat autem in specie d. cap. ult. causa decimarum in arbitros compromissa, qui cum pronuntiassent, ut altera pars, recepta certâ pecuniæ summâ, à decimarum petitione cessaret; consultus ea de re Summus Pontifex improbat arbitratorum sententiam, ex hoc capite, quod jus decimandi utpotè spirituale, cum pecuniâ contulerint & æstimaverint. Unde rectissime dicitur, ut nec jus decimandi emi vel vendi possit; sicut & fatentur ibi Glos. & Hostiens. Quæ ratio cum ex natura ipsius rei desumpta sit, valet & inter Clericos & monachos, ut nec hi jus decimandi titulo æstimabili possint*

acquirere vel transferre. Sicut accidit in d. cap. ult. Unde mirandum est, hoc tempore laicos nullâ hujus religionis tangi, dum impune decimas comparant & detinent, contra sacros Canones, adeoque sacrilegii crimine se obstringunt, & decreto Gregorii VII. in Concilio Lateranen. cujus verba sup. Cap. 13 recitavimus. Quibus accedat gravissima comminatio Alexandri III. in Prælatos Ecclesiarum & laicos ab illis decimas recipientes in c. Quamvis 17. & cap. Ad hac 15. hoc tit. Prioris verba sunt hæc: *Quamvis grave nimis, & divini dignum animadversione iudicii habeatur, quod laici quidam, quod sacerdotum est, in Ecclesiasticis rebus usurpant; maiorem tamen incurrunt formidinem, quod formem sui erroris dicuntur in ipso Clero aliquoties invenire, dum quidam Prælatorum Ecclesia decimas & Ecclesias disponere eis indulgent, & eos in deviam mortis impellunt, qui prædicatione eorum ad vitam vitam fuerant revocandi, & in Statutum, ut si quis alicui laico in saculo remanenti Ecclesiam, decimam, oblationemque concesserit, à statu suo, sicut arbor, qua inultiter terram occupat, succidatur, & donec emendet, dolore sua jaceat ruina prostratus. Posterioris cap. text. hic est. Ad hæc donationem decima, quam Abbas sancti S. de Monstrali cuidam laico concessit, per successionem tenendam; (quoniam Sanctuarium Dei jure hereditario possideri non debet) viribus cavere decernas, & laicum (nisi decimam ipsi Ecclesie liberè resignaverit) vinculo excommunicationis adstringas. Quare nequidem laici ex concessione Prælatorum Ecclesiasticorum decimas licitè decipient; multò minùs ex concessione Principis aut alterius laici.*

Hinc & canon Calixti Papæ seu potius Paschalis II. *Si quis Principum vel aliorum laicorum dispositionem vel dominationem (aliàs donationem) rerum siue possessionum Ecclesiasticarum sibi vindicaverit, ut sacrilegus iudicetur textus est in can. Si quis xvi. quest. 7. & ibi annotatio recens. Et in specie de decimis est cap. Dudum 31. §. ceterum hoc tit.*

Refert Gregorius Tholosanus ex Gaguino *Synag. lib. 2. cap. 25. num. 7. Carolum Martellum post devictos & expulsos Agarenos, decimas ex consensu Episcoporum inter quosdam nobiles*

les distribuiffe, eisdemque brevi & plura alia Ecclesiis restitutum pollicitum fuisse, sed morte præventum minimè id perfecisse; atque idcirco eius animam à dæmonibus in infernum fuisse delatam. Quod in ultionem tantæ usurpationis (aut idem Tholosanus) videtur accidisse, ob sacrilegium Ecclesiæ illatum; cum nullus Princeps, Rex vel Imperator, has decimas usurpare, minusque aliis laicis concedere possit. Quem videlatus ibid.

Ex quibus factum cuiusdam rustici nullâ ratione defendi potest, qui cum decimas detineret, & earum nomine sibi controversiam futuram

merueret per Parochum aut alium Clericum, cui aliàs legitimè debebantur, cessit eas in feudum cuidam Duci aut Comiti, ut ita agenti potentiorum adversarium obiceret. Nam non tantum hæc cessio nulla est, utpote sacris Canonibus adversa, sed & incidit res in pœnam l. 1. C. Nō liceat potentiorib. & c. Tum etsi licita cessio esset, non tamen idcirco liberaretur rusticus, quin adhuc conveniri posset, *exc. un. De controversia inter vassal & alium, c. un. §. si vassallus de beneficio & ibi Bald. Si de feudo def. consentio sit & c. un. §. rei autem De invest. de re aliena lib. 2. Feud.* Quare rusticus ille perperam hac cautione usus est.

CAPIT. XVI.

Utrum Clericus per Parochum loci spoliatus decimandi jure, antè omnia restituendus sit? Et quid de laico eodem jure spoliato?

SUMMARIUM.

1. Spoliatus ante omnia restituendus.
2. Neque spoliatus à spoliatore referenda est questio domini.
3. Spoliatus jure decimandi quando restituendus.
4. Ratio diversæ juris.
5. Et ex hac regula generalis.
6. Laicus frustra possessionem decimarum repetit.
7. Glossæ opinio reprobata.
8. Remotio objectionis ex cap. Eum qui De præben. in 6. & l. Si quis in tantam C. Unde vi.
9. Spoliatus jure decimandi, pendente lite, an restituendus.

EX facto quæsitum memini: Erat quidam Clericus, qui in aliena parochia decimas possidebat, sed Parochus loci intervertens ei possessionem, eas in horreum suum congescit: quæ situm fuit, an iure id fecerit Parochus?

Et videtur non iure fecisse, quod propriâ auctoritate hac in re usus fuerit, contra l. Non est singularis D. De reg. iuris, & l. unic. C. Ne quis in causa sua. Ideoque consequens est, Clericum statim contra Parochum restituendum esse, iuxta iuris utriusque regulam, quâ spoliatus ante omnia restitui iubetur, etiam si is prædo sit, cap. In literis §. De restit. spoliat. can. Omnes II. quæst. 2. l. 1. §. qui à me D. De vi & vi arm. & §. recuperanda Insticut. De interdicitis.

Spoliatum eum dicimus, qui possessione suâ, vel quasi, deictus sive privatus est, iudicii ordine omisso. Possessionem intellige rerum corporalium; quasi possessionem rerum incorporalium, ut est & ius decimandi, ut aliàs supra meminimus. Neque spoliato referri potest à spoliatore quæstio domini aut quod potius ius in re habeat quàm spoliatus: hoc enim ad petitorium iudicium pertinet, cuius diversa ratio est à possessione, l. Naturaliter 12. §. Nihil commune D. De acquir. vel amit. possess. ac proinde videtur Clericum iniquè spoliatus & subsequenter ante omnia restituendus, iam dictis iuribus.

Verum aliter sacris Canonibus visum est, Clericum hunc non aliter restituendum esse, quàm docuerit se iusto titulo decimas possedisse, sicut probat elegans textus in c. 2. De restit. spoliat. in 6. cuius verba singularia hic subiiciam: Ad decimas, quas Canonici S. Nicolai se afferunt infra parochiam Ecclesiæ B. Clerici possedisse aliquamdiu, & eis per eundem Clericum spoliatos fuisse, nequaquam debent restitui, nisi evidenter docuerint, quod earum possessionem legitimè affecti fuissent. Quia eas occupasse iniuste verisimiliter præsumuntur, cum proveniant ex prædis infra alienam parochiam constitutis, sitque manifestum (nisi aliud ostendatur) eas de iure communi ad eandem Ecclesiam pertinere. Hic igitur casus singularis est, quod spoliati non antè restituantur, quàm iustam causam possessionis suæ comprobaverint; videlicet, quod vel ex privilegio Summi Pontificis, vel ex consuetudine, vel præscriptione, vel ex compro-

missio, vel ex transactione legitime facta, jus decimandi sibi acquisierint, sicut supra c. 9. s. f. s. tra- didimus.

4 Sed cur diversum in hac specie statuitur? Rationem hanc reddidit ibidem c. 2. De restit. spoliis in 6, quod Canonici S. Nicolai, quorum hic fit mentio, verisimiliter presumauntur iniuste decimas possedisse, eo quod ex juris prescripto jus decimandi pertineat ad parochialem Ecclesiam ejus loci, ubi fructus prediorum colliguntur. Duo igitur hic restitutionem spoliatorum dis- suadent, unum, quod presumpcio juris commu- nis contra dictos Canonicos militaret, & contra verò faveret parochiali Ecclesie jus commune, quod ad Ecclesiam parochialem spectat decimæ; quæ simul conjuncta in d. cap. 2. impediunt resti- tutionem possessionis decimarum. * Unde ge- neralis juris regula, quæ jubet spoliatus ante omnia restitui ex d. c. 2. restringenda est, ut sci- licet ea non obtineat, ubi jus commune facit con- tra spoliatum, & diverso verò faveret spoliatori. ex d. c. 2. & tradunt ibi Joan. Andr. & Philip. Francus, item Covarr. Variar. resol. lib. 1. c. 17. num. 6. & Na- var. in c. Accepta 5. num. 21. De restit. spoliat. Secus, si alterum ex his desit, hoc est, si vel juris presump- cio non facit contra spoliatum, vel licet faciat, non tamen facit pro spoliatore. Quo casu neces- sario non est, quod spoliatus prober causam pos- sessionis suæ, sed statim restitui debet, juxta tex- tum in d. cap. In literis De restit. spoliat. & facit textus elegans in l. fin. Cod. De rei vindicat. cum aliis ante citatis, item in c. Licet 28. De preben. in 6, ubi prohibetur auferri possessio absque causæ cog- nitione ei, qui duplex beneficium curatum possi- det, licet prius ipso jure per posterius vacaverit, juncto cap. De multa 28. sup. De preben.

6 Atque hæc multo magis obtinent in laico, qui possessione, sive potius detentione juris decimandi à Parocho loci spoliatus est, qui ideo minus restituitur, quod non solum militet con- tra eum jus commune, & Parocho faveat, sed & quod is juris decimandi incapax sit, cap. Cum cau- sam 7. De prescriptionib. Unde frustra laicus petit sibi restitui possessionem, quam numquam ha- buit, aut habere potuit, d. cap. Cum causam, aut si fortè justè habuit ante Concilium Lateranense, vel ex privilegio S. Pontificis, de quibus fuse egimus supra c. 13. non tamen ideo laicus spolia- tus ante restituitur, quam titulum suæ posses- sionis comprobaverit, ex ratione d. c. 2. De restit. spoliat. in 6. Tameñ contra existimet Glossa ju-

ris Canonici in Summa xiv. qu. 1. in V. possideri, dum laicum spoliatum possessione decimandi ideo restituendum censet, quod etiam latro res- tituatur, d. c. In literis de restit. spoliat. Quam Glossæ sententiam etiam in praxi receptam esse in Curia Gratianopolitana testatur Guido Papa quæst. 288. Sed meritò refellitur à Covarr. d. n. 6, & ex iis, quæ jam à me dicta sunt.

Quæ sanè diligenter noranda sunt pro Para- chis, quod hi decimas fructuum parochiæ suæ li- cite occupent, & in horreum suum sive Ecclesiæ inferant, donec alter Clericus vel laicus deci- mandi jus obtendens, justum possessionis suæ ti- tulum docuerit.

Neque his obstat c. Eum qui 18. De preben. lib. 6, quo laicus, qui beneficium Ecclesiasticum aucto- ritate propria occupat, privatur jure suo, si quod habet in beneficio. Quin & jure civili constitu- tum est, ut, qui violenter invadit possessionem rei suæ a quod alium existentem, amittat ejusdem rei dominium; vel si non est dominus, teneatur, præter restitutionem rei, & estimationem quoque ejus præstare, l. Si quis in tantam 7. C. Unde vi. C. 5. sed ne Inst. de vi bonor. rapt. Idque receptum est, ad compescendam audaciam occupantium.

Sed cur non idem observatur in Parocho pos- sessionem decimandi alteri intervertente, sive auferente? Responderi quidem posset, id non Pa- rochi audaciæ vel temeritate fieri, sed permissu juris, d. cap. 2. De restit. spoliat. in 6. At dolo non facit, qui concessio jure utitur, l. Nullus videtur d. De reg. jur. l. Gracchus C. Ad L. Jul. de adult. Verùm hæc ratio non explicat diversitatem juris. Quare re- citius dicitur ex d. cap. 2. quod pro Parocho loci concurrat jus commune contra spoliatum, pro- ut ante dictum est. At in specie d. cap. Eum qui nul- lum jus est pro spoliatore, imò magis contra eum proceditur, quod antea beneficium cum cura animarum habens, alterum ejusdem generis in- vaserit; & ideo merito puniatur in privatione juris, si quod habet in secundo Textus verò in d. l. Si quis in tantam & in d. §. sed ne, loquitur de invasione sive occupatione rei corporalis, in qua cum majus periculum versetur, ne scilicet partes ad arma decurrant, l. Quoniam 6. C. Ad L. de vi publ. non est ejus pœna temerè transferenda ad quasi possessionem rei incorporalis, ut est jus decimandi, l. Interpretatione d. De pœnis, C. De In pœ- nis R. l. in 6. Sed quia hæc ratio omninò firma non est, eo quod ex multorum sententia remedium d. l. Si quis in tantam, utile saltem competat pro re

M m

incor-

incorporali. Menoch. de recuper. poss. rom. 9, n. 268, Ideoque magis cessare hoc casu pœnam d. l. Si quis in tantam, ob eandem rationem, quam diximus de non restituenda possessione Clerico vel laico, qui per Parochum loci spoliatus est jure decimandi, atque ad eodẽ ejusdem legis pœnam ad præsentem casum trahi non possit, ob præsumptionem apertam, quæ pro Parochæ militat & spoliato adversatur.

Sed quid si Parochus, lite vel appellatione pendente, hanc spoliationem intulerit? Et rectè responder Lapus Abbas in d. cap. 2, spoliarum hoc casu restituendum esse, etiam si prius non docuerit titulum possessionis suæ. Idque ex capite attentatorum. Nam certi juris est, lite penden-

te vel appellatione nihil innovari posse, donec liti finis impositus sit, toto tit. sup. Ut lito pendente nihil innovet l. unic. D. Nihil innovari appell. pend. Et Constituciones 16, D. De appellat. Rationem hanc reddens, quod vis attentati magis sit privilegiata, quam possessorum recuperandæ cum per attentatioacm offendatur jus, pars, judicium & judex. Eiusdem sententiæ suæ Lopus citat Innocentium, Hostiens. & Joan Andr. quam & sequitur Geminianus in d. c. 2, num. 9, Quod in Clerico spoliato verum esse censeo; in laico non item, nisi de privilegio S. Pontificis vel de Concilio Lateran. quo attitur laicus, controversia esset.

CAPUT XVII.

Quibus modis quis eximatur à præstatione decimarum.

SUMMARI A.

1. Quilibet ad præstationem decimarum tenetur, nisi se exemptum probaverit.
2. Exemptio à decimis quibus ex causis competat, videl.
3. 4. Vel beneficio S. Pontificis: in quo tamen duo sunt animadvertenda.
5. 6. Vel ex loci consuetudine, ubi quoque est explicatio cap. In aliquibus §. fin. hoc tit.
7. Refutatio aliorum Interpretum.
8. Covarruvia sententia rejecta.
9. Auctoris sententia de consuetudine.
10. Consuetudo Hispania in solvendis decimis.
11. Item Galliarum.
12. 13. D. Thoma sententia explicata.
14. De præscriptione immunitatis à decimis.
15. Qua quatuor argumentis oppugnatur.
16. E contra confirmatur.
17. Contrariorum solutio.
18. De transactione, quomodo per eam decima tollantur.
19. De remissione decimarum.

Certa juris regula est, quemlibet ex præscripto sacrorum Canonum ad functionem decimarum teneri, & cogi posse, sicut supra c. 4, latè comprobavi: nisi is contra, se exemptum docere possit, c. A nobis 24, h. tit. De decimis. Ubi his verbis Innocentius III. Cum igitur quilibet decimas solvere teneatur, nisi à præstatione ipsarum specialiter sit exemptus, &c. Quibus posteriori-

bus verbis aperte innuitur, decimarum præstationem non ita præcisè omnibus & singulis incumberet, quin ab eadem interdum liberentur vel subleventur.

Idque quique ex causis contingere potest, vel privilegio summi Pontificis, vel consuetudine loci, vel præscriptione, vel transactione, vel remissione ejus, cui decimæ debentur. Singulas has species perlustremus.

De summo Poat. adæbitari non convenit, propter supremam ejus potestatem in Ecclesias & Ecclesiastica jura, c. 1, in pr. De præbend. lib 6, Exempla extant in c. 9, c. 10. pen. b. 1. Idque obtinet tam in laicis, quam in Clericis donatariis, ob eandem rationem.

In quo tamen animadvertendum est, ne privilegium illud nimis damnosum sit Ecclesiæ, cui aliàs debentur decimæ. Nam hoc casu privilegium sub vel obreptionis argui & refelli possit, c. Quid per novale 21, De verb. significat. juncta l. 2, C. De precib. Imp. offer. Idem iuris est, si ex post facto causa privilegii cessaverit, cap. Suggestum 6, h. tit. cum sublatâ causâ tollatur quoque eius effectus, c. Cum cessante 60, sup. De appellationib.

De consuetudine est textus in c. In aliquibus 32, §. fin. b. 1. Ubi his verbis Innocentius III. in Concilio generali Lateranensi: Illa quippe decima necessario solvenda sunt, qua debentur ex lege divina vel loci consuetudine approbata. Scio hunc textum variè à Dd. accipi. Nam Bernardus & Innoc. ibid. exaudiunt eum de consuetudine loci in præ-

præstandis decimis huic vel alteri Ecclesiæ, juxta *Cum sint* 13, *Eccl. Cum Apostolica* 20, *b. t.* non verò intelligi volunt de quota decimarum, quam notant consuetudine loci posse tolli vel diminui, per textum in *can. Quicumque* xv. q. 7, *Eccl. Cum homines* 7, *b. t. De decimis*. Quæ certè interpretatio non convenit verbis ejusdem textus: nam is dissentit de ipsis decimis loquitur, non de Ecclesiis, quibus decimæ præstantur. Quare alii hanc consuetudinem de quota decimarum intelligunt, sed quæ à S. Pontifice approbata sit. Verùm hæc sententia merà conjecturâ nititur, & apertè eidem textui repugnat in verbis, *vel loci consuetudine approbata* Pontificis autem nulla mentio sit. Terriò verò consuetudinem hanc transferunt ad mōres Theutonicorum, quos ajunt loco decimarum annuatim præstare solitos certas mensuras, sive fructus colligantur sive non; id ideo posse fieri existimantes propter incertum fructuum eventum; quæ interpretatio planè aliena est. Hostiensis verò verba *d. s. fin. ex lege divina*, intelligit de prædialibus decimis, & subsequenter, *vel loci consuetudine*, de personalibus. Sed & hæc interpretatio solâ conjecturâ ducitur. Ultimò, Joan. Andreæ ejus sententiæ est, quòd putet consuetudine loci non posse diminui præstationem decimarum, sed è contrâ rectè posse augeri; ut sensus sit, quòd decimæ prædiales & personales, non solum necessariò præstandæ sint, sed & quòd ultra decimam ex consuetudine loci deberet, at est nona, octava, sexta pars. Sed & hæc interpretatio sola conjectura est. Quas omnes interpretationes simul congessit Panorm. *in d. s. fin.* quarum ultimam ipse magis pròbat.

7 Cæterùm Dd. ad comminiscendum has varias interpretationes, nulla alia ratio impulit, quàm quòd putent decimarum præstationem esse divino jure introductam, atque idcirco contrariâ consuetudine eam abrogari vel minui non posse, *e. fin. sup. De consuetud.* Ne igitur offendant jus divinum, variè detorquent sententiam *d. s. fin.* Sed falluntur, sicut suprà *cap. 3.* demonstravimus, quò loco hanc distinctionem adhibuimus; quòd decimæ, quatenus subserviunt exhibitioni Clericorum, consuetudine aboleri, vel derogari eis non possit; utpote cum hac specie iuris naturalis sint, adeoque divini: quatenus verò extra causam exhibitionis Clericorum sunt, iuris esse Ecclesiastici, non divini vel naturalis; & consequenter iis locum esse consuetudini, *d. s. fin. De con-*

superior.

Unde alius sensus est *d. s. fin.* quòd scilicet illæ decimæ necessariò solvendæ sint, quæ debentur vel iuxta quantitatem lege divinâ constitutam, quam Ecclesia ex veteri Testamento desumptam novâ sanctione reduxit & innovavit; ut accidit, ubi solvuntur integræ decimæ: vel iuxta quantitatem consuetudine loci receptam, uti sit, ubi solvitur minor quàm decima pars; & tamen hæc quantitas etsi minor, vulgari more loquendi adhuc vocatur decima. Bellarminus *controverfia* 5, *lib. 1, cap. 25, De decimis dubio 1.*

Cui certè consequens est, si quota decimarum (quæ est decima pars) consuetudine loci diminui possit, ut non decima, sed duodecima, vel vigesima vel alia minor pars solvatur, posse & integras decimas eadem ratione consuetudine tolli, dummodò Clericis, quibus aliàs debentur decimæ, aliunde ex proventibus Ecclesiasticis prospectum sit, *argum. eorum qua pascò post de præscriptione decimarum dicam.*

In quo tamen dissentit Did. Covarr. *Variat. resolut. lib. 1, c. 17, numm 8, in fine*, dum apertè improbat consuetudinem, uti irrationabilem & omninò iniquam, quæ laicos omninò ab omnium personalium & prædialium solutione & obligatione eximit in aliqua regione vel Provincia, etiam si ibidem Sacerdotes spiritualia ministrantes aliunde quàm ex decimis congruè possint alimenta percipere. Nimia etenim (addit) hæc est exemptio: siquidem ex ea tollitur recognitio, quam iustissimum & æquisimum est, Sacerdotibus ministrantibus spiritualia exhiberi, aliquo præstito stipendio. Unde ab Episcopis hæc irrationabilis consuetudo admittenda non est, imò penitus rescindenda. Ita Covarr. *citato loco*. Ubi similiter *n. 9.* tractat, an privilegio Romani Pontificis possit laicis competere immunitas à solutione decimarum. Sed hoc antè discussimus.

Cæterùm video eundem Covarr. vel sibi non constare, vel obscurius loqui, quàm intelligi possit. Siquidem *d. n. 8, vers. Henricus tandem cum versas certò certius*, putat decimas ex eo capite, quo naturalis & divini iuris sunt, nempe ut significant & præmonstrant (ut ipse loquitur) ministrantium spiritualia congruam sustentionem, eandemque necessariam, nullâ consuetudine tolli vel diminui posse. Quippe (inquit) ius naturale nec divinum potest consuetudine ullâ tolli nec etiam diminui. Has vero decimas, quæ iure humano tantum introductæ sunt, hoc est, quæ extra alimenta sunt Clericorum, censet

M a s

toll

colliposso consuetudine, quæ rationabilis est, & legitime præscripta, ut & alia, quæ jure Pontificie inducuntur sunt.

Quæ Covarr. sententia posterior apud me exploratissima est, per text. in cap. ult. De consuet. & penult. Insi. De jure naturali, gent. ut & alias comprobavi, sup. cap. 3. Sed quod ad prius attinet, rogo, cur secus sit in consuetudine regionis sive Provincia? Responderet, quia tollitur illa recognitio, quæ iustissimum & æquissimum est Sacerdotibus adhiberi aliquod stipendium. Verum si hæc ratio vera esset, obtineret & in quavis consuetudine loci.

Itaque, ut rem certò concludam, existimo præstationem decimarum, quatenus extra exhibitionem Clericorum sunt, per contrariam consuetudinem abrogari vel ei derogari posse, dum tamen hæc consuetudo rationabilis sit ac legitime præscripta, ut in omni consuetudine contra jus scriptum requiritur, d. cap. fin. De consuet. Nam quæ ratione id privilegio summi Pontificis vel præscriptione fieri potest, eadem ratione & consuetudine fieri poterit. Accedat, quod passim in orbe Christiano consuetudine receptum sit, ut ex certis fructibus nullæ solvantur decimæ, vel saltem aliqua portio: veluti de œno, herbis, oleo, dummodò ex aliis redditibus super sit justa Sacerdotum sustentatio, ut ex Castrensi & aliis refert idem Covarr. d. num. 8, vers. Septimò. Quid ergò impedit, ne & in ceteris rebus eadem consuetudo induci possit?

10 Hinc, ut opinor, factum est, quod Hispaniarum Reges, præsertim Carolus V. publicis edictis veterint in Hispaniis decimas à laicis exigi, quæ ex consuetudine solvi non solent.

11 Idem apud Gallos cautum dicitur Philippi IV. constitutione, idem quæ pluribus præjudiciis Parisiis confirmatum, narrat & ipse Covarr. dicit. num. 8, vers. Nonò.

12 Sed quia permagni interest, hanc rem habere perspectam & probè cognitam, ideo lubet hinc adferre sententiam D. Thomæ.

Hic igitur in 1, 2, quæst. 87, art. 1, cum hoc argumentum objecisset: *Quod sine determinatione temporis debetur, nisi statim solvatur, obligat ad peccatum: si ergò homines tempore gratia obligarentur ex necessitate præcepti ad decimas solvendas in terris, in quibus decima non solvuntur, omnes essent in peccato mortali ac per consequens etiam ministri Ecclesie dissimulando: quod videtur inconveniens: non ergò homines tempore gratia ex necessitate tenentur ad solutionem decimarum.*

Cui argumento his verbis ibidem responderet: *Ad quintum dicendum, quod ministri Ecclesie majorem curam debent habere spiritualium bonorum in populo promovendorum, quam temporalium colligendorum. Et ideo Apostolus noluit uti potestate à Domino sibi tradita, ut scilicet acciperet stipendia victus ab his, quibus Evangelium Christi prædicabat, ne daretur aliquod impedimentum Evangelio Christi. Nec tamen peccabant illi, qui ei non subveniebant; alioquin Apostolus eos corrigere non emisset. Et similiter laudabiliter ministri Ecclesie decimas Ecclesie non requirunt, nisi sine scandalo requiri non possent, propter dissuetudinem, vel propter aliquam aliam causam. Nec tamen sunt in statu damnationis, qui non solvunt in locis illis, in quibus Ecclesie non petunt nisi forte propter obstinationem animi habentes voluntatem non solvendi, etiamsi ab eis peterentur.*

Hæc D. Th. cujus sententia apertissima est, præterquam quod ultima illa verba, nisi forte propter obstinationem, & e scrupulum nobis injiciant. Videatur namque rem clarè, inquit ibidem Cajetanus, sub dubio dicere. Sed quomodo eximit hunc ipse Cajetanus? his verbis: *Ad hoc dicitur quod qui nolentes dare petentibus ministris decimas, possent allegare aut præscriptionem, aut Ecclesie Romanæ tacitam donationem, eo quod tam diuturno tempore servit & toleravit, idcirco auctor sub dubitationis nota hæc dixit. Sed hæc obsecratoria videntur quàm ut capi possint.*

Puto tamen D. Thomam eo casu loqui, quod decimæ stipendii loco peterentur in subsidium vitæ, populus verò obstinato animo eas detrectaret. Nam peccaret contra illud Matth. 10, dignus est operarius mercedem suam. Idque verisimile videtur, propter exemplum Apostoli à se allatum. Vide latius Navarr. in Manuali cap. 21, num. 30, & Greg. de Valencia Commentar. Theolog. tom. 3, disp. 6, quæst. 5, puncto 2.

Jam de præscriptione videamus, an & quatenus immunitas à non præstandis decimis per eam acquiratur? Et quidem Petr. Rebuffus in tract. De decimis, quæst. 13, num. 55, hanc generalem regulam tradit, quod nullus, sive Clericus sive laicus sit, libertatem nullas solvendi decimas præscribere possit, etiamsi viveret per mille annos. Hujus regulæ auctores citat Dominieum in cap. 2, col. ult. De præbend. in 6, & Barbatium cons. 35, Sapienter col. 6, in 2, vol. & consequentes omnes alii, qui decimarum præstationem divini juris esse asserunt, de quibus cap. 3, sup. Quæ regula his argumentis fulciri videtur Primum est, quod Deus sibi reservaverit decimas in signum universalis domi-

ni, cap. *Tua nobis* 26, & cap. *Cum non sit* 33, h. sic. ergo præscriptione tolli non possunt, arg. text. in l. *Compositis* C. De præscript. 30, vel 40, annor. ubi & in specie tradit Salycetus num. 2. Secundum, si tardius, quam convenit, solvere decimas peccatum est, si nihil solvatur. Quippe tanto sunt graviora peccata quanto diutius infelicem animam detinent alligatam, d. cap. *ut. de consues.* Tertium argumentum est, quod decimæ dicantur tributa egentium animarum, d. cap. *decima* & d. cap. *Tua nobis*. Unde consequens videtur, eas præscribi non posse, cum subtrahere alimenta idem sit quod occidere, l. *Necare* D. De liber. agnosc. Quartum est: Is qui est in mala fide præscribere non potest, cap. *fin. De præscript.* & cap. *Possessor* De reg. jur. in 6, At ille, qui immunitatem à præstandis decimis præscribere nititur, in mala fide est, saltem præsumptione juris; cum contra jus agat, cap. *Qui contra eod. tit. de R. l. in l. Quomodo modum* C. De agric. & censit. Quintum: Is qui non possidet aut quasi, non potest præscribere, cum nullâ possessione munitus sit, cap. *Sine possessione* d. tit. De R. l. At laicus jus decimandi non possidet, cap. *Causam* 7, De præscriptionib. ubi hoc argumento utitur summus Pontifex: *Quia cum laici decimas detinere non possunt, eas nullâ valent præscribere ratione.*

At his argumentis non obstantibus, rectius alii existimant, immunitatem sive libertatem à præstandis decimis tempore immemoriali præscribi, etiam per laicum. Si quidem hæc immunitas non consistit in percipiendis decimis ex alienis prædiis, in quo versatur jus decimandi, quod spirituale est, sed ut habeat quis integros fructus absque onere decimarum, quod nec spirituale est, nec quasi spirituale, ac subsequenter nec ejus incapaces sunt laici Covarr. *Variar. resol. lib. 1. c. 17, n. 10*, ubi ita inquit: *Est sciam, laicos incapaces esse quasi possessionis juris percipiendi decimas ex alienis fundis, quæ Ecclesiis debentur: non video alicubi probari eos incapaces esse ad quasi possidendam exemptionem istam à solutione decimarum: cum nec istud jus sit spirituale nec quasi spirituale, non enim est jus percipiendi eas decimas, quæ Sacerdotibus ministrantibus spiritualia debentur; nec easdem decimas verè debitas retinendi; sed jus percipiendi ex agris propriis fructus integros absque detractio- ne decimarum: quod quidem jus esse spirituale vel quasi, ejusque incapaces esse laicos, mihi nondum ex juris Pontificii sanctionibus constat.* Hæc Covarruvias. Ut hinc omnino separandum sit jus decimandi, quod Clericis competit, à jure retinendi fructus

suos integros; quod se habet instar libertatis à servitute, quæ alteri antè debebatur. Nam licet prædium tuo servitutem per prædium meum debeam: libertatem tamen ab ea servitute rectè præscribo per constitutum à jure tempus, l. *pen. Et ult. C. De servit. Et aqua Et l. fin. C. De præscript. longi temp.* Huic sententiæ ad stipulantur. Greg. de Valentia *Comment. Theolog. tomo 3, diss. 6, qu. 3, puncto 2, in fine*, Fernandus Vasquius *Illust. controvers. lib. 2, c. 89, n. 10*, & Navar. *conf. 2, n. 5, De decim.* Cujus verba hic libet adscribere: *Quoniam inquit, quicquid dicant plurimi, qui in hoc possunt allegari, & parum de jure, quo decima debentur, noverunt: veritas est, quod etiam laici possunt usucapere vel præscribere libertatem ab obligatione solvendi decimas, quoad quotam, & ab obligatione solvendi de illo vel illo prædium, à modo Parochus seu Rector habeat ex aliis Ecclesiæ jurebus congruam sustentationem.* Ita Navarrus. Cæterum quod ait, de illo vel illo prædium, idem omnino censendum est, etsi plura sint prædia. Nam cur magis in illo vel illo prædium, quam in aliis sive pluribus, nulla diversitatis ratio subest.

Quibus accedat ratio Rebuffi d. *qu. 13, n. 57*. Nam dum is aperte scribit, quotam decimæ præscribi posse etiam per laicum, ut tantum modò solvat duodecimam, vigesimam vel aliam partem, quia ad hoc, inquit, non est incapax: quis non videt, inde rectè effici, quod & integra immunitas à præstandis decimis præscriptione acquiri possit: cum ejusdem naturæ sit pars cum suo toto, l. *Quæ de rota* D. De revindic. Et tamen semper retento, quod Parochus sive Rector Ecclesiæ habeat aliunde sustentationem, prout dictum est antè.

Quare non obstant argumenta supra in contrarium adducta. Nam quod attinet ad primum, quo diximus, Deum sibi reservasse decimas in signum universalis dominii; Respondetur, Summos Pontifices citatis locis respexisse ad præceptum veteris Testamenti, quo jubebantur decimæ reddi Deo. *Levit. ult. c. in fine*, ubi his verbis: *Omnes decima terra, sive de frugibus sive de pomis arborum, Domini sunt, & illi sanctificantur.* Similia alibi extant, ut videre est supra c. 3. Non quod præceptis veteris Testamenti alligentur Pontifices, sed ut eo magis constitutiones suas de decimis imitatione veteris legis confirmant. Ut enim illæ decimæ prospectu divini cultus pro Levitis introductæ fuerunt: ita non minus decuit, easdem decimas repeti & institui in Ecclesiâ Christiana pro Clericis, ratione divini ministerii. ¶

Secundum argumentum ideo non obstat, quod præsupponat peccatum in tardius solvente decimas. Quare non procedit argumentum eo casu, ubi peccatum non vertitur; ut in iis, qui privilegio summi Pontificis, vel consuetudine, vel aliâ permissione juris à solvendis decimis immunes sunt.

Tertium, Quartum & Quintum, argumenta, supra cap. 9. discussimus, quæ idcirco hic non repetimus.

18 Quod verò transactione tolli vel saltem immi-
nui possit præstatio decimarum, probat textus in
c. 2. Et Veniens 6. De transact. Et in c. Ex multiplici 4.
De decimis Idque non tantum, ubi Clerici inter
se transigunt, sed & si cū laico facta sit transactio,
d. c. 2. Et ibi Bernar. in fine glos. ibid. Et Hostiensis, Et
facit textus in c. 2. De his qua sunt à Pralat. dum mo-
dò auctoritas Episcopi vel summi Pontificis
transactio accesserit; alioqui transactio perpe-
tua non est, sed personalis, hoc est, personam
Clerici transigentis non excedit, dicitur iuris. Nam
cū in alienatione rei ecclesiasticæ, qualis est &
transactio, l. Non solum 4. G. De præditi. Et aliis reb.
requiratur consensus & subscriptio Capituli, si
Ecclesia est Cathedralis, can. Sine exceptione xii. q.
2. si inferior Ecclesia, Episcopi assensus, can. pla-
cuit ead. q. 2. necesse est, & in transactioe perpe-
tua, ejus auctoritas interveniat, d. c. 2. Et d. c. Ve-
niens. Sed in Monasteriis, quæ Conventum ha-

rent, hoc amplius est, ut transactio etiam tem-
poralis de decimis iniuri non possit, nisi & con-
sensus, saltem tacitus, ipsius Conventus accedat,
c. Continebatur 2. De his qua sunt à Pralat. Et c. 2. De
reb. Ecclesia non alienan. in Clement. idem commu-
niter obtinet & in aliis Prælati, ut non minùs
hi in transigendo Capituli sui consentum adhi-
bere teneantur, c. 3. Et ibi Panor. n. 3. eod. tit. De
transact. Licet enim Prælati à jure generalem
administrationem habeat in rebus Ecclesiasticis,
c. 2. De donat. non tamen eâ continetur transactio,
quæ quædam alienatio est, l. Mandato generali D.
De procurat. juncta d. l. Non solum.

Ubi tamen meminisse oportet, quod trans-
actio in decimis ita demum procedat, si in vic-
cem compensationis nulla res temporalis inter-
venit: veluti, si simpliciter agri certi utrimque
adsignentur, d. c. 2. De transact. vel ne decimæ ex
quibusdam agris præstentur, c. 3. h. 2. De decimis.
Nam ut pecunia, aut alia res pretio æstimabi-
lis transactionis nomine decur, jure improbatum
est, c. fin. De rerum permut.

Postremus modus est exemptionis à decimis, si
si remittantur à Clerico, cui debeatur, vel ratio-
ne paupertatis, vel scandali vitandi causâ, exem-
plo divi Pauli Actor. 10. circa finem, Et 2. ad Co-
rinth. 11. ut ante meminimus hoc eod. cap. ex D. The-
ma.

CAPUT XVIII.

De Judicio decimarum.

SUMMARI A.

1. In decimis ab executione proceditur.
2. Cujusque rei iudicium est possessorium ac petitorium.
3. Ut Et decimarum.
4. Possessorium iudicium triplex.
5. Possessorium adipiscende iudicium decimarum, tam in Parocho quam in aliis.
6. 7. De possessorio retinenda Et recuperanda.
8. De petitorio iudicio.
9. Actio de decimis in hoc iudicio.
10. Virisque iudicii accumulatio.
11. Iudicium de decimis summarium.
12. De iudice decimarum quo ad possessorium Et petitori-
um, item Et de aliis rebus firmanlib. Et n. 13.
14. Panor. mitani de iudicio.

15. In decimis privilegio concessis quis iudex.
16. Item quis in locatis decimis iudex.
17. Item quis in venditis decimarum fructibus.

Postremo hoc Cap. tractandum est de iudi-
cio decimarum, quod, quale & coram quo
iudice instituendum sit. Illud initio præ-
mittentes, quod contra debitores decimarum
nullo iudicio opus sit, ubi res in confesso est,
hoc est, debitor decimas se debere non negat, nec
tergiversandi causam habet. Nam contra eos ab
executione, si ve præcepto iudicis Ecclesiastici
proceditur per censuram Ecclesiasticam, ut est
textus in c. Per venit 5. cum cap. seq. Et c. Ex parte 2. 1.
cum cap. h. 1. De decimis. Et cap. 2. De iudicis in Cle-
ment. remota etiam appellatione, cap. 3. Et cap. Tu
nobis

nobis 26, in fine h. 1. eo quod constituti juris regula sit, omnes ad decimarum functionem obligari, sicut supra cap. 4. comprobavimus. Sed quia fortasse è contra reus exceptionem consuetudinis, aut prescriptionis, aut aliam, de quib. sup. proximo cap. dictum est, objicit, atque idcirco necessario ad iudicium decurritur, dispiciendum nobis hic est breviter, quid tunc factu opus sit in constituendo & persequendo hoc iudicio.

2 Ut igitur in qualibet re, de qua contenditur, solet duplex iudicium institui, unum ratione possessionis, alterum ratione proprietatis, l. Ordinarii 13, C. De rei vindic. cap. ult. sup. de iudicis, cap. 1, & passim totis tit. sup. De causis possess. & propriet. Unde illud possessorum iudicium dicitur, alterum petitorium.

3 Ita & in decimis prædialibus idem usu venit, ut vel ratione possessionis moveatur quæstio, vel ratione proprietatis, id est, iuris, quo quis contendit ad se decimas pertinere.

4 Hoc autem possessorum iudicium tribus ex causis intentatur, aut ut adipiscamur possessionem, aut semel adeptam retineamus, aut amissam recuperemus, §. sequens Instit. De interdictis, & l. 2, §. hac autem interdicta d. eod. tit. arg. l. Quoties 20, D. De servitutib. & l. fin. D. Vti possidetis. Quare primum adipiscendæ possessionis appellatur, alterum retinendæ, tertium recuperandæ. Intelligendo per possessionem hic quasi possessionem, quæ est rerum incorporalium. Nam quamvis rerum incorporalium nulla propriè sit possessio (ut & aliàs monuimus) tamen usurpata est, ut & harum rerum simpliciter possessio dicatur, c. Olim 17, De restit. spoliat. l. 1, in fine V. possidet C. De servit. & aqua, cap. Ad aures 6, De præscriptis.

5 Itaque quoad decimas, possessorum adipiscendæ iudicium tunc intenditur, quando quis decimarum possessionem, quam antè non habuit, sibi acquirere contendit, quod facile est in Parocho loci, cui ideo statim addicatur possessio decimarum, non audito etiam iure alterius; ne potè quod iure communi ad eam, non ad alium pertinent decimæ, id est jus decimandi, c. 2, De restit. spoliat. in 6, & latus dixi sup. cap. 8. Ideoque Parochus loci ad decimarum possessionem consequendam in suo libello complectetur, quod ejus loci, in quo colliguntur fructus, sit Parochus, & idcirco petat sibi adiudicari possessionem decimarum. Rebuff. de decimis 9. 9, in pr. Quod non est in aliis Clericis, sive laicis, qui pos-

sessionem decimarum non antè acquirunt, quam legitimum titulum probaverint; veluti in Clerico, quod decimandi ius habeat rex privilegio, prescriptione, vel simili titulo, de quo latus sup. c. 9, & 10. Item in laico, quod is vel privilegio S. Pontificis ius decimandi assecutus sit, vel maiores sui ante Concilium Lateranense decimas in feudum receperint, & sic in se devolutæ sint. Nec enim laicus ullum alium titulum possessionis adipiscendæ obtinere potest, vide c. 13, supra.

6 In possessario retinendæ narrat Parochus loci vel alius Clericus, qui decimas possidet, se esse in possessione iuris percipiendi decimas, ac proinde se rogare, ut contra turbantem possessionem suam, vel recusantem decimas solvere, iudex se teneatur & manuteneat. Rebuff. d. quæst. 9, num. 3, & 4. Menoth. de retinenda possess. remedio 3, n. 134.

7 In possessione verò recuperandæ possessionis concluditis, qui spoliatus est possessione decimandi, ut in possessionem pristinam, quam habuit, restitatur, d. c. 2, De restit. spoliat. in 6, Et semper observato, quod Parochus loci, sive contra Clericum sive contra laicum agat ratione possessionis, statim sine mora admittendus sit, reiecto iure alterius in onus probationis.

8 Quod ad petitorium iudicium attinet, quod diximus versari circa proprietatem rei, eo tunc experimur, quando petimus per iudicem declarari, nos dominos esse huius vel alterius rei controversæ, si ea corporalis sit; si incorporalis, ius nobis competere, veluti in proposito argumento, decimandi ius ad se pertinere, formabitque libellum suum actor, si Parochus est, hoc vel simili modo: Cum Parochus sim talis loci N. peto per iudicem sententiâ tuâ declarari & adiudicari mihi decimas eiusdem loci, meumque ad verfarium condemnari ad solvendas præteritas decimas, & continuandam earum solutionem in posterum. Et hoc, quando contra possessores prædiorum agitur: si contra alium, qui est tantum in possessione iuris decimandi, petet Parochus declarari sibi competere ius decimandi & alteri silentium imponi. Sed quæ actio? Conditione ex canone, quo ius decimandi inductum est, ut toto tit. De decim. aliisque locis citatis à nobis sup. cap. 1. Cum enim nulla actio pro decimis à iure Canonico prodita sit, recurrentum est ad conditionem ex canone, instar conditionis ex lege, l. unica d. De condit. ex lege. Quamvis

peccat

neceffe non fit, hanc conditionem ex canone, hoc jure Canonico exprimi, fed fufficiat factum perfpicue proponi in judicio, *cap. Dilatus 6, sup. De judiciis.*

Ubi verò alia persona Ecclesiastica prærendit jus decimandi, vel ex privilegio, vel ex consuetudine, vel præscriptione, sive alio titulo legitimo, necesse est, prius jus suum in judicium deducat, & deinde petat declarari ad se spectare jus decimandi, suumque adversarium condemnari, ut à perceptione decimarum desistat, sive is Parochus loci sit, sive alias Clericus.

¹⁰ Potest & utrumque judicium, tam possessorium quàm petitorium, in eodem libello sive narratione, cumulari & proponi, prout visum fuerit actori, *per text. in cap. 2, c. 3, & passim sup. De causa possess. & propriet.* Sed caveat Clericus, aut alius quispiam, ne possessorium judicium intendat contra Parochum loci; eo quòd Parochus fundatam intentionem suam habeat ex jure communi contra quemlibet, ut & antea monuimus.

¹¹ Est autem judicium de decimis summarium, hoc est, in quo simpliciter & de plano ac sine strepitu & figura judicii proceditur, *c. 2, De judic. in Clement.* solà hac solemnitate adhibita, ut sententia definitiva in scriptis feratur, *cap. Sepè De verb. sign. in Clement.* Si tamen judicii solemnitates omnes vel pro parte intervenerint, partibus non contradicentibus, non indecirco infirmabitur processus judicii, *d. c. Sepè in fine.*

Sed consequenter hinc videamus de giudice decimarum, in quanonnulla contentio est inter Doctores. Inter omnes quidem convenit, si de decimis petitorio judicio agatur, adiri oportere judicem Ecclesiasticum, ut in reliquis causis Ecclesiasticis, præsertim spiritualibus, *cap. 1, sup. De judiciis.* At decimandi jus spirituale est, ut probat text. *in c. fin. De rer. permutat. c. c. Tua 25, in princ. h. sit. de decimis.*

Tota verò controversia est quoad possessorium de decimis judicium, coram quo giudice exercendum sit. De qua re discrepantes Doctorum sententias vide apud Panorm. *in c. 1, num. 6, De juram. calumnia, & Did. Covarr. Præf. quæst. c. 35,* qui generaliter disputant de possessione rei spiritualis, an ea temporalis sit; & consequenter ad notionem judicis secularis pertineat. In specie verò de possessione decimarum disputat Petr. Rebuff. *de Decimis qu. 10, & Azorius Institut. Ado-*

ral. p. 1, lib. 7, c. 25, Sed breviter nos eorum rem complectamur.

Igitur primò omnium à nobis constituendum est, possessionem rei planè separatam esse ab ejus proprietate, *per text. in l. Naturaliter 12, §. 1, D. De acq. possess. ubi his verbis textus, Nihil commune habet proprietate cum possessione, & ideo non denegatur ei interdictum uti possidetis, qui cepit rem vindicare.* Idem probat textus *in c. Pastoralis 5, sup. De causa poss. & propriet.* Unde cum prorsus sit diversa ratio possessionis à proprietate, non idem igitur judicium semper in utraque spectandum est, etiam quod attingit ad spiritualia. Ut ecce, de matrimonio rectè cognoscit judex secularis, si illud adulterio violatum sit. Item rectè restituit conjugem, si is ab altero discesserit. Item compellit conjuges ad præstanda mutua obsequia: quia hæc in facto consistunt & possessionem magis matrimoniale, quàm jus sive proprietatem matrimonii concernunt. Ac si matrimonium negetur, aut obtendatur illegitimè contractum esse: hujus rei cognitio, cum proprietatis causam contineat, non ad judicem secularem, sed ad Ecclesiasticum deferenda est, quamvis & de possessionis causa etiam possit adiri judex Ecclesiasticus. Videmus enim pro observatione juramenti judicem secularem rectè adiri, etiam si juramentum spirituale sit, ut est text. *in c. 2, De jur. jur. in 6,* quia & hæc res possessionem magis respicit quàm proprietatem, licet & coram giudice Ecclesiastico de ea agi possit, *cap. ult. de foro competet. c. d. lib. & tamen, ubi in juramento proprietatis causa vertitur, pura, an legitimum sit juramentum, an illegitimum, obligatorium vel non obligatorium, solius judicis Ecclesiastici cognitio est, cap. Novit, 13, circa fin. sup. De judic.*

Quare idem est & in decimis: nam si Parochus loci agat interdicto adipiscendæ, vel recuperandæ possessionis contra laicum, rectè adit & judicem secularem: si neget laicus se jure debere decimas, propter consuetudinem loci, aut præscriptionem, vel alia ex causa, hujus cognitio ad judicem Ecclesiasticum referenda est, quòd hæc scilicet specie de jure proprietatis agatur, per ea, quæ tradunt Panorm. *in d. cap. 2, n. 8, Bartolus in l. Tutia 19, v. Solutio marit. & Covarr. d. cap. 359 in secunda conclus.*

Quamvis ipse Covarr. ibidem ab hac sententia dissentiat, ex illa, ut existimat, juris Pontificiæ

ficii regula, quæ dicitur, causas Ecclesiasticas tractandas & examinandas esse apud Judices Ecclesiasticos, e. 2. *sup. De iudiciis*. Constat verò, addit, causam possessionem etiam simplicem, ind. *stinctè* dici Ecclesiasticam, *cap. unie. De caus. poss. & propriis in Clement. & in cap. un. De sequestr. poss. & fruct. in Clement.*

Quæ tamen jura iudicio meo non probant dictam juris Pontificii regulam. Sed propius ad eius confirmationem accedere videtur *cap. Causam 7. sup. De prescrip. ubi negat textus decimas decineri posse à laico, non aliâ ratione, quàm quòd jus decimandi spirituale sit; ergo & detentio sive possessio earum spiritualis videtur. Interim idem ipse Covarr. d. c. 35. numer. 2. prædictæ juris Pontificii regulæ, ut ipse vocat, non ita planè iustit, quin censet posse Judicem sæcularem compellere laicum reculantem decimarum solutionem, cum tantum agatur, inquit, an decimæ sint solutæ, vel teneatur ille solvere, vel alius, non autem de iure decimarum, nec de exemptioe aut privilegio. Ecce Covarr. re ipsâ incidit in priorem sententiã.*

Quæ ut explicatio sit, subjiciam hic distinctionem Panorm. *in d. cap. 2. De juram. calum.* ubi cum generaliter de possessione rei spiritualis dispositionem instituisse, variasque doctorum sententias recitasset, tandem distinctione quadam ita dissentientes inter se conciliat. Aut enim queritur, inquit, de re merè spirituali, aut quasi spirituali, aut de re merè temporali. De re merè spirituali, quando de re spirituali disceptatio est; veluti an matrimonium vel collatio beneficii Ecclesiastici valeat; vel an quis iure teneatur ad solvendas decimas, & similia, quæ ad Judicem sæcularem non pertinent, ne quidem incidenter, *cap. Tuam supra De ordine cognit. cap. Lator. inf. Quis filii sint legitimi. cum similib. præcipud textus est in cap. 2. sup. De iudiciis.* De quasi spirituali, quando agitur possessorio, habente causam proprietatis annexam, utpote quia in eo aliqua probatio proprietatis requiratur, ut in iure patronatus, *cap. 3. eod. tit. De iudic. vel si agatur ad restitutionem conjugis, quæ post spoliã contracta cognita fuit, cap. Extransmissa 8. cap. Ex parte 14. De reser. spoliat.* His duobus & similibus casibus Judex Ecclesiasticus necessariò aditur; quòd matrimonii ius etiam in quæstionem veniat. De merè temporali contenditur, quando res nihil spirituale in se continet, neque annexum habet; veluti cum de eo quòd merè facti est queritur. Exempli gratiã, si Clericus agat contra lai-

cum retinendæ possessionis suæ Ecclesiæ, nam hoc casu rectè recurrit Clericus ad Judicem sæcularem, ut is laicum cõibeat à turbatione Ecclesiæ. Et sic in cæteris, ubi facti, non iuris, quæstio vertitur.

Non obstat textus in *d. cap. Causam De prescrip. 16*. Tamen enim res spiritualis possideri non possit à laico, non tamen ideo consequens est, possessionem rei spiritualis esse spirituales; siquidem possessionem decimarum ex effectu suo metimur, quæ est, ut aliquod commodum ex ea capiatur; quòd cum in laicum regulariter non cadit, idcirco rectè dicimus, laicum decimas possidere non posse, licet alioquin possessio per se spectata non sit spiritualis. Sicut è diverso videmus in iure patronatus, quòd etsi per laicum possideri possit, non tamen ideo merè temporale est, cum eius cognitio ad Judicem Ecclesiasticum pertineat, e. 3. *De iudic.* Itaque ut rem summam complectar, quòd atinet ad præsens argumentum de iudice decimarum; si de sola earum possessione sive acquirenda, sive retinenda, sive recuperanda agatur contra laicum, non minus laicus Judex quàm Ecclesiasticus aditur; cum hæc res sit utriusque fori, *arg. c. 2. De iurejur. in 6. & c. fin. De foro compet. eod. lib.* Sin de ipso iure decimandi, ad solum Ecclesiasticum Judicem causa refertur, *d. cap. 2. De iudic.* Dixi, contra laicum; nam si contra Clericum, semper & in quavis causa cognoscit tantum modò Judex Ecclesiasticus, e. *Si diligenti 2. De foro compet. & Auth. Statuimus C. De Episcopis & Clericis.*

Illud quæ situm fuit, si ex privilegio S. Pontificis ius decimandi laico concessum sit, uter Judex, laicus vel Ecclesiasticus, adiri debeat? Et magis est, quòd Judex laicus, ex sententia Petri Redussi *de Decim. c. 10. numer. 39.* & Covarr. *Præf. quæst. cap. 35. num. 2. vers. 3.* Et ratio est, quia censetur in dubio eiusmodi ius decimandi naturam spiritualitatis, auctoritate Ecclesiæ sive S. Pontificis, exuisse, à quo hoc ius decimandi tamquam spirituale introductum fuit.

Idem est & in conductore decimarum, ut hic quoque ratione mercedis rectè conveniatur eorum Judice sæculari. Covarr. *d. num. 2. vers. Quintus.* Quia hoc in casu non de iure decimandi agitur, cuius ne quidem possessio in conductorem transit, *l. 2. C. De prescrip. 70. vel 40. annor. l. Quamvis 12. §. 1. D. De acquir. vel acq. possess. & l. Officium 9. D. De rei vind. sed tantum modò actione locati, propter commoditatem fructuum à conductore percipientium, e. 2. sup. De locatis & conductio.*

Na

Idem

17 Idem servandum est in venditis fructibus decimarum, ut & in his laicus Judex a deatur, si emptor laicus sit, ob eandem rationem. Atque hæc hæc tenus de decimis. Nunc de primitiis & obla-

tionibus, quæ & inscriptione ejusdem tit. Decretalium de decimis continentur, breviter dispiciamus, ut ita tractatus noster plenior sit & perfectior.

CAPUT XIX.

De Primitiis & Oblationibus.

SUMMARIÆ.

1. Primitiæ quid, in quem usum & quo jure instituta.
2. & 3. An juris divini vel naturalis sint.
4. Ut primitiæ juris naturalis sunt, cum explanatione l. Si et si 28. §. consultuit D. De petit. hæred.
5. Religio erga Deum ut naturalis jure est.
6. De quantitate primitiarum.
7. & 8. De oblationibus in genere & specie.
9. Præceptum veteris testamenti de oblationibus à Gregorio Pont. repetitum an liget.
10. Differentia primitiarum, oblationum & decimarum.

Primitiæ sunt prima frugum obventio sive ejus pars Domino offerenda, in usum Sacerdotum, c. 1. De decimis, quæ & in veteri Testamento non mihius quam decimæ solvebatur. Exodi 22. Decimas eas & primitias tuas non tardabis reddere: & eod. lib. cap. 23. Primitias frugum terra tua deferes in domum Domini Dei tui. Et Malachia tertio capite conqueritur Deus de Judæis de non solutis decimis & primitiis. Instituta verò erant, ut populus primitias offerendo gratias ageret de beneficiis à Deo receptis. D. Thom. in 2. 2. quæst. 86. art. 4. in respons. Has & sacri Canones postea probaverunt, & secuti sunt in can. Moderamine, in can. Dots & in can. Revertimini xvi. quæst. 1. Gregorius VII. in Conc. Lateranensi: Operiet autem congruentius, inquit, nos decimas & primitias, quas jure sacerdotum esse sancimus, ab omni populo accipere. Refert Gratianus in can. 1. xvi. quæst. 7. Quo fit, ut primitiæ in Ecclesiarum bonis numerentur, c. Causa 13. inf. De verb. signif.

2 Sed quæstionis est, An primitiæ juris divini sint? De jure veteris Testamenti non ambigitur, ut probant supradicta loca. Neque obstat alius locus Exodi 25. cap. Loquere filiis Israel, ut tollant mihi primitias, ab omni homine, qui offert ultionem, accipietur eas, quasi primitiæ non præcepti, sed arbitrarie fuerint. Sed responderetur, primitiarum nomine accipietur, quæ populus offerebat ad tabernaculi fabricam & ornatum. Azorius Inft. Moral. p. 1.

lib. 7 c. 27. Utrumque idem, certum est hoc præceptum veteris Testamenti, ut & cætera præcepta, per Christi mortem abolita esse, ut probavimus supra cap. 3.

Nihilominus putat Per. Rebuffus in tr. de Decimis quæst. 1. n. 21. cum nimis sequitur primitias adhuc hodie esse divini juris, seu potius, ut mentem ejus interpretor, juris naturalis, quia illæ in compensationem sive indicium præstantur beneficiorum à Deo receptorum. At naturale jus dicitur se gratum præbere oportere ei, à quo beneficium accepit. Quod & existimat Dominicus Soto lib. 9. de Inft. quæst. 3. art. 4. D. Thom. verò 2. 2. quæst. 86. art. 4. ut eum allegat & sequitur Azor. d. c. 27. vers. 5. quaritur, primitias partim naturalis juris esse vult, partim juris Canonici. Quomodo enim, ait, decima jure naturali debetur & solvitur, quandoocumque necessaria est ad commodum Parochi vicium, vel ad proficiendum supremum Dei in res omnes dominatum & imperium: secus verò, non naturali, sed Pontificio jure debetur (ut & supra d. c. 3. explicavimus:) sic etiam primitiæ, quatenus sunt ad usum sacrum & honorem, ad cultum divinum, naturali jure solvuntur: secus verò jure tantum Pontificio. Hæc Azorius d. cap. 27. Idem Gregorius de Valentia Comment. Theo. log. tom. 3. dist. 6. quæst. 6. puncto 4. in fine, sed paulò aliter, cuius hæc verba sunt: Primitiæ non ex aliquo naturali aut divino præcepto, hoc quidem tempore offerri debent (cum his præceptis satisfiat sustentando quocumque modo sufficienter ministros, & offerendo qualescumque alias res externas in honorem Dei) sed ex decreto Ecclesie, juxta receptam locorum consuetudinem & necessitatem ministrorum Ecclesie. Citat ibidem & Sylvestrum V. Decimanum 3. ubi refert eum asserentem, posse tolli obligationem solvendi primitias per contrariam consuetudinem, eo modo, quo potest alibi tolli per contrariam consuetudinem obligatio solvendi decimas.

Quæ etsi vera concedamus, non tamen tollunt rationem illam, quæ primitiæ institutæ dicuntur: videlicet ut primitias offerendo Deo gratiæ reddantur, quod juri naturali convenire viderur, ut

supra

Suprà dictum est. Nam & hinc voluit Rebuff. in d. quæst. 1. nu. 11. & seq. non valere consuetudinem, ut nihil pro primitiis offeratur Deo; cum juris naturalis præcepta divinâ quadam providentiâ cõstituta sint, adeoque immutabilia permaneant, ut loquitur Iustin. in § penult. Inst. De jure naturali.

4 Sed huic facile occurritur, quòd ratio primitiarum ad præcepta juris naturalis referri non possit, sed ad solum instinctum naturalem, quo solemus propendere in benefactores nostros, non per speciem obligationis, sed liberæ remunerationis. Quod satis liquet ex Ulpiani responso, in l. Sed etsi lega 28 § consuluit D. De petu hered. quo liberalitas nullam obligationem & actionem inducit contra eum, qui liberalitatem expertus est: alioqui ea in petitionem hæreditatis veniret, & Naturaliter 9. & passim legib. seqq. D. eod. tit. Ergò primitiæ verè juris naturalis non sunt.

5 Scio quidem religionem erga Deum esse juris naturalis, ex l. 2. D. De justit. & jure, sed id in genere verum est, ut aliquo saltem religionis cultu Deum agnoscamus; at in specie, ut hoc vel alio certo modo divinus cultus Deo exhibeatur, ad jus naturale non pertinet, sed id fit vel ex ordinatione Ecclesiæ, vel per cujusque nationis lege, si ve moribus, si ve arbitrato.

6 Quâ autem quantitate primitiæ solvendæ sint, non ex veteri lege constat, nec Ecclesiastica: nisi quòd in veteri lege ex traditione Magistrorum inoluerat ad coercendam avaritiam istorum sacerdotum, ut illi, qui quadragesimam partem solverent, maximam dicerentur præstare, qui sexagesimam, minimam partem; cætera portiones intermediæ offerentium arbitrio relicta erant, c. 1. hoc tit. De decimis. In lege Ecclesiastica ne quidem ulla talis ratio est; sed hodie, consuetudinem loci sequimur, ut notat in d. c. 1. Innoc. At putat Azorium d. cap. 27. usum & consuetudinem primitias magna ex parte sublatas esse, & legem de illis solvendis ferè ubique antiquatam; & ubi hujusmodi lex erat, minimè primitias solvi, nisi petantur à Clericis.

7 Jam quod ad oblationes atinet, eas decimas, inquit textus in c. Causa 13. inf. De V. S. quacumque de propriis & licitis rebus Ecclesiæ à fidelibus offeruntur; si ve id fiat in ultima voluntate, si ve inter vivos, tam de rebus immobilibus, quàm mobilibus, per text. in cap. Cum inter 24. inf. d. tit. De V. S. can. Statuimus 6. xvi. quæst. 2. Panor. in d. c. Causa.

8 Sicut igitur quando aliquid homini donatur, dicitur donatio, ita quando Deo si ve Ecclesiæ, ob-

latio à jure nominatur. Consuetudine tamen specialiter obtentum est, ut ea, quæ sub Missæ sacrificio offeruntur, solo oblationis nomine contineantur, quorum meminit textus in can. Omnis Christianus de consecr. dist. 1. in can. Duo in fine xii. quæst. 1. in can. Qui sacerdos, cum c. fin. x. quæst. 1. videnturque hæc speciales oblationes inductæ ad imitationem veteris Testamenti. Cùm enim Exodi cap. 23. dictum esset: Non apparebis in conspectu meo vacuus; Gregorius V. l. in Synodo Romana id traduxit ad Missarum oblationes in d. can. Omnis Christianus, ita inquit eos: Omnis Christianus procuret ad Missarum solemnitas aliquid Deo offerre, & ducere ad memoriam, quod Deus per Moysen dixit: Non apparebis in conspectu meo vacuus.

Unde hic incidit quæstio, An ad hujusmodi oblationes Missales ex præcepto obligemur? Et magis est, quòd non; eo quòd præceptum sit veteris Testamenti ceremoniale, quod utique per mortem Christi sublatum est, ut supra à latius probavimus cap. 3. & facit c. unic. sup. De purificat. post partum. Neque movere nos debet, quòd à Gregorio VII. ut antè dictum est, rursus repetitum & renovatum fuerit apud Christianos; quia id usu populari receptum non est, ut necesse est, in qualibet constitutione, quæ antè non ligat, quàm moribus utentium approbata sit, can. in istis § leges cum c. seq. dist. 4. vel saltem in disuetudinem abiit. Quare d. can. Omnis Christianus, eatenus servandus est, quatenus dicat consuetudo loci offerendum esse sub Missa; ita quòd hæc consuetudo obligandi animo introducta fuerit: quod inde colligitur, ubi hæc oblationes in Clericorum necessariam sustentationem aut in fabricam si ve alium usum pium conferuntur. Alioqui si per modum liberæ devotionis hæc oblationes fiant, consuetudo loci neminem obstringit, ut eleganter explicat Dominicus Soto, quem omnino vide, de iustitia & jure, lib. 9. quæst. 3. art. 1. vers. Dubium autem deinde, & Azorium d. lib. 7. Inst. Moral. c. 7. quæst. 11.

Porrò has oblationes à decimis & primitiis ita distinguiamus: quòd oblationes immediatè fiant Deo, divini cultus causâ, licet postea in Sacerdotum vel alium pium usum cedant; Decimæ verò similiter quidem Deo persolvantur, sed prospectu domini supremi, quod sibi Deus in omnes reservavit, tamen si & hæc in usum quoque Clericorum convertantur. Et primitiæ præstantur testandi grati animi causâ, propter primos terræ fructus feliciter creatos ex benignitate Dei.

AD TIT. XXXI. DE REGULARIBUS ET TRANSEUNTIBUS AD RELIGIONEM.

DE Clericorum seu personarum Ecclesiasticarum vita, moribus, bonisque externis expositum est haecenus: sequitur nunc de Religiosis seu Regularibus, id est, certæ vivendi regulæ adscriptis, eorumque moribus & bonis externis. Fiunt autem Religiosi per ingressum si-

ve possessionem Religionis, eamque vel tacitam vel expressam: qua de re, & an professus unam Religionem ad aliam transire possit, quantum satis est ad hunc locum, vide D. Canis. in Summa lib. 1. tit. xxv. V. A.

AD TIT. XXXII. DE CONVERSIONE CONJUGATORUM.

SUMMARIUM.

1. Conjugati qui dicantur.
2. An & quantum ad Religionem transire possint.

Conjugatos vocamus virum & mulierem in unum quasi iugum matrimonii coactos: quorum ea conditio est, ut semel legitime coniuncti divertere à se invicem nequeant, idque ob perpetuum & indissolubilem matrimonii actum, cap. Gaudemus 8. inf. De divor. D. Canis. in Summa lib. 2. tit. 21. §. 1. Quod omnino procedit in matrimonio rato & consummato. † Exceptis duobus casibus; quorum prior est, si conjugati mutuo consensu Religionem ingrediantur &

profiteantur, cap. 4. Orsq; hoc sit. cum possint sibi mutuo debitum conjugale remittere, seque invicem ab eo absolvere arg. l. penult. C. Depall. Haec tamen cautela adhibita, ut virò Religionem ingrediente de consensu uxoris, etiam uxor Religionem aliquam profiteatur, vel saltem castitatem in saeculo voveat, si non sit suspecta de continentia, veluti si sit senex, d. c. 4. Or. significavit 18. hoc sit. Nam alias maritus, etiam qui consentiente uxore Religionem ingressus est, repeti ab uxore potest, c. Accedens 17. hoc sit. Porro matrimonio rato & nondum consummato, alter conjugum etiam invito altero ad Religionem transire, eamque profiteri potest, c. 2. Or. cap. Ex publico 17. hoc sit. Canis. in Summa lib. 2. tit. 21. §. 2. V. A.

AD TIT. XXXIII. DE CONVERSIONE INFIDELIUM.

Alter casus, quo dissolvi matrimonium ratum ex causa religionis potest, proponitur hoc Tit. idque occasione eius, quod dictum de conjugatorum fidelium ad Religionem monasticam conversione. Nam infidelium conjugatorum alter ad religionem Christianam conversus alteri in infidelitate permanenti coha-

bitare, si periculum vita aut alias melitiosa aliqua machinatio subit, non cogitur, sed ei liberum est divertere, & ad secunda vota transire, c. Quanto 7. inf. De divor. Canis. in Summa lib. 2. tit. 21. §. 3. Proles educanda parenti converso assignari debet, cap. 2. hoc sit. V. A.

AD TIT. XXXIV. DE VOTO ET VOTI REDEMPTIONE.

SUMMARIUM.

1. Votum quid.
2. Aliud solemne, aliud simplex.
3. Effectus voti.

De voto sequitur, quia supra dictum est, Religionem fieri professione, id est, voto c. Correctum 13. sup. De regularib. Est autem votum voluntaria & deliberata promissio Deo facta, de aliquo faciendo vel non faciendo. Dicitur, voluntaria, quia per votum quis sibi ultro

ultrò novam aliquam legem & necessitatem imponit. Item, *deliberata*; quia votum cum iudicio & maturâ de liberatione emitti debet, *c. Licet 6, h. t. can. ult. in fine VII. q. 5*; Dicitur, *Deo facta*; quia in voto quæritur Deo obligatio; & proinde etiam si non sit, qui recipiat votum, obligatur tamen, qui votum emisit, *can. Quod Deo xxxiii. q. 5, c. Ex parte 18, in fine inf. De censib.* Excepto voto professionis, in quo reciproca inter venit obligatio, quæ non potest induci citra consensum utriusque, scilicet, profitentis, & illius, qui professionem recipit: exemplo contractuum, qui sine consensu duorum non perficiuntur. *Panorm. in c. Consulti 20, sup. De regularib.* Dicitur denique, *de aliquo faciendo &c.* quod scilicet in Dei obsequium & cultum vergat; veluti proficisci Hierosolymam, Compostellam, *c. 2, d. c. Licet & c. Magna 7, h. tit.* item abstinere vel non contrahere matrimonium, vel quid simile: quod genus voti etiam

servandum est, ut latè deducit Hostien. in *Summa h. t.*

Votum aliud solemne est, quod emittitur, exterius adhibitâ solemnitare, quâ votum executioni mandari solet; veluti per professionem, expressam vel tacitam, alicujus Religionis per Sedem Apostolicam approbatæ, interveniente acceptione Superioris, & per susceptionem Ordinis sacri: aliud simplex, quod emittitur, nullâ adhibitâ solemnitare.

Effectus utriusque est, ut fides semel Deo data servetur. Nam licet ab initio liberum sit vovere, vel non vovere, tamen postquam votum emissum est tenetur quilibet illud adimplere, *d. c. 6, in pr. h. tit.* Nisi auctoritate superioris & ex justa causa placuerit illud redimi, vel in aliam aliquam piam causam commutari, *c. 1, & c. Ex multa 9, h. tit. V. A.*

AD XXXV. DE STATV REGVLARIVM.

SUMMARI A.

1. Status hic quid & in quibus consistat.
2. Inter Regulares & Monachos quid intersit.

Per statum intelligitur hoc Tit. conditio, vita, conversatio seu vivendi ratio. Itaque ad statum Regularium in primis pertinet, ut regulam, quam professi sunt, diligenter servent, *cap. 6, h. tit.* ut nihil habeant proprium, nec peculium, nisi quod administrationis gratiâ illis per Abbatem vel Superiorem concessum fuerit, *cap. 2, & d. cap. 6, h. tit. Canif. in Summa lib. 1, tit. 25. 5.*

12, ut non vagentur, sed in Monasteriis suis manent, *can. Placuit 2, xvi. q. 1.* Ad quod tamen artius obligantur moniales, quàm Monachi, *cap. unico h. tit. in 6, Capit. d. locorum 13, & 14.* Et ne foret disciplina monastica collabescat, iustitui jubentur de tricennio in tricennium Capitula seu Concilia Regularium provincialia, *cap. 7, hoc tit. in quibus corrigatur quod est corrigendum, cap. ult. h. tit.* Porro inter Canonicos Regulares & Monachos hoc interest, quòd illi Ecclesiis parochialibus præfici possint, Monachi non item, *d. c. 2, & c. Quod Dei 5, h. tit. Canif. loco cit. num. 16, V. A.*

IN TIT. XXXVI. DE RELIGIOSIS DOMIBVS.

Novam Religionem inducere non licet, aut religiosam domum de novo fundare, nisi fundans regulam & institutionem de Religionibus accipiat à Sede Apostolica approbatis, *c. ult. h. t. Canif. in Summa lib. 1, tit. 25. 9.* Per Religiosam autem domum intelligimus locum consecratum ac dedicatum auctoritate Episcopi, vel generalius quemlibet locum destinatum religioni & cultui divino vel alteri piæ causæ, *c. Ad hac 4 & ibi Panorm. h. t. & c. Parentibus 10, inf. De privil. can. Quidam xviii. q. 2, & Hostien. hic in Summa.* Cujusmodi loca regulariter subsunt Episco-

po, in cujus diocesi sita sunt, *c. 2, c. Constitutus 6. c. Cum venerabilis 7, cum c. seq. h. t.* Idque obtinet etiam in Monasteriis, quæ & jura Episcopalia debent Episcopo loci, nisi appareat ea remissa esse legitime, *d. c. 6, h. tit.* vel aliàs Monasterium probet se exemptum, *d. c. 7, & c. 8, h. t.* Præterea fallit dicta regula respectu temporalium: nam in temporalibus bonis Ecclesiarum vel Monasteriorum Episcopus jure communi non est fundatus, nisi aliter doceat de jure suo, *d. c. 7, Vide Canif. lib. 2, tit. 23, V. A.*

IN TIT. XXXVII. DE CAPELLIS MONACHORVM ET ALIORVM
RELIGIOSORVM.

Religiosa domus vel sunt principales, ut quæ Monasteria simpliciter dicuntur, vel accessoria, ut Capellæ & Prioratus Religiosorum, ab aliis principalibus dependentes, etiam in diversis diocæsiibus: qui tunc subsunt illi Episcopo, in cujus diocæsi sita sunt, quoad ea scilicet, quæ sunt jurisdictionis Episcopalis. In reliquis autem particulari regulæ observationem, bonorumque temporalium administratio-

nem concernentibus, subsunt Abbati seu Præposito principalis domus sive Monasterii. Nam & in Capellis huiusmodi sive Prioratibus non minus observanda sunt instituta vitæ monasticæ, quam in ipsis principalibus Monasteriis: ideoque singuli Monachi singulis Prioratibus imponi non possunt, sed vel unus vel alter sociis adiungendus est, c. penult. *¶* *¶* ult. h. t. V. A.

TIT. XXXVIII. DE IVRE PATRONATVS.

SUMMARI A.

1. *Ius patronatus quod hic intelligatur.*
2. *Quid sit.*

Vtilitas hujus Tit. quanta sit, docet forensis usus, quo frequenter de jure patronatus contenditur. † Intelligimus autem hoc loco jus patronatus, non quod à jure civili proditum est, quale habet patronus in seruum à se manumissum, de quo extat Tit. in D. De jure patron. *¶* in Cod. De bonis liberis sed quod beneficio §§. Canonum illis tributum est, qui vel fundarunt, vel construxerunt, vel dotarunt Ecclesiam; sive ipsi, sive alii, à quibus causam habent, sicut ad cap. 3, *inf. eod.* latius dicitur.

Variè autem definitur jus patronatus, ut videre est apud Rochum de Curte in Repet. Eubr. huius sit circa pr. verum hanc definitionem communiter receptam tradit, quod jus patronatus sit jus honorificum, onerosum, & utile, alicui competens in Ecclesia, pro eo, quod de Diocæsani consensu

Ecclesiam fundavit, construxit, vel ipse dotavit, vel is, à quo causam habuit. Quæ definitio plerumque obscura est, cum non aperiatur, quale illud jus sit honorificum, onerosum, & utile. Ideò alia definitio mihi commodior visa est, videl. hæc, quod jus patronatus sit jus præsentandi Clericum ad Ecclesiam vel beneficium vacans; vel ut saltem Ecclesia, sive beneficium vacans absque patroni ad sensu sive auctoritate non conferatur. Etenim patroni jus in his tribus consistit, ut vel Clericum præsentet instituendum, ut in parochiis, & simplicioribus beneficiis; vel ut electioni interstitit; vel eam factam consensu suo comprobet, veluti in Prælaturis, uti latius explicabitur ad c. 23, *inf. eod.* Pio autem consilio à sacris Canonibus hoc jus introducum fuit, ut vel hac ratione Christiani, etiam laici, magis provocarentur ad benemerendum de religionis cultu. Panorm. ad c. 3 num. 8, *sup. De jud.* eoque etiam ad heredes patronorum, sive alios successores illud transire voluerunt, cap. 2, h. tit. *¶* cap. 2, in Clement. *cod. cap. 1, §. c. 3, ubi latius inf. eod.*

In Cap. 1. & 2. cap. Si verò ordinatio 12. cap. Eam te 22. & c. Cùm propter 27.

SUMMARI A.

1. *Præsentatio à patrono intra quod tempus fieri debeat.*
2. *Ius patronatus transit ad heredes.*
3. *Non tantum ad descendentes, sed & extraneos.*
4. *Etiã ad feminas.*
5. *An & heres ex certa re institutus succedat in hoc jure?*

6. *An transeat in heredem fideicommissarium?*
7. *Ius patronatus est individuum.*
8. *Patroni plures alternatim præsentare possunt. Vt suo turno.*
9. *Pluribus præsentantibus, præferri debet præsentatus à majori parte.*

Certi

Certi juris est, præsentationem Clericis à patrono fieri oportere intra quatuor menses, à tempore vacationis, ubi scilicet patronus est laicus: sive Ecclesiasticus, intra sex menses, per text. in c. unico h. t. lib. 6. Alioquin de curso hoc tempore, sive per negligentiam, sive de contentione patronorum, collatio Ecclesiæ, sive beneficii vacantis ad Ordinarium spectat, cap. Quoniam 3. cap. Si vero 12. cap. Eam te 22. Et c. Cum propter 27. inf. eod. Quod si intra præscriptum tempus patroni, sive hæredes eorum, in præsentando non conveniant, sed sua suffragia in diversos conferant, hæc cautio adhibenda est, ut Episcopus Missarum solemniter in Ecclesia interdicit, vel reliquias inde auferat, atque ejusdem Ecclesiæ officia claudat, ut ita ad concordiam adigatur, per text. nostr. in d. c. 1. Et d. c. 2. Licet hodie à Clemente V. permissum sit patronis, sive hæredibus illorum, ut, si velint, plures Clericos possint præsentare, ut unus ex iis ab Episcopo eligatur, & admittatur, c. 2. h. tit. in Cam.

2 Atque hinc in primis notandum, jus patronatus transire quoque ad heredes, quemadmodum ex d. c. 2. in Clem. constat. Quod hic latius excutiendum est.

Unde quaeritur, Qui heredes hic intelligantur, descendentesne, an etiam extranei? Sunt, qui descendentes tantum intelligant, vel etiam cognatos, per text. l. filii 9. in pr. D. De jure patron. sed merito hos rejicit Innoc. hic ad Rubr. cui & alii communiter assentiuntur, teste Panorm. hic ad c. 1. num. 2. argumento inde sumpto, quod jus patronatus cum universalitate in extraneum transire possit, cap. Ex literis 7. Et c. Cum seculum 13. inf. h. tit. ergo multo magis in heredem quemlibet ratione hereditatis transire debet: siquidem in heredes cujuscumque generis omnia jura defuncti transferuntur, l. Heredem 59. Et l. Hereditas 62. D. De R. I. Et l. Nihil est aliud 24. D. De verb. sign. Deinde, cum hic text. in d. c. 1. Et d. c. 2. in Clem. simpliciter heredum mentionem faciat, idcirco indistincte heredes omnes, sive descendentes sint, sive alii extranei; sive testamentarii, sive legitimi, venire debent. Neque movere textus in d. l. 9. princ. quia is non de jure patronatus Ecclesiastici de quo nostra est disputatio, sed de jure patronatus civilis loquitur; in quo, inquit l. C. filii, licet heredes patris non sint, tamen succedunt, scilicet in jus patronatus. Idque singulari jure receptum est, non propter hereditatem patris, sed ob memoriam datam à patre libertatis ipsi libero,

quia hic ejusdem familiz est cum filio, l. fin C. De verb. sig. Quinimò contrarium in hoc jure patronatus obtinuit, ut, si filius patris sui heres non sit, aut ejus hereditatem repudiarit, excludatur à jure patronatus Ecclesiastici, sicut ex communi sententia docet Covarr. Var. res. lib. 2. c. 18. num. 7. adde ut, etiam si ex prima sua institutione jus patronatus delatum esset Sempronio & ejus filiis, non aliter filii admitterentur, quam si essent quoque patris sui heredes. Ita ex Decio, & Casare Lambert. probat idem Covarr. jam dicto loco, ratione desumpta ex doctrina Glos. & Barr. ad l. Si tibi decem 17. §. 4. D. De pactis, qui tamen §. videtur adversari huic sententia.

Alteram quaestio est, An etiam ad feminas hæres jus patronatus transeat? Et transire existimant Panorm. & Joan. Grodus hic, præter alios, quos citant. Et rectè, quia inter heredes jura non distinguunt, sive illi masculi sint, sive feminæ, neque adferri possit ratio, quare feminæ ab hoc jure submoveri deberent; imò non minus, quam masculi ejus sint capaces, ut est text. in cap. fin sup. De concess. præben. Et in c. Ex literis 7. inf. eod. Burr. Imola Et alii relati à Rocho Curtio in Reper. in rubr. in verbis, competens alicui. Neque impedit, quod fieri Canones, cum de patronis loquuntur, masculino genere utantur, cap. Quicumque 30. cum duob. seqq. xvi. q. 7. Et passim hoc nost. tu. nam nihilominus continentur etiam feminæ, propter generalem juris sententiam, quæ dicitur, femininum genus venire sub masculino, per text. in l. 1. De verb. sig. Et in l. Si ita sit scriptum 45. in pr. D. De legat. 2. Nihil ubi subjecta materia aliud suadet, ut in feudo, in quo feminæ sub masculino genere non continentur, propter naturam feudi, tu 8. in pr. lib. 1. Feud. Quod non est in præsentis quaestione, in qua nihil occurrit, quare feminæ à jure patronatus repellendæ sint.

Tertia quaestio est, An heres ex certa re institutus, sive is filius sive alius quispiam sit, succedat in hoc jus patronatus? Et quidem, si solus institutus sit heres, dubium non est, eum succedere; perinde enim habetur, ac si integrè institutus esset, detractâ rei mentione, l. 1. §. 4. D. De hered. instit. cum nemo pro parte testatus, & pro parte intestatus possit decedere, l. Ius nostrum 7. D. De R. I. Dixi, si solus sit institutus in re certa; nam, adjungo sibi alio coherede universalis, quaestio est, an simul cum coherede succedat in jus patronatus? quam quaestionem copiosè disputat Casar Lambert. De jure patron. lib. 1. p. 2. q. 16. art. 2. Sed,

omissa

omissa longiori disputatione, veriorē sententiam esse existimo, quod in successione huius juris non admittatur. Ita Panorm. *hic ad cap. 1. n. 2.*, quam & communi calculo probatam esse tradit Joan. Grodus *ad dist. cap. 1.* Et ratio est, quia institutus talis in re certa habetur loco legatarii, *per text. in l. penult. C. De hered. inst.* Itaque, cum heres non sit, non consequitur jus patronatus. Quare etiam idem juris esse putat Covarr. *Var. res. lib. 2. cap. 8. num. 9.* et si filius instituitur heres in re certa pro sua legitima, aut simpliciter in legitima, instituto scilicet alio coherede universali: nam, et si legitima sit jus quoddam universale, non est tamen universitas, (cui jus patronatus accedit) sed universitatis pars, *l. 8. §. 9. D. De in off. testam. §. l. 2. in pr. D. Fam. ereise.* Igitur, inquit Covarr. jus patronatus non ad institutum in legitima, sed ad institutum in hereditate pertinet. At contrarium defendit hic Joan. Grodus. *ad d. c. 1. motus hac ratione;* quod, licet institutus in re certa habeatur loco legatarii, *d. l. penult.* non tamen id simpliciter fiat, sed tantum respectu ipsius rei, in qua heres est institutus; ut scilicet non teneatur creditoribus hereditariis, sed ut eam rem liberam habeat ab oneribus hereditariis: quod verò ad alia, quæ extrinsecus accedunt, reputetur heres; veluti quod acceptando rem illam confirmet testamentum, itaque filius institutus, recte institutus dicitur, non autem præteritus, *c. 5. in pr. Nov. 113 vide Bart. ad d. l. penult.* atque hoc modo existimat Grodus institutum in re certa admitti quoque debere in jus patronatus. Eiusdem sententiæ est Frid. Des. *consil. 121. sicut latè eum refert. Casar. Lambert. sup. d. loco.* Verior tamen prior opinio est, ut non succedat in re certa, vel legitima institutus, alio dato coherede universali. In re certa idè, quod totum jus suum contineatur in re certa: in legitima verò, quia sufficit cum habere tertiam partem bonorum, *l. Cum quaritur 6. junctâ Auth. Novissimâ C. De in off. testam.* in qua necesse non est, ut veniat jus patronatus, cum non accipiat æstimationem, *cap. De iure 16. inf. hoc tit.* Hoc tamen adhibito temperamento, ut, si institutio facta sit in re certa, quæ continet universitatem, veluti in villa, civitate, pago, castro, & similibus, in quibus inest jus patronatus, idem quoque rectè transeat in eundem institutum, *per text. in d. c. 7. inf. eod. Cas. Lambert. d. art. 2. num. 1.* Idem et si in prædio simplici, si in eo Ecclesia sit affecta jure patronatus, *per text. in l. In medicis 14. D. De contrah. empt.*

Sequitur quarta quæstio difficillima, An scilicet jus patronatus unà in fideicommissarium heredem, restitutâ ipsi hereditate, transeat? Quod putat Rom. *ad l. Si patroni 55. D. Ad S. C. Trebel. quam & sequitur Grod. hic ad c. 1. num. 12.* Contra verò existimat Barr. Imola. Alex. & alii quorum opinio communis est sicut ex Alex. refert Covarr. *sup. cit. loco num. 8. vers. quibus & aliaratio:* & nititur hæc opinio textu in *l. Quia perinde 42. §. un. D. Ad S. C. Trebell.* Restituta hereditate, inquit ibi textus, jura sepulchrorum apud heredem, scilicet institutum, remanent. Prior autem sententia hæc ratione fundatur; quod jus patronatus cum universitate transeat, *d. c. 7. §. c. Cum saculum 15. inf. h. s. in fideicommissarium autem omnes res hereditariæ transferantur, l. Facta 63. in pr. D. Ad S. C. Trebell.* Nec impediatur *d. l. 42. §. un. eod.* cum loquatur de sepulchris hereditariis, hoc est, quæ à principio sibi, heredibusque suis constituta sunt, aut jure hereditario quis sibi acquisivit, *l. 5. cum l. seq. in pr. D. De religiof. & sumpt. fun.* Quo fit, quod hæc sepulchra non transeat ad fideicommissarium, qui verè heres non est, sed tantum habetur loco heredis, *l. 4. §. fin. De bon. libert. l. 2. D. De fideicom. hered.* Nihilominus hoc non obstante, verior est contraria opinio, quod scilicet non transeat in fideicommissarium. Ratio est, quia, cum heres quartam Trebellianicam, quam retinet, detrabere non possit, nisi prius æstimatione factâ omnium bonorum hereditarium, *§. 6. & postum. inf. De fideicom. hered.* in æstimationem autem non veniat jus patronatus, *c. 16. §. un. h. s. fit.* ut contra heredem, qui semel per aditionem acquisivit sibi totam hereditatem, non possit fideicommissarius agere ultra tres partes hereditatis æstimabiles; nec consequenter ad jus patronatus. Hæc rationem reddit Cas. Lambert. *De jure patronat. lib. 1. p. 2. qu. 35. art. 2. vers. Ego magis clarè dicerem.* Postremò hic quæritur, Utrum hoc jus patronatus dividuum sit: id que pertinet ad hanc quæstionem, An jus patronatus in heredes secundum capita vel in stirpes transmittatur? Quæ in re placet Rochi Curtii distinctio, *ad Rub. h. tit. in verbo. jus. num. 20.* quod quidem ipsam jus patronatus individuum sit, *per text. nost. in cap. 1. §. l. fin. D. De jure patr.* non tamen ob eam rationem, quam ipsi Dd. afferunt, quod scilicet hoc jus sit incorporale, atque idcirco divisionem non recipiat; nam eadem ratio neque ususfructus, neque nomina, quæ & res incorporales sunt, ullam divisionem admittunt, quod est juri contrarium, *in l. 5.*

in l. 5, D. De usufr. in l. Equa 6, C. Familia ercise. Et in l. 1. § fin. D. eod. sed quia ex presentatione plurium patronorum unus tantum Clericus ad Ecclesiam, sive beneficium vacans adsumendus sit: ita quod ex parte Clerici instituendi, qui unus tantum esse debet, jus patronatus individuum dicitur; quo vero ad ipsas personas presentantes, qui plures esse possunt, sit apud quemlibet pro parte, sicut constat ex c. 2, hoc nostro tit. in Clement. Non video itaque, quare ratione defendi possit Glos. hic in cap. 1. quare vult, jus patronatus in solidum transire in quemlibet heredem, etiam si ex inæqualibus partibus sine instituti; quam Glos. Panorm. hic sub num. 6, notandam censet, & communiter à Dd. receptam tradit. Ita ut hinc consequens sit, si unus institutus sit ex uncia, alter vero ex dodrantea quod hi æquales voces habeant in presentando: item si patronus vendat unam tertiam partem villæ suæ, in qua jus est patronatus, alteri vero ejusdem villæ duas partes, quod & hoc casu uterque pars suffragia habeat. Non, inquam, video, quomodo hæc sententia defendi possit, propter text. in d. c. 2. Unde magis pariter, securus Innoc. opinionem, hic ad cap. 1. quod, sicut in electionibus Prælatorum accidit, ut quis ratione dignitatis suæ habeat duas voces vel plures, ita etiam in jure patronatus admitti possit, ut secundum portionem hereditatis voces in presentando distribuatur: quam opinionem probat & Joan. Grod. ad d. c. 1, hic num. 27, cum seq. hoc argumento inter cætera motus: nam, si tres, inquit, æqualiter heredes sint instituti à patrono, voces duorum præferuntur tertio, cap. 3, inf. eod. & statim hic subjicit, idem ergo dicendum, quod in illo, qui reperitur heres institutus in duabus partibus. Consule, quæ habet Cæs. Lamb. De jure patron. lib. 1. q. 24. p. 2, art. 1.

8 Illud vero certi juris est, quod, ubi ejusdem Ecclesiæ, vel beneficii sunt plures patroni, possunt inter se convenire, ut alternis vicibus Clericum presentent ex constitutione Clement. V. in d. c. 2, juxta Panorm. hic c. 1, & d. c. 2, h. t. Et hujus exemplum videtur in quibusdam Ecclesiis introductus usus turni in beneficiis conferendis, quæ pertinent ad collationem Capituli, ut singuli Capitulares vicissim, & per ordinem (hoc enim turnum significat) eadem beneficia conferant.

9 Atque hæc hæcenus de jure patronatus transmissio ad heredes. Qui, si in presentando dissentiant æqualiter, quid juris statuatur, in d. c. 1,

& c. 2, hic videre est. Quod si vero inæqualibus vocibus dissentiant, ut quia, exempli gratiâ, ex tribus patronis unus certum Clericum presentet, reliqui duo alium, hic profecto à duobus presentatus in instituendo preferendus erit, propter numerum patronorum, dum ipse id mereatur, per text. expressum in c. 3, inf. eod. ubi his verbis inquit: Si forte in plures partes fundatorum se vota diriserint, ille presentatur Ecclesiæ, qui majoribus juvatur meritis, & plurimorum eligitur, & approbatur ad sensum. Etenim id ubique receptum est, ut, si actus aliquis à pluribus sit explicandus, semper majorem partem inspiciamus, & sequamur, per l. item si unus 17, §. 6, D. De recept. qui arbit. sicut videre est in electione, & in aliis negotiis, quæ in collegio expediuntur, c. Quia propter 4, §. 1, sup. De elect. c. 1, & c. fin. §. 1, sup. De his, quæ sunt à Prælat. item in pluribus iudiciis, l. Duo ex tribus, §. 9, D. De re jud. item in arbitris, d. l. 17, §. 2, & similibus casibus. Nisi forte talis actus esset, qui singulos privatim concerneret; hic enim omnium & singulorum consensus exigeretur haberetque locum hæc juris regula: Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari, c. 29, De R. l. lib. 6, & l. fin. C. De auctor. præst. præter casus expressos in l. Majorem 8, D. De pactis, in l. fin. C. Qui bonus ced. possunt, & in l. un. C. De vend. rer. fidei. qui casus singulari jure contra prædictam regulam introducti sunt; quos hic latius non persequor. Nisi quod hic obici possit, jus quoque presentandi singulos patronos concernere: verum intelligo prædictam regulam, ubi plurium privatim interest quoad damnum pecuniarium; quod non est in jure patronatus, in quo patronus, si non presentet, aut ejus presentatio non admittatur, nullo damno pecuniario afficitur. Vide & Felin. in c. Cum omnes 16, num. 15, sup. De consue.

10 Ut igitur ad propositum regrediamur, cum dictum sit, presentatum à majori parte patronorum præferri, & institui debere, dubitationis est. Utrum major pars intelligenda sit, habito respectu ad omnes patronos, an vero sufficiat pars major, habita ratione ad majorem partem, v. g. quatuor sunt patroni, quorum presentant duo unum, tertius alium, & quartus alium: presentatus à duobus non habet majorem partem omnium patronorum, sed habet majorem partem respectu aliorum duorum singulos presentantium. Respondet Panorm. ad c. 3, num. 23, inf. eod. ex sententia Joan. Andr. Aut presentatio fit à pluribus, ut colle-

collegio; & hoc casu requiritur major pars respectu totius collegii, *per text. in c. Ecclesia vestra, 48, §. 1. sup. De elect. in cap. 6, §. un. sup. De his, qui sunt à Pralat. &c.* aut sit à pluribus, tamquam singularibus, uti communiter fit à laicis patronis; & hac specie sufficit major pars respectu aliarum partium, *per text. in d. l. 2. quem ià intelligit Joan. Andr.* Quæ distinctio singulariter notanda est, cum & ad alios actus transferri possit: ubi enim, inquit Panorm. *d. num. 13.* à pluribus aliquis actus est explicandus, animadverti debet, utrum ut à collegio, an ut à singulis explicetur; ut scilicet priori casu exigatur major pars totius collegii, posteriori sufficiat major pars respectu aliarum partium. *Addo Roch. Curt. in Repet. ad Rubr. h. tit. in V. Hon. num. 51, ubi & hujus distinctionis plures auctores recenset.* Nomine verò Collegii venit, etiam si non omnes de collegio, sed duæ tantum partes ad sint, *l. 3. cum l. seq. D. Quod cuiusque univers. nomine, l. Nom. nationum 46, C. De decurionib. lib. 10, nam hæc duæ partes totum collegium representant, d. l. 46, & l. Quod major 19, D. Ad municip. unde sufficit major pars totius collegii.* Ita rectè Panorm. ex communi sententiâ tam Canon starum, quam Legistarum, prout eum refert Felin. *in cap. 6, n. 23, sup. De conscri.* Idem tradit Panorm. *ad c. 1, num. 16, sup. De his, qui sunt à majori parte cap.* Ubi præterea addit, eum, qui interesse debebat, si per contemptum vocatus non sit, posse retractare quod se absente actum est, si tamen velit, *per text. in cap. Quod sicut 28, in pr. vers. si autem & in c. Bona memoria 36, in fine sup. De elect. & elect. pot.*

31 Caterum hic quaeritur, An omnes patronos propter actum præsentationis convenire necesse sit? In qua quaestione explicandâ utitur Dd. hac distinctione, quemadmodum refert, & sequitur Andr. Butr. *ad c. 3, h. t.* ut si potestas præsentandi spectet ad plures patronos, tamquam ad colle-

gium, sive aliam universitatem, omnes convocandi sint, *c. Quia propter 42, §. 1. sup. De elect. alioqui præsentatio per absentes rescindi posset, d. l. 28, §. 1, & d. c. 36, in fine.* Sin verò ad plures, tamquam ad singulares personas pertineat, ut tunc nullâ opus sit convocacione, sed quilibet patronus sigillatim præsentare queat, *arg. text. in l. Perfundum 11, D. De servit. præd. rust.* Vecum quoad posterius membrum subdubitat Panorm. *ad d. c. 3, num. 14,* magis tamen propendet, quòd & hoc posteriori casu patronos omnes convenire necesse sit; aliâ enim frustra diceretur, majorem: & accidere posset, ut absens causa esset alius sententia, *l. Item si unus 17, in §. fin. D. De recept. qui arbit.* Nihilominus posterius membrum, negatâ primùm consequentiâ, salvam perhæsit: nam non præsentis solum, sed & ignorantis, atque absentes, negligi possunt, *per text. in d. c. 3.* imò magis per hanc Juris regulam: Qui potest in vitis alienare, multò magis ignorantibus, & absentibus, *l. 26, D. De R. I.* Nec obstat, quòd unius fortè absentis præsentatio traheret alios in aliam sententiam: nam hoc obtinet, ubi res communi consilio, & consultatione dirimenda est; ut in arbitris, de quibus agit rexus *in d. l. 17, §. fin.* at in præsentando magna deliberatione patronorum opus non est, cum ea pendeat ab Episcopi institutione, qui æstimabit, an præsentatus institutione dignus sit.

Cæterum, quòd dicitur, præsentatum à majori parte patronorum præferendum, & instituentum esse, duobus modis restringitur: uno, si scandalum timeatur; altero, si intra tempus legitimum præsentatio facta non fuerit: quibus casibus præsentatio pertinet ad Ordinarium, *per text. in d. cap. 7.* Quantum verò tempus illud sit, dixi suprâ ab initio, & latius suo loco explicabo.

In Cap. Quoniam 3. junctis c. Quia Clerici 6. cum c. seq. c. Cum sæculum 13. c. De jure 16. c. Suggestum 20. & c. Præterea 13.

SUMMARIÆ.

1. Ius patronatus quibus modis constituitur.
2. Constituitur fundatione.
3. Constructione.
4. Quid si me in fundo meo quis construat Ecclesiam?
5. Quid si dominus feudi in fundo feudali?
6. Quid si Clericus ex fructibus beneficii sui?
7. Acquiritur & assignanti domum suam, in ea convertatur in Ecclesiam.
8. Præterea acquiritur donatione.
9. Etiam doct. collatâ Ecclesia antea consecrata.

10. Si plures dotem conferant, omnibus acquiritur.
11. An qui construxit teneatur & dotare?
12. An jus hoc acquiratur coacto dotare?
14. Semper tamen Episcopi consensu interveniente.
15. Legans vel donans simpliciter quid Ecclesia non dotata an hoc ipso efficiatur ejus patronus?
16. Quantum dotis nomine constituendum sit.
17. Jus patronatus antea constitutum qualiter ad alium transferatur.
18. Donari potest, etiam laico.
19. Item permutari cum alia re spirituali.
20. Vendi, locari ad longum tempus, in sepulchri cum universitate.
21. 23. Quid si in venditione universitatis nominatim fiat mentio hujus juris?
22. Feudo vendito, in quo constructa est Ecclesia, an transiat jus patronatus.
24. Universitate pignori obligata non transit.
25. Jus patronatus contra Ecclesiam liberam an prescribi possit?
26. An contra alium patronum?

Cap. 3, hujus tit. supra exposuimus nisi quod dicitur dispiciendum sit, quod ex eodem notant Dd. videlicet ex fundatione Ecclesie acquiri jus patronatus, quod satis indicat & ipse text. & explicatius habetur in cap. Nobis fuit 21, §. 1, in f. od. Ut autem res tota planior reddatur, non solum de fundatione, sed & de aliis modis acquirendi juris patronatus hic ex professo agemus.

Quare sciendum est, jus patronatus vel ab initio constitui, vel antea constitutum ad alium transmitti. Constituitur vel fundatione, vel constructione, vel dotacione: transmittitur in alium vel per viam contractus, vel per ultimam voluntatem. Atque de his singulis ex ordine pertractabimus; de prescriptione vero, an & qualiter jus patronatus per prescriptionem acquiratur, postremo subjiciemus.

Itaque fundacione constituitur sive inducitur jus patronatus, si fundus donetur vel relinquatur, ut in eo Ecclesia excitetur, d. cap. 25, §. 1, cap. 6, in pr. sup. De filiis presby. can. 4, xviii. qu. 1, Roch. Curt. ad Rubr. hujus tit. in verbis, Ecclesiam fund. num. 5. Verum hujus fundacionis acceptio vulgo vix frequentatur, cum omnes soleamus fundatores vocare, qui Ecclesiam, vel Monasterium extruxerunt; quod nec alienum est a jure nostro, per text. in cap. 3, in pr. sup. De

testam. in can. Pia mentis 26, cum can. seq. xvi. quast. 7.

Constructione vero inducitur jus patronatus, quando quis Ecclesiam consensu Episcopi extruxit, per text. in d. cap. 25, §. 1, & in can. Monasterium 33, ead. q. 7. Intellige expensis suis; nam ad fabros, aliosque operarios, qui constituta mercede operas suas locant, hæc constructio referri non debet. Addidi, ex consensu Episcopi; nam aliter Ecclesie ædificatio non permittitur, per text. in can. Nemo 9, de consecr. dist. 1, & Nov. 5, de Monachis c. 1.

De donatione dicam paulo infra, ubi aliquot quæstiones prius resolverimus, quarum hæc prima est, † Si me infcio in fundo meo constructuratur Ecclesia, mihi ne, an ædificatori acquiratur jus patronatus? Sunt, qui putant domino fundi acquiri, non constructori, eo quod in ædificatum solo cedat, l. Adeo 8 §. 10, D. De acquir. rer. dom. Sed id verum non est in Ecclesia, cum per hujus ædificationem auferretur domino invito, sive infcio fundi sui dominium, contra juris regulam: Id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non potest, l. 11, D. De R. l. & l. Non debet 74, D. eod. Quare dominus fundi poterit hoc casu propria auctoritate Ecclesiam demoliri, vel occupare, text. elegans in l. Quædam admodum 29, §. 1, vers. aliud est D. Ad l. Aquil. in l. Sed si 27, in pr. D. De servit. præd. urb. juncto cap. 1, & cap. 2, §. 1, inf. De novi oper. nunt. licet Petrus Costalius ad d. §. 1, l. 29, secutus Alex. contra existimet, Ecclesiam scilicet in solo meo ædificatam propria auctoritate à me destrui non posse; sed magis velit, ut hac specie solum cedat ædificio, ob favorem religionis, per text. in l. Ossa 8, in pr. D. De relig. & sumpt. fun. Quam sententiam probare non auctim, cum pugnet cum d. §. 1, l. 29 & d. l. 27, in pr. neque religionis favor tantus esse debeat, ut præjudicium alteri adferat, d. cap. 1, & 2, inf. De novi op. nunt. Non obstat text. in d. l. 8, in pr. quo prohibetur dominus fundi ossa defuncti ab alio illata effodere sine decreto Pontificali, vel jussu Principis; quia id publicæ utilitatis causa receptum est, ne insepulta corpora jaceant, l. Sunt persona 43, D. De religiosis & sumptib. & fun.

Uno tantum casu alieno fundo Ecclesia recte imponitur, videl. fundo feudali ab ipso domino feudi. Nam, si domino feudi permittum est

alienare feudum invito vasallo in Ecclesiam, ut est text. in tit. 13, lib. 1, Feud. multo magis poterit Ecclesiam edificare in feudo à se vel majoribus suis concessio, cap. 53. De R. l. lib. 6. Ut tamen hoc casu æstimatio vasallo præstetur, vel aliud feudum æquivalens a domino: quod non æquæ admissum est in vasallo, tit. 9, §. un. lib. 2, Feud. Et tit. 55, in pr. vers. Habito eod. sicut rectè explicat Baro Schenck, ad dict. tit. 13. Loquimur verò de Ecclesia nondum consecrata, aliud enim est in consecrata Ecclesia, quæ à domino fundi occupari, vel demoliri non potest, licet æstimatio fundi à constructore restituenda sit domino, per text. in can. 1. XIV. quæst. 6.

6 Secunda quæstio est, Si Parochus, vel alius Clericus ex redditibus beneficii sui Ecclesiam, vel Capellam edificavit, an ipsi acquiritur jus patronatus? Et magis est, jus patronatus Clerico quidem, dum superest, acquirit, post mortem verò ejus pertinere ad Ecclesiam suam, ex cujus redditibus Ecclesia, vel Capella constructa fuit: nam idem evenit in omnibus aliis juribus per Clericum acquisitis ex bonis beneficii sui, per text. in cap. fin. sup. De pecul. Cleric. in cap. Relatum 12, sup. De testament. Ut tamen nomine Ecclesiæ intelligatur successor defuncti, si hic exera collegium vixit, cæterùm, si de collegio fuerit, quales sunt Canonici cathedralis, vel collegiatæ Ecclesiæ, jus patronatus ad totum collegium spectet, juxta distinctionem d. cap. 12, in fine. Ubi verò Clericus de bonis patrimonialibus Ecclesiam, vel Capellam extruxit, dubium non est, quin non tantum sibi, sed & suis heredibus jus patronatus acquirat, can. 1, §. seq. xii q. 3. juncto can. fin. ead. quæst. 3, cap. 13. Et ibi. Dd. sup. De success. ab intest. Quibus consequens est, ut, si Clericus in proprio fundo Ecclesiam edificet ex redditibus suis, vivens quidem integrum jus patronatus habeat, post mortem autem suam partim ad Ecclesiam ratione sumptuum transferrat.

7 Tertia quæstio est, An, si quis domum suam assignaverit, ut ea in Ecclesiam convertatur, jus patronatus consequatur? Et rectè responderi solet, ut dicitur in d. Rub. hujus tit. num. 14 in verbis, Ecclesiam fundavit, quod sic, adhibitis tamen solemnitatibus d. cap. 9, de consecr. dist. 1. Ut hinc notandum sit, ex sola quidem fundatione, sive constructione jus patronatus acquiri, sed interim esse in pendentem, donec dos Ecclesiæ

ab ipso fundatore, vel constructore, vel etiam ab alio extraneo assignetur pro sustentandis ministris Ecclesiæ. Imò expressè jure cautum est, ne ante Ecclesiæ extruatur, quam dos ipsa assignata fuerit, d. cap. 9. aut saltem si constructa sit, ne absque constitutione dotis consecratur, text. est in cap. 8, inf. De consecr. Eccl. vel. alt.

Quod igitur ad dotationem attinet, per eam similiter acquiritur jus patronatus, c. 21. in pr. in verbis, vel dotavit, xvi q. 7, cap. 3, inf. De Eccl. adif. vel repar. Ut enim in matrimonio dos pro oneribus matrimonii sustentandis ex parte uxoris constituitur viro, l. 10, C. De jurè dot. ita & Ecclesiæ bona conferuntur sive assignanda sunt pro oneribus Ecclesiæ, puta pro exhibitione ministrorum, pro luminaribus, aliisque rebus necessariis, d. cap. 9, §. cap. 2, Nov. 67.

Atque hæc indubitata sunt in dote, quæ nondum consecrata Ecclesiæ constituitur; sed disputationis est de dote collata Ecclesiæ antea consecrata: sunt enim, qui existimant, dotando non acquiri jus patronatus, cum rei factæ servitus imponi non possit, l. Servitutes 14, §. fin. D. De servit. jus autem patronatus sit species servitutis, ex sententiâ Glos. Et aliorum hic ad cap. 3, Verùm contrarium rectè putat Innoc. ad Rub. h. tit. sub. num. 2, hac ratione ductus, quod sine adminiculo rerum temporalium non possit Ecclesiæ inserviri, can. Pastor 1. quæst. 3. ideoque satius sit, etiam post consecrationem Ecclesiæ, dotem constitui, ne Ecclesiasticum ministerium pereat: nam & idem admissum est in matrimonio, in quo etiam constante consensu potest, l. Si constante 9, C. De donat. ante nupt. §. est Et aliud vers. Sed primus Inst. De donat. Et hanc sententiam, quod ex tali dotatione jus patronatus acquiratur, communi calculo approbatam refert Roch. Curt. in d. Rub. in verb. Et dotavit, num. 4. Dum tamen antea Ecclesia dotata non fuit; siquidem ex posteriori dotatione nullum jus patronatus oriretur, ne præjudicaretur juri prioris dotatoris, cum quo alioquin in præsentando concurreret, & sic deterior fieret, ejus conditio, contra juris regulam l. Non debet 74, D. De R. l. Ita ex sententiâ Panor. Roch. Curt. d. loco. Non movet, quod de servitute dictum est; quia jus patronatus non est species servitutis, cum neque personalis sit, neque realis, sed jus quoddam, quod beneficio SS. Canonum

nonum in vicem ejusdem remunerationis patrono conceditur, quod naturali quadam ratione fit, cap. 7, in pr. sup. De testam. Et l. Sed & si lege 25, §. 11, D. De hered. pet. jus quasi spirituale live spirituali adnexum, c. 16, in h. tit. Et cap. 13, sup. De jud. quod non est absurdum acquiri, cap. 35, in. sup. De causa poss. & proprie.

10 Non tamen dubium est, si plures eodem tempore in dotatione concurrant, quin omnes simul in jus patronatus admittantur, etiam si unus plus, alter minus conferat, sicut ex Gloss. Et Innoc. tradit Panorm. ad rubr. h. tit. num. 63, (putat tamen Joan. Grod. ibidem num. 21, vocem ejus, qui plus contulit, majoris ponderis esse debere, quam qui minus; quod rationis est.) unum scilicet quilibet causam ejus habeat. Quod idem dicendum est, et si plures sint fundatores vel constructores, ob eandem rationem, sicut eleganter tradit Panorm. d. loco. Ubique tamen ea adhibita moderatione, quam ex Joanne Grodo in pluribus dotationibus jam tradidimus.

11 Ubi rursus aliquot incidunt quaestiones. Prima est, An, si quis forte Ecclesiam construxit, teneatur eandem dotare? Ercertum est, teneri per text. in cap. Cuius sit 8, in. De consecr. Eccles. Et cap. 9, d. consecr. dist. 1. Exemplo patris, cujus officium est, dotare filiam, l. fin. C. De dotis promiss. Imò consecratis, qui construxit, tacite se obligasse ad constitutionem dotis, idque quadam necessariâ consequentiâ, si quidem Ecclesia absque ministeriis nulli usui esse potest, argum. l. Legatis 6, D. De alim. vel cib. leg. Et l. fin. §. un. D. De off. eius, cui mand. est iuris. Quare idem erit, & si sine dote Ecclesia jam consecrata fuit, propter eandem rationem, per text. in d. cap. 8, De consecr. Eccles. Quod si verò constructor ad dotandum idoneus non sit, tum in subsidium compelleretur Episcopus, qui consecravit, ad dotandam Ecclesiam ex bonis Ecclesiae suae, si id sine enormi laesione fieri potest: aut ex bonis patrimonii sui, si quod habet, secundum ea, quae tradit Panorm. ad d. cap. 8, Et facit text. in cap. 2, Et in cap. Cuius secundum supra De prob. Et dignit.

12 Altera quaestio est, quae ex priori descendit, An coactus dotare à Judice nihilominus acquirat sibi jus patronatus? Quod omnino negat Roch. Curt. ad Rubr. h. tit. in verb. Et d. dotari num. 7 sex rationibus motus, quarum haec potissima est: quod, sicut heres perdit Trebellianicam, si coactus adeat hereditatem, per text. in l. Nam quod 14, §. 4, Et in l. Si patroni 55, §. 3, D. Ad S. C. Trebell. ita & illic jus patronatus. Reliquas rationes, quia levi-

cula sunt, consultò omitto. Eandem sententiam sequitur Joannes Grod. ad Rubr. h. tit. numer. 32, cum seq. cum distinctione tamen, ut ibidem videre est. Mihi verò æquius, & humanius videtur, coactum non minus, quam volentem, acquirere jus patronatus. Tamen si enim coactus dotem contulit, non tamen coactus à principio se huic oneri subjecit, sed liberè. Jam verò constat, in dotatione, quae spontè facta est, donatorem non privari beneficio legis, ne ultra, quam facere potest, condemnatur, (relictis scilicet sibi alimentis) etiam si à Judice ad solvendum cogatur, l. Inter eos 19, §. un. D. De re jud. junct. l. 173, in pr. D. De R. l. Idque & in dote marito promissa receptum est, l. Non tantum 20, cum l. 21, Et 22, in pr. D. De re jud. non igitur & in praesenti quaestione dotans beneficio juris patronatus privari debet. Non movet text. in d. §. 4, l. 14, Et in d. §. 3, l. 55, nam quod heres coactus adire hereditatem perdat Trebellianicam, & cetera commoda hereditaria, in odium heredis introductum est; cum indignum sit, ut is ex bonis defuncti aliquid percipiat, qui supremas defuncti preces destituit, vel contempsit, d. §. 3. Quod secus est in proposita quaestione; cum coactus ex praestatione dotis ius patronatus iam à principio sibi loco cuiusdam remunerationis additum rectè consequatur, Roch. de Curte loco sup. cit.

Succedit hic tertia quaestio, An ius patronatus ipso iure acquiratur; an verò etiam contestatione opus sit? Hanc quaestionem fusillimè disputat Cael. Lambert. De iure patron. lib. 1, in 2, quast. princ. arc. 4, p. 1, ubi concludit, ex communi Dd. opinione, ipso iure acquiri, dummodò expressè non remissum sit; probat text. expressus in c. Significavit 41, in pr. sup. De testib. in cap. Nobis fuit 25, in h. tit. can. Piamensis 26, Et can. Decernimus 31, xxi. quast. 7 vel Ecclesia ex rebus simpliciter donatis, vel legatis fundata, sive constructa sit, & c. ut seq. quast. contraria huic communi sententia. Vide d. loco apud Cael. Lambert. quae cum soluta facillima sint, non attinet huc referre.

Observandum tamen, ut iuri patronatus locus sit, quod in fundatione, constructione, & dotatione intervenire debeat consensus Episcopi, per text. in d. cap. 25, Et ubi d. in. h. tit. in d. can. 9, de consecr. dist. 1, Eius nempe meritò est dispicere, quo loco, & quomodo Ecclesia construatur; an etiam dos assignata sufficiens sit; item an qui dotat in patronum admitti debeat, d.

d. can. 9. Et in hac sententia est Roch. Curt. ad rubr. hoc tit. in verbis. pro eo, quod de diocessani consensu.

15 Quarta questio est, An, si quis simpliciter aliquid Ecclesie non dotatae donet, vel leger, hoc ipso efficiatur patronus ejus? Et quidem Panorm. hic ad cap. 3. num. 10 existimat, non effici. Eiusdem sententia sunt Innoc. Joan. Andr. & Card. Flor. quos refert Roch. Curt. *sup. d. loco, in verbis, & dosavit, num. 9. & recte;* verum iudicio aliorum ex verbis *donet, leget, male iaserunt simpliciter.* Si enim statim consecutus Episcopi accedat, dos intelligitur, *per text. in d. can. 26. xv. quest. 7. nam ex intervallo nulla conditio, nullum onus adjici potest, propter jus jam quæsitum donatario, c. 3. §. fin. inf. De censib. & l. fin. D. De pactis.* Licet aliud sit in legato, quod quovis tempore à testatore revocari potest, *tot. ist. D. De adim. leg. eique multò magis conditio adjici, ut scilicet in dorem Ecclesie convertatur: accedente nimirum consensu Episcopi.* Quæ eadem obtinent in Capellis, cum non minus ex fundatione, constructione, & dotatione Capellæ, quàm Ecclesie, jus patronatus oriatur, sicut docet Cæsar. Lambert. *in tr. De jure patron. lib. 1. art. 6. §. 11. q. princ. in 1. parte.*

16 Cæterum quæritur Dd. quantum dotis nomine constituendum sit? Et rectè censet Gl (quam & singulariter commendat Panorm. ad cap. 3. num. 4. De Eccles. adif.) ad d. can. 30. xvi. quest. 7. tantum, quantum sufficit ministrorum exhibitioni, & luminarium; nec enim propter rem modicam induci debet jus patronatus, *per text. in d. can. 9. de consecr. dist. 1. alias Ecclesiasticum ministerium expediri non possit, cap. Proposuit 6. sup. De filiis presbyte.* Hoc tamen observato, ut, si Ecclesia sit collegiata, dos constituatur secundum numerum Clericorum collegarum, & qualitatem collegii: si non, cujusmodi sunt ut plurimum parochiales Ecclesie, tanta, quæ ut minimum sufficiat uni presbytero exhibendo cum ministro, cum presbyter solus divina officia peragere non possit, *d. c. 6. & tradit Panorm. ad c. 8. inf. De consecr. Eccles.* Atque hæc de modis constituendi vel inducendi juris patronatus, (de præscriptione infra commodius agemus,) quibus conjunge, quæ habet Concil. Trident. *Sess. 4. cap. 12. de reform. & Sess. 25. cap. 19. de reform.*

17 Nunc breviter videamus, quibus modis jus patronatus antea constitutum in alios transferatur. Et quidem supra in præ horum cap. monuimus, id duplici vi fieri: aut per contractum, aut per ultimam voluntatem; non tamen per quemlibet

contractum, sed tantum ex causa donationis, permutationis, venditionis, vel locationis cum universitate.

Quòd enim donari possit jus patronatus, etiam laico, probat text. in c. Illud 8. & c. Ex insinuatione inf. hoc tit. ita tamen, ut, si laico donatum sit, consensus Episcopi accedat; si verò Ecclesie, vel alteri religioso loco, Episcopi consensu opus non sit, *c. un. in pr. eod. tit. in 6. & d. c. 8. Panorm. post Hostien. & alios ad d. cap. 8. num. 4. cum seqq. & est recepta Da opinio, ut testatur Roch. Curt. ad Rubr. h. tit. in verbis, ipse velus, num. 31.* Idem autem in donatione facta laico requiritur consensus Episcopi, ut scilicet is cognoscat, an expediat Ecclesie mutari patronum: possit enim in eum transferri jus patronatus, quem non expediret Ecclesie habere, veluti in tyrannum, aut potentiorum; & sic Ecclesie conditio deterior redderetur. Panorm. *jam d. loco:* item fieri, ut & esset venditio, quæ in jure patronatus est prohibita, *cap. De jure inf. ad, nisi cum universitate, ut inf. dicitur.*

Quòd verò ex causa permutationis in alium possit transferri jus patronatus, constat ex can. Nominis 40. xvi. quest. 7. quem can. ad confirmandam hanc sententiam inducunt Glos. ad cap. 13. inf. eod. & Innoc. ad Rub. hoc tit. num. 4. circa fin. & Hostien. in Summa eiusdem tit. §. qualiter trans. ita tamen, ut hæc permutatio fiat cum alia re spirituali, veluti cum alio jure patronatus, vel jure decimarum: nam jurium spiritualium inter se permixta est permutatio, *cap. Ad questiones 6. §. fin. sup. De rer. permut. & c. un. eod. tit. in 6. non verò rei spiritualis cum temporalis, c. fin. sup. d. 1. & c. Super eo 7. sup. De transact.* quia spiritualia nullam æstimationem recipiunt, *l. 9. in fine D. De divis. rer.* Et licet jus patronatus merè spirituale non sit, sed adnexum spirituali, idem tamen de eo, quod de spirituali iudicium est, *cap. Quia Clerici 6. inf. hoc tit. & cap. 3. sup. De jud.*

Quòd venditio, locatio (ad longum tempus scilicet) & infœdatio juris patronatus cum universitate licita sit, probat text. in c. Ex literis 7. & in d. cap. 13. inf. h. tit. Nominis autem universitatis veniunt hereditas, bonorum possessio, *l. Item veniunt 10. §. non solum 10. D. De hered. per. & l. 1. §. un. D. Quorum bon. item civitas, pagus, castrum, & similia, §. 6. Inst. De rer. divis. & cap. Cum Bertoldus 18. in pr. sup. De sent. & rejud.* Sola enim vendi aut alienari prohibita, si, ut hic, accedant, per universitatem non absurdè transferuntur, *per text. in l. Quædam 62. D. De acquir. rer. dom. & l. in modicis 24. D. De contrah. empi. juncto c. 42. De R. l. lib. 6.*

21 Sed hinc quaestio est, cum jus patronatus per se vendi non possit, *cap. 16, hoc tit. an, si in venditione universitatis nominatim ejus mentio fiat, transeat?* Quam quaestionem prolixè disputat Roch. de Curte, *ad Rub. hoc tit. in verbis, ipse velis, num. 46, cum aliquot seqq. & tandem videtur acquiescere in hac distinctione Panorm. ut, si dicatur, *Vendo pagum, & jus patronatus, illud, tamquam æque principaliter ex eorum sententia cum pago veniens, non transeat, d. cap. 16, contra, Si vendo pagum cum jure patronatus: quasi per quamdam consequentiam sive accessione, quam denotat dictio cum. Verum hæc distinctio nudis verbis nititur, non rei veritate, siquidem in jure hæc distinctio, & cum, eodem sensu accipiuntur, per text. a. pertum in l. Si quis 7, D. De usufr. accres. in l. Illi cum illo 40, D. De usu, & usufr. leg. & c. in l. Triplex 142, D. De verb. sign. Ideoque magis existimarem, utroque distinctionis membro jus patronatus rectè transire cum universitate, quasi declarationis causâ juris patronatus expressio sive adjectio facta sit; cum taceret ipsi universitati insit. Certi autem juris est, per declarationem nihil novi ad jici rei, de qua agitur, l. Heredes 21, §. 1, D. Qui testam. fac. poss. etiam in rebus spiritualibus, *cap. 4, sup. De elect. & tradit. Navarr. in Man. cap. 23, num. 100, circumd.***

22 Ceterum majoris controversiæ est, An, si tantum unus fundus vendatur, in quo Ecclesia constructa est, etiam jus patronatus ejusdem Ecclesiæ transferatur cum ipso fundo? Quod negant communiter Dd. teste Panorm. *ad d. cap. 13, inf. eod.* quia fundus non sit res universalis. Sed contraria opinio verior videtur, quam sequitur Joan. Grod. *ad c. 7, inf. eod. numer. 35, & probat text. in l. Si mercedem 53, §. 1, D. De actionib. empti & vend. Negari enim non potest, quin & in solo fundo jus patronatus accessorie veniat; tum etiam quod & fundus rei universalis nomine contineatur, ut est text. in l. Cùm fundus 10, D. De legat. 2,*

23 Quod autem supra dictum est, per locationem universitatis transire jus patronatus, restrinximus scilicet ad locationem longi temporis, id est, decem aut plurium annorum, *per text. in d. cap. 7, quod nimirum per locationem tanti temporis transeat utile dominium in conductorem, l. 1, §. 3 D. De superfic. junctâ l. fin. C. De præscr. longi temp. ergo simul jus patronatus. Similiter accidit in fundo, *cap. 13, inf. eod. junctâ tit. 8, in pr. vers. Rei autem lib. 2, de Fens. unde idem erit & in rebus dotalibus, propter**

l. Dotem 30, C. De jure dot. & in §. 1, Inst. Quib. alien. licet vel non.

Quare secus est in creditore, cui universitas pignoris nomine obligata est, *per text. in d. c. 18, sup. De sent. & rejud. nam non solum in illum non transit utile dominium, sed ne quidem ullum commodum rei pignoratæ, l. 1, & l. 2, C. De pig. act. In quo distinguendum est jus pignoris à contractu venditionis, qui initus est cum pacto retrovendendi: nam, cum antequam redimatur, rei emptæ dominium maneat penes emptorem, l. 2, C. De pactu. inter empt. & vend. dubium non est, quin & jus patronatus, secundum ea, quæ jam dicta sunt.*

Superest ut de præscriptione agamus, quatenus per eam acquiratur jus patronatus. In quo duplex inspectio adhibenda est: una circa Ecclesiam liberam, altera circa patronatum. De priorè magna inter Dd. controversia est, ut latissimè videre est apud Cæs. Lambert. in tract. De jure patron. lib. 1, *quæst. 10, princ. art. 5, in 1, p. & Bald. de præscript. in 1. p. 5 princ. quæst. 9, Verum receptior opinio est, jus patronatus contra Ecclesiam liberam præscribi non posse, ut tradit Covarr. 2. par. Relect. §. 10, num. 2, in cap. Possessor 2, De R. l. lib. 6, idque in laico planum ostendere nititur Panorm. in cap. Querelam 4, num. 9, sup. De elect. hoc argumento, ut ipse loquitur, invincibili. Certum est, inquit, quod laicus non potest possidere jus spirituale; ergo nec præscribere, *cap. Causam 7, sup. De præscript. Idem verò judicium est de adnexo spirituali, quod de spirituali, cap. Quando 3, sup. De jud. cap. Præterea 9, sup. De transact. & d. cap. 10, inf. hoc tit. Neque obstat subicit Panorm. quod ius patronatus à laico quoque possideatur: nam id fit ex causa foundationis, constructionis, vel dotationis; ut scilicet eò facilius laici inducantur ad fundandam, &c. Ecclesiam, quod certè beneficium ad alias personas transferri non debet, quàm quæ fundarunt, construxerunt, & c. *cap. 9, inf. De priv. Verum huic rationi obstant textus in d. cap. 24, & in cap. 13, De elect. lib. 6, quibus contrarium docetur: & convincit aperta ratio hæc, quod ea, quæ privilegio acquiruntur, possint etiam præscriptione acquiri saltem immemoriali, per text. in cap. Super quibusdam 26, vers. præterea inf. De verb. signif. & in l. 3, §. 4, D. De aqua quotid. nemo autem negat, quin ius patronatus beneficio S. Pontif. laico competere possit, *arg. c. 22, dist. 63, junctâ c. 2, §. 1, De præben. & dig. lib. 6, ergo & præscriptione immemoriali, d. cap. 26, Quo fit, ut contraria opinio de in-****

de jure verior sit, quam & confirmat idem Covarr. *sup. alleg. loco, Conc. Trident. Sess. 23, cap. 9, in decreto de reform.* dummodò ea præscriptio sit immemorialis *d. cap. 24, sup. de elect.* nam in hujusmodi præscriptione tituli probatio non exigitur, sed præsumitur, *c. 1, De præscrip. lib. 6, §. 4, l. 3.* Nec movet supra dicta ratio Panorm. nam fallum est, laicum possessionis juris patronatus incapacem esse, *per text. in cap. 24 inf. hoc tit. & in c. un. eod. in 6.* Deinde, cum in immemoriali præscriptione titulus præsumatur, ut jam dictum est, is profectò necessariò constabit vel ex fundatione, vel constructione, vel dotatione.

26 Quo verò ad alteram speciem de Ecclesia patronata, Dd. passim in eam sententiam descendunt, quòd hoc jus contra alterum patronum

præscribi possit, ut testatur Covarr. *sup. d. loco, vers. hæc autem ratio, & Bald. d. quasi 9, num. 3.* Non tamen hanc præscriptionem immemorialem esse oportet, sed saltem decem vel 20. annorum; uti fit in aliis juriibus incorporalibus acquirendis, in quibus sufficit, sciente adversario, longo tempore possedisse, *l. 10, §. un. D. Si servitus vindic. §. l. 1, C. De servit. & aqua.* Idque contra laicum patronum, locus contra Clericum, qui ratione beneficii, vel Ecclesie sue habet jus patronatus; nam in eo præscribendo opus esset quadraginta annis, ut in aliis juriibus Ecclesiasticis, *c. 4, & 6, sup. De præscrip.* Postremò quibus modis jus patronatus per ultimam voluntatem, vel ab intestato ad hæredes, sive ad legatarios perveniat, vide quæ dixi paulò antè hic, & ad c. 1, *sup. eod.*

In Cap. Nobis 25.

SUMMARI A.

1. Præsentatio à patrono intra quod tempus faciendâ.
2. Tempus illud quando currere incipiat.
3. Præsentatio ad beneficium non vacans non rectè fit.
4. In Ecclesia conventuali patrono electio non competit.
5. Electione tamen peractâ, rectè ejus ad sensus petitur.
6. An & patroni laici.
7. Patrono locus honoratior & alimenta præstanda.
8. Patronus extra casum inopia an aliquid petere possit.
9. An pecuniam recipere pro præsentatione.
10. Rectè providet Ecclesia patronatâ, ne bona ejus dilapidentur.

TRia hoc Cap. præcipuè continentur: primum, quòd ex constructione Ecclesie cum consensu Episcopi facta acquiratur construenti jus patronatus. Alterum est, quòd in Ecclesia conventuali (qualis est Cathedralis, & Collegiata, item Monasterium) patrono jus eligendi non competat, licet electione à collegio peractâ honestè ejus ad sensus petatur. Tertium est, quòd patrono in processione honor præ aliis deferatur; & si ad inopiam redigatur, modestè ipsi ab Ecclesia succurratur.

Primum aded obtinet, ut præsentatio à non patrono facta ipso jure nulla sit, *can. Decernimus 32, XVI. quasi. 7, c. Ex inscriptione 14, sup. h. tit. & c. 18, §. 1*

sup. De sent. & rejud. ubi laic. Panorm. num. 13, & Felia. num. 8, cum seqq. Hæc autem præsentatio, si patronus Clericus sit, intra sex menses; si laicus, intra quatuor fieri debet, *per text. in c. un. hoc nos. 1, lib. 6,* quo sensu accipiendâ sunt capitula hujus tit. in quibus aliquando sex menses, aliquando quatuor patroni præstuntur, *ut in c. 3, 22, & 27, alioqui decurso hoc tempore, aut patronorum contentione extracto, ad Episcopum devolvitur collatio Ecclesie, sive beneficii, jam dictis juriibus & c. Si verò 12, sup. eod.*

Currit autem hoc tempus præsentationis à tempore vacationis Ecclesie sive beneficii, *d. c. 22 hoc tit. & c. 2, sup. De suppl. negl. Prælat.* Idò magis putato à tempore notitiæ, ne fortè propter justam ignorantiam patronus à jure suo excludatur, *cap. 5, §. fin. sup. De concess. præb. & c. 3, sup. De suppl. negl. Prælat.* Diversitatis verò ratio inter laicum & Clericum hæc est; quòd, cum laico plures personæ (unam scilicet post alteram accumulando) præsentare permittitur, *c. Cum autem 24, & c. Pastoralis 29 in fine inf. eod.* ejus præsentatio jure meliori ad minus tempus restringi possit; ut qui in uno relevatur, in altero minus commodum sentiat, *arg. l. Eum qui 30 in pr. D. De jurejur.* Clerico verò, cui uni tantum à se præsentato adherere necesse est, *d. c. 24, & d. c. 29,* (ne scilicet inconstantia arguatur, quæ in Clerico turpissima est) merito longius tempus indulgetur.

Observandum tamen, quòd, sicut beneficium ante,

antequam vacat, conferri non potest. (ne scilicet inducatur desiderium mortis alienæ, c. 2, in pr. *Gr. 11, § fin supra De conces. prab.*) ita neque præsentatio fieri potest, c. fin. cod.

4 Quoad secundum de conventuali Ecclesia, idem ad patronum electio non spectat, quod Prælati in ea adsumi non possit, nisi per viam electionis ejusdem conventus sive collegii, c. *Quia propter 41, in pr. juncto c. 41, Gr. 1, in pr. sup. De elect.* aut saltem per viam postulationis, quæ in subsidium electionis à jure est introducta, c. 3, *Gr. 5, sup. De postulat. Pral.* Secus est in Capellâ, id est, in qualibet Ecclesia non collegiata, in qua jus præsentandi patrono competit, *juxta hunc text. vers. Secus & ibi Panormit. sub num. 3, qui similiter, post Joan. And. sub num. 6, rectè concludit, patronum tamen Ecclesiæ collegiatae habere jus præsentandi ad præbendas ejusdem Ecclesiæ. Idem tradit ad c. fin. De concess. prab. num. 3, ubi & communi Dd. calculo receptum esse testatur.*

5 Quod autem addit textus noster, quod factæ electioni honestus patroni adensus petatur, hanc rationem habet, quod ejus interstit, ut bonus Prælati Ecclesiæ patronatæ præficiatur, propter alimenta, &c. ut *inf. dicitur*, alioqui patronus contra eum excipere posset, *Glos. hic.* Quod si autem sine causa exceperit, nihil obierit ejus contradictio, sicut ex communi sententia tradit Panorm. *hic in fine.*

6 Sed majoris difficultatis est, quæ sententia sit horum verborum textus nostri, nisi aliter de sua jurisdictione obtineat, ut partes suas interponere debeat electioni tractanda. Sunt enim, qui putent, hæc verba exaudienda esse de patrono Ecclesiastico, si ita in ipsa fundatione expressum sit, aut legitimâ præscriptione sibi acquisiverit, c. 3, *in fine sup. De causa poss. & propr.* Alii etiam de laico intelligunt, dummodò habeat ex privilegio summi Pontificis; nam aliàs non posset, ne quidem ex consuetudine eligere, c. *Sacrofancta 15, in fine Gr. Massana 56, sup. De elect.* Utraque sententia in se vera est, sed textui nostro non convenit; siquidem eligere non est memoratæ jurisdictionis. Quare magis puto illum accipiendum esse de patrono laico, dummodò id habeat vel ex consuetudine, vel statuto; non tamen vox ipsius vim suffragii obtinet. *Innoc. hic. vel beneficio Summi Pont. per text. in can. Hinc est 39, xvi q. 1.*

7 Quod ad tertium attinet de processione, & ali-

mentis præstandis patrono, &c. is præ aliis laicis in Ecclesia sua honorabiliori loco est, in memoriam scilicet beneficii collati Ecclesiæ. Eique alimenta præstanda sunt, si ad inopiam redigatur, *tex. hic in fine & in can. Quicumque 30, xvi q. 7, modo de stè tamen, ut legitur text. nost. ibid. id est, habitâ ratione facultatum Ecclesiæ, & personæ patroni, sicut rectè explicat Glos. hic.* Nam in primis necessitatæ impensæ deducendæ sunt, deinde ex superfluo succurrendum patrono. *Panorm. hic num. 6, imò ejus & uxori, filii, totique familiæ, quatenus eâ carere non potest, quemadmodum latè deducit Cæs. Lambert. in tract. de jure patron. lib. 3, art. 8, tertio p. princ. alioquin frustra patrono succurreretur facit text. in l. Legatis 6, D. de alim. vel cib. leg. 6, 2, Inst. De usu & habit.*

8 Sed hic quaeritur, An patronus extra casum inopia possit aliquid petere ab Ecclesia patronata in recognitionem juris patronatus? Et verius est non posse, nisi quid exceptum sit tempore fundationis cum consensu Episcopi, ut est text. in cap. *Præterea 23, h. tit. & ita ex facto respondit Panorm. ad d. cap. 23, in presbytero, quem populus compellere volebat ad præstandos cereos in hujusmodi recognitionem. Adde Concil. Trident. Sess. 25, cap. 9, vers. patroni autem, in decr. de reform.*

Cui ad finem est & hæc quaestio, An patronus possit recipere pecuniam pro præsentatione? Et breviter respondetur, quod non; aliàs enim in Simoniam incideret, cap. *Præterea 9, sup. De transact. cap. 11, §. un. inf. de Sim. Gr. & cap. Tuanos 11, sup. De iur. jur. Panorm. ad d. c. 14, n. 2, h. tit.*

Permissum verò est patrono Ecclesiæ patronatæ curam gerere, ne sacerdos, vel alius minister Ecclesiæ, bona Ecclesiæ dissipet: nam hoc nomine eum admonere potest, vel Episcopo denuntiare: qui si negligens fuerit, adire Metropolitanum, *juxta Conc. Tolet. 1x in can. Filiis 31, xvi q. 7, non tamen à sacerdote, sive ministro rationem administrationis suæ exigere, cum ea Episcopo competat, can. Noverrint 6, x q. 1, præterquam si patronus Ecclesiasticus sit, c. 3, vers. In Ecclesiis inf. De privil. & excess. priv. c. Ex literis h. 1. & ibi Panorm. Et hæc de jure patronatus sufficiant.*

IN TIT. XXXIX. DE CENSIBUS, EXACTIONIBUS, PROCURATIONIBUS.

SUMMARI A.

1. Censur quid, & quibus solvendus.
2. Censur novus imponi non potest, nec vetus augeri.
3. in qua moneta solvi debent.
4. Exactiones quid, & à quibus imponantur.
5. Procuraciones quid, & quibus debita.

Quamvis tractatus de censibus sive redditibus annuis ab Auctore an. 1609, editus ob similitudinem aliquam hic subjungi possit; quia tamen redditus annui majorem affinitatem habere videntur cum usuris, ideo à tractatu de Usuris divelli non debuit.

1. Agitur verò hoc Tit. de censibus, exactionibus & procuracionibus, ut sunt onera Ecclesiarum, uti & jus patronatus est onus quoddam.* Per Censur enim hic intelligitur onus reale Ecclesie impositum sive qualibet pensitatio, quæ ab Ecclesiis, vel Monasteriis, aliisve piis locis, debetur superioribus Prælatibus, in signum subjectionis, c. 2, h. t. protectionis, c. Receptimus inf. de privil. aut acceptæ libertatis, c. Constitutus 6, sup. de relig. domib. D. Canis. in Summa lib. 2, tit. 25, §. 3, vel etiam inferioribus, ut patronis, sive Clericis sive laicis, idque intuitu fundationis aut dotationis, c. Præterea 23, sup. de jure patron.* Et quidem ab initio, dum fundatur, dotatur vel eximitur Ecclesia; postea verò novi census imponi non possunt, ita nec veteres augeri, c. 3, c. Prohibemus 7, & cap. Significavit 13, h. t. Quod & ad laicos extensum est, qui nova vectigalia instituere prohibentur sine consensu & auctoritate Principis, sub pœna excommunicationis, c. Innovamus 10, h. t. Sed neque census aliquis, ab Ecclesia licet longo tempore solutus, in posterum solvi debet, nisi doceatur da justa ejus solvendi causa. Oportet quippe, ut omnis census, ad quid & quando persolvi debeat, præsciatur, c. Pervenis 5, h. t.

3. Quia verò census hic constitui & solvi ut plurimum in pecunia numerata solet, cujus æstimationem contingit sæpius nunc augeri, nunc minui, quæ situm est, quâ in moneta solvendus sit census; Et Resp. summus Pont. in antiqua moneta,

ta, sive ad æstimationem ejus monetæ, quæ in usu erat, dum census primùm constitueretur, c. Olim 20 & c. penult. h. t. nisi ei juri præscripserit is, cui census debitus est, d. c. 20.

Exactionum (de quibus est altera pars hujus Tit.) nomine veniunt tributa & vectigalia, aliæque similes pecuniaræ collectæ seu pensitationes: quæ vel à Principibus sæcularibus imponuntur, isque præstantur, ut pedagia, guidagia, & similia onera personalia, quæ personis rebulve Ecclesiasticis imponi verantur, cap. pen. h. t. in 6, nisi fortè publica necessitas vel utilitas aliud possulet. Quo etiam casu constringi per judicem sæcularem nequeunt, sed per Ecclesiasticum, ut latè prosequitur Panorm. in e. Non minus V ipsarum inf. de immunit. Eccles. Vel penduntur tributa Prælatibus Ecclesiarum, idque ex præscripto SS. Canonum, ut sunt Synodaticum, Cathedraticum, & alia id genus jura Episcopalia, c. Cum olim 19, h. t. & c. Super quibusdam inf. de V. S. Novis autem talliarum sive collectarum exactionibus Episcopi aut Prælati subditos suos gravare non possunt; sed tantùm permittitur, si fortè subsidio aliquo opus sit, petere à subditis moderatum auxilium, c. Cum Apostolus 6, §. prohibemus h. t. Quod vulgò vocant charitativum subsidium. Vide D. Canis. ad c. 2, & 4, inf. de immunit. Ecclesiar. & in Summa d. tit. 25, §. 6.

Procuraciones sunt expensæ, quæ præstantur Prælatibus, quibus ex officio incumbit visitare Ecclesias vel Monasteria, sive ille Episcopus sit, sive Archidiaconus, sive Decanus: idque singulis annis minimùm semel, c. Mandamus sup. de off. Archid. c. Congruente sup. de off. ordin. Canis. in Summa d. tit. 25, §. 7, & 8, Tenentur autem ii, qui visitantur, solas expensas vituales præstare, c. Si Episcopus 16, de off. ordin. in 6, Nisi malit beneficiatus certam summam pecuniæ, quod in ejus est optione, solvere. Joan. Papon. lib. 3, tit.

- 11, De jure visitat. in append. Arresli 1, V. A.

IN TIT. XL. DE CONSECRATIONE ECCLESIAE VEL ALTARIS.

SUMMARI A.

Consecratio in quo differat à reconciliatione.

Rectè sequitur hic Tit. de consecratione &c. quia proximè dictum est de censibus, solere scilicet imponi censum Ecclesiis tempore consecrationis. * Differat autem consecratio à reconciliatione, quia consecratur quod profanum omninò est, & nullo modo sacrum, vel quod

sacrum esse desit, veluti si parietes Ecclesiae corruerint. Reconciliatio verò fit per aspersionem aquæ benedictæ cum vino & cinere, c. *Proposuisse* 4, h. t. Et quod reconciliatur tamen si fuerit pollutum respectu nostri, verè tamen manet sacrum. Panorm. in c. *Consuluisse* 7, h. t. *Glos & Dd. eod. tit. in* 6, Vide D. Canif. in *Summa lib. 2, tit. 22, §. 6, & seqq. V. A.*

IN TIT. XLI. DE MISSARVM CELEBRATIONE, ET SACRAMENTO EUCCHARISTIÆ, ET DIVINIS OFFICIIS.

Traçtatur deinceps de Clericorum officiis, atque ira ordine de Sacramentis, inter quæ excellentissimum est S. Eucharistiæ, cu-

jus explicatio propria est Theologorum. Vide D. Canif. in *Summa lib. 2, tit. 5, & d. tit. 22, §. 2.*

IN TIT. XLII. DE BAPTISMO, ET EJUS EFFECTV.

Baptismus omnibus omnino necessarius est; ejusque administratio solis quidem Clericis erga sibi subditos ex officio competit: ita tamen, ut ea & à quolibet alio, etiam heretico atque infideli, utique in casu necessitatis facta vim & effectum suum habeat, *can. Solet etiam* 31, de

consecr. dist. 4. Nemo tamen in necessitatis articulo seipsum baptizare potest, sed inter baptizantem & baptizatum debet esse personarum distinctio, c. *Debitum* 4, h. t. Plura D. Canif. in *Summa lib. 2, tit. 3.*

IN TIT. XLIII. DE PRÆBYTERO NON BAPTIZATO.

Talis ordinis characterem non recipit, & proinde baptizandus, iterumque ordinandus, c. 1,

§. 3, h. t. Vide Canif. d. tit. 3, §. 7.

IN TIT. XLIV. DE CVSTODIA EVCHARISTIÆ.

VT autem quolibet tempore & in omnem necessitatem Eucharistiæ copia haberi possit, jubent Canones Eucharistiam & Chris-

ma fideliter custodiri, vasaque sacra & vestimenta nitidè conservari, c. 1, & 2, h. t. Canif. *lib. 2, tit. 4, §. 6.*

IN TIT. XLV. DE RELIQUIIS ET VENERATIONE SANCTORVM.

Nemini quoque dubium esse debet, Sanctorum invocationem, eorumque in sacris reliquiis, dierumque festorum celebratione venerationem magni faciendam esse, dummodò à Sede Apostolica solemniter in catalogum Sanctorum relati fuerint, c. 1, h. t. c. *unico eod.*

tit. in 6, juncto decreto Conc. Trid. Sess. 25, de reform. Vide doctissimè differentem de dierum Festorum apud Christianos celebrandorum more, ratione & origine Did. Covarr. lib. 4, Variar. resol. c. 19.

P p 2

IN

IN TIT. XLVI. DE OBSERVATIONE JEJUNIORUM.

Observatio quoque jejuniorum, sive eam sanctorum memoriam atque honorem, sive alia ex causa ab Ecclesia indicta & præcepta sint, diligenter commendanda & tenenda est; *c. 2, h. t.* Nisi incidat jejunium in diem Dominicum, quod tunc transferendum est in diem Sabbati præcedentem, *c. 1, h. t.* Si dies Nativitatis Dominicæ occurrat festâ sextâ, licitum est omnibus carnes comedere, exceptis professoribus & votantibus, *c. 3, h. tit.* De jejuniorum origine & observatione doctè Covarr. *lib. 4, Variar. respl. c. 20.*

IN TIT. XLVII. DE PURIFICATIONE POST PARTUM.

Lege Moisaicâ mulier post partum, si masculum peperisset, arcebatur à templo per dies 40, si femellam 80, *Levit. 12, can. 1, dist. 52.* Quod abrogatum lege Evangelii, quâ mulieri statim arque enixa est, si velit, permittitur ingredi Ecclesiam; quamvis piè fecerit, si aliquantisper abstinerit, *c. unico h. tit.*

IN TIT. XLVIII. DE ECCLESIIS ÆDIFICANDIS VEL REPARANDIS.

SUMMARI A.

1. Ecclesia nova sine auctoritate Episcopi ædificari non potest.
2. Nec in præjudicium antiqua.
3. Qui ad reparationem Ecclesiæ teneantur.

Spectat & ad Clericorum officium Ecclesiarum ædificandarum vel reparandarum cura. Ubi in primis norandum, nullam Ecclesiam de novo ædificari posse nisi auctoritate Episcopi, qui, præmissâ benedictione quadam loci ad eam rem destinari, ibidem crucem figat, atrium publicè designet, & dotem sufficientem eidem assignari curet, *can. Nemo Ecclesiam 9, De consecr. dist. 1.* Deinde novam Ecclesiam ædificari non posse in præjudicium antiquæ, *can. Quicumque 44, xvi. qu. 1.* Nisi hujus ita creverit paroecia, ut una omnibus Ecclesia non sufficiat, vel ob loci distantiam à paroecianis sine difficultate adiri non possit. Quo casu portio quadam proventuum veteris Ecclesiæ potest assignari novæ in dotem; acquiriturque tunc Ecclesiæ matrici jus patronatus in novam Ecclesiam, *c. 3, & ult. h. tit.* Reparatio verò Ecclesiæ ruinosa, primò quidem ex fabrica, id est æratio ad Ecclesiæ instaurationem instituta, procuranda est. Si ærarium non sufficiat, tunc Rectores Ecclesiarum & quicumque ibidem beneficia obtinent, ad reparationem cogi possunt, *c. 1, & 4, h. t.* Si nihil his ultra defectum paroeciani ad conferendos in eam rem sumptus necessarios cogendi sunt. Vide Conc. Trid. Sess. 27, c. 7, De reform. D. Peck tract. De reparandis Eccles. & D. Zipæum de Jure Pont. novo h. tit. V. A.

IN TIT. XLIX. DE IMMUNITATE ECCLESIARVM, COEMETERII, ET RERUM AD EAS PERTINENTIUM.

SUMMARI A.

1. Immunitas quid sit.
2. Munus quid, & quomplex.

Immunitas hoc loco nihil aliud est, quam vacatio munerum, sive, ut explicatius loquar, remissio à jure concessa ad non subcunda munera, *l. Munus 18, D. De verb. sig. quo modo accipitur in tit. D. De jure immunit.* Tribus autem modis munus accipitur: uno, pro dono, unde munera dari, mittive dicuntur; altero, pro onere, ut sunt tutela, cura, præstationes vestigalium, aliarumque rerum; tertio, pro officio; & hinc munera militaria, quò etiam referuntur decurionatus, magistratus municipales, & ea officia, quæ cum alijs

aliqua dignitate geruntur, sicut latius explicantur in d. l. 18, & in l. 1, in l. Honor 14, in pr. & in l. Munerum 1, §. 12, D. De munere & honoribus. Et primus quidem modus ab hoc tractatu plane alienus est, cum hoc immunitatis genus valde damnosum esset Ecclesiis: sed reliqui duo modi sunt nostri instituti, hoc est, quod Ecclesiæ, earumque personæ ab oneribus, & officiis sæcularibus

immunes sint. Præterea hæc plura alia privilegia Ecclesiis, aliisque locis religiosis indulta continentur; quod videlicet in iis sæcularia iudicia exerceri, adeoque profana tractari non possint: item, quod rei ad religiosa loca confugientes impunitatem consequantur; quæ, & similia etiam immunitatis nomine veniunt, ut in progressu latius.

In Cap. i. junctis Capp. 5 6. 9. 10.

SUMMARI A.

1. Iudicium sæculare in Ecclesiis exercere vetitum.
2. Etiam pietatis causâ.
3. Imò & in cœmeteriis.
4. Iudicia Ecclesiastica rectè in Ecclesiis exercentur.
5. Iudicium aliud contentiosum, aliud voluntarium.
6. Existens in Ecclesia an citari à iudice sæculari possit.
7. In Ecclesiis conventicula aut negotiationes exerceri non possunt.
8. Ut neque contractus profani.
9. 11. Reus criminis ab Ecclesia non eripiendus.
10. Immunitas hac cuius sit juris, divini an humani.
11. Excipiuntur publici latrones & nocturni agrorum depopulatores.
12. Immunitas ista competit Ecclesiis etiam non consecratis.
13. Extenditurq; ad atria, porticus & septa Ecclesiarum, usque ad 40, vel 30, passus.
14. Item ad cœmeteria, & domos Ecclesiæ, intra illos passus respectivè.
15. Quod & obtinet in cœmeteriis separatis.
16. Competit item palatio Episcopali.
17. Monasteriis & Hospitalibus.
18. An Oratoris privatis?
19. An SS. Eucharistia Sacramento, dum illud à Sacerdote publicum deferretur?
20. An Ecclesiis interditiis vel destructis?
21. Quam impunitatem hac immunitas tribuat.
22. Reus neque indirectè ex Ecclesia extrahendus.
23. Tantisper custodiri potest, donec constiterit, an dignus immunitate.
24. Quid si de factis extractus?
25. An gaudeat immunitate, quem iudex insequitur.
26. An captus & per locum immunem ductus?
27. Qui non gaudeant hac immunitate.
28. An quomodolibet delinquens in ipsa Ecclesia?
29. An sufficiat simpliciter delictum admissum esse, an sub spe immunitatis?

31. An prope Ecclesiam delinquens, & ad eam fugiens?

32. An armatus ad Ecclesiam confugiens?

33. Homicide an digni hac immunitate?

34. An eam indignum iudex sæcularis propriâ auctoritate inde abducere possit?

35. In dubio cuius sit cognoscere, iudicis sæcularis, an Ecclesiastici.

36. Clerici eadem immunitate an gaudeant?

Hæc Capitula, cum sint ejusdem argumenti, conjungam; in iis enim tractatur de immunitate, quæ ipsis Ecclesiis, & cœmeteriis ex præscriptione SS. Canonum, tum etiam juris Civilis, competit: quorum illud.

Primum, & præcipuum est, ne in Ecclesiis à iudice sæculari jus dicatur; maxime in causis criminalibus, c. 1, & c. Cum Ecclesia 5, h. tit. & c. 2, in pr. eod. l. lib. 6, ubi & processus & sententiæ in Ecclesiis latæ ipso jure infirmantur. Decet, inquit, textus ibi domum Domini sanctitudinem decet, ut cuius in pace factus est locus, ejus cultus sit cum debita veneratione pacificus. Concordat text. in l. 4, C. De his, qui ad Ecclesiam confug. Ut hinc constet, iudicem sæcularem in Ecclesiis exuere personam iudicis quoad exercitium jurisdictionis contentiosæ; nam de voluntaria dicam paulò infra.

Et hæc eadem obtinent, ut ne quidem ibi pietatis causâ iudicium exerceri possit; sicut rectè tradit Panorm. ad d. c. 5, h. n. 8, & cum præterea teneatur jus dicere in loco majorum suorum, l. penult. D. De just. & jure.

Non obstat textus in c. fin. sup. De feriis, quo, licet diebus festis generaliter iudicia interdican- tur, quemadmodum & jure Civilis, l. 3, & l. fin. in pr. C. De feriis, excipitur tamen causa pietatis, vel necessitatis, & cap. fin. quasi hinc argumentum valeat à tempore ad locum. Nam longè alia ratio est loci, quàm temporis: etenim diebus festis à iudicibus cessatur, ut pietatis opera detur; eisdem &

pia causa à iudice seculari eodem tempore rectè tractatur; non tamen in Ecclesia, ob prædicta.

3 Atque hæc de Ecclesiis ad cœmeteria quæque sunt transferenda, per text. in d. c. 5, h. 2. & in d. c. 2, eod. in 6, Neque interest, cœmeterium Ecclesiæ contiguum sit, siue disjunctum; cum prædicta jura simpliciter de cœmeteriis loquantur, ac proinde sine distinctione accipienda sint, arg. l. de pretio 8, De Publ. in rem aut. tradit Remigius de Gonai in tract. De immunit. Eccles. in verb. cœmeterium, ampl. 4. Quinimò & Ecclesia nondum consecrata hac eadem immunitate gaudet, dum tamen Episcopi auctoritate sit ædificata, per text. in c. pennult ubi etiam ratio redditur h. tit. juncto ibid. Panorm.

4 Contrà autem judicia Ecclesiastica rectè in Ecclesiis peraguntur, per text. in can. fin. II. q. 2, facit text. in c. Quà fronte 25, in pr. sup. De appellat. Innoc. ad d. c. 5, h. 2. & Joan Andr. ad d. c. 2, in V. secularium h. e. in 6, Cum enim Episcopi in quolibet loco diocesis suæ possint per se, siue per alium pro tribunali sedere, causasque ad Ecclesiasticum forum spectantes audire, & cognoscere, c. Cùm Episcopus 7, De off. ord. lib. 6, jure poterunt & in ipsis Ecclesiis, & cœmeteriis, cum non prohibeamur. Similiter, ut supra innuimus, iudices seculares in Ecclesiis rectè expediunt quæ sunt voluntariæ jurisdictionis, ex sententiâ Panorm.

5 ad c. 5, n. 6, cum seq. h. t. * Ut ita obiter observandum sit, duplex esse judicium, contentiosum scilicet, & voluntarium. Contentiosum, in quo contentione siue conflictu partium proceditur; quod, cum cognitionem causæ desideret, non aliter expediri potest, quàm sedente pro tribunali iudice, l. 4, C. De dilat. Voluntarium verò, quod non tantum parte instante exercetur; veluti, quando servus manumittitur, filius emancipatur, &c. quæ ubique exerceri possunt, § 3, Inst. De libert. l. 2, in pr. D. De off. Procons. & l. Emancipari 36, §. ult. D. De adopt. Quare & citationem iudex secularis in Ecclesia decernere poterit, per text. in l. 19, §. ult. D. De jurisd. imò & citatio die feriata fieri potest, tum etiam executioni mandari, per ea, quæ tradit And Gail. lib. 1, obs. 53, n. 6, cum seq.

6 Sed an is, qui in Ecclesia est, à iudice seculari citari possit, majoris est controversiæ. Et certè primò fronte videtur citari non posse; quod Ecclesia à jurisdictione iudicis secularis exempta sit; extra territorium autem jus dicenti impunè non parcatur, l. fin. D. De jurisd. c.

2, §. 4, De sent. & re jud. in Clem. Attamen contrarium communi calculo obtinuit, sicut tradit Maranta in aur. prax. p. 6, de cit. n. 129, & per ob. text. in l. 6, in pr. C. Qui ad Eccl. confug. Neque obest, Ecclesiam esse exemptam à jurisdictione iudicis secularis; nam id solummodò verum est quoad contentiosam jurisdictionem, d. c. 2, in pr. h. t. lib. 6.

ALTERA immunitatis species ipsis Ecclesiis concessa, quod scilicet in iis, conventicula universitatum, & societatum secularium celebrari non possint; item, neque profana, & turpia colloquia, misceri; neque negotiationes exerceri, d. c. 2, h. tit. in 6, quod scilicet domum Domini deceat sanctitudo, ut supra dictum.

Verùm quæstionis est, An contractus profani in Ecclesia possint celebrari? Et certum est non posse, locis jam alleg. si tamen facti sint, sustineri, sicut rectè tradunt Gl. & alii ad d. c. 2, in V. processus, inter quos est & Panorm. ad c. 5, n. 6, h. 2. Quorum hæc ratio est, quod, cum dispositio d. c. 2, infirmet tantum processum, & sententias iudicum secularium latis in Ecclesiis, & cœmeteriis, non autem contractus, certè ad hos trahi non debeat, arg. l. Cùm prator 12, in pr. D. De jud. & re. Nonne 5, sup. De præsumpt. præsertim cum sit pœnalis, c. Odia 15, & re. In panis 49, De R. l. in 6, & l. pan. D. De panis. Quare in Ecclesiis, vel cœmeteriis contrahentes se invicem convenire possunt pro executione contractus etiam coram iudice seculari. Neque in contrarium urget juris regula in c. Quæ contra 64, De reg. jur. in 6, quæ & extat in l. 5, C. De legib. quæ ea, quæ contra jus fiunt, pro infectis habentur; quia obtinet, ubi lex, quæ prohibet, manet in terminis prohibitionis; aliter, si ultra progrediatur, sustinendo scilicet actum contrarium. Habereque tum locum alia reg. Multa fieri prohibentur, quæ, si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem, c. Ad Apostolicam 16, in verbis, quia multa fieri sup. De regularib. Sic videmus prohiberi, ne sententiâ à iudice sub conditione feratur; attamen si lata fuerit, valet, l. 1, §. 5, d. Quando appell. fit & ibi notat Glos. Idem accidit & in voto castitatis simplici, quo quidem prohibemur matrimonium contrahere, licet contractum consistat, c. 6, inf. Qui Cler. vel vorventes & c. un. De voto lib. 6.

TERTIA Ecclesiarum immunitas in eo versatur, quod reus criminis ad Ecclesiam confugiens inde abripi non possit; idque ab utroque jure constitutum est. Et quidem de jure Canonico extant textus in c. Inter alia 6, & in c. pen. h. t. in can.

Reum 9, can. Desuavit 35, eum e seq. seq. in pr. xvii. q. 4, de jure vero civili in l. 2, & 3, in pr. C. De his, qui ad Eccles. conf. Ratio est honor & reverentia, quæ sacris locis debetur, & in pr. dist. 87, d. can. 9, & 35, Videtur hæc immunitas ad exemplum veteris Testamenti fuisse introducta: nam Num. c. 15, leguntur sex urbes homicidis profugis assignatæ: item 1, Reg. c. 2, Joab, ne a Salome interficeretur, confugit in tabernaculum Domini, & apprehendit cornu altaris.

10 Ut hinc disputatio orta sit, An hæc immunitas sit divini, aut humani juris? Joan. Igneus ad l. 1, d. De SC. Silan. existimat, eam esse juris divini (credo eum motum fuisse exemplis veteris Testamenti jam allatis & similib.) contra sentit Joan. Ferrarius in pract. sua tit. de forma inquisit. adferens hanc immunitatem non tantum pugnare cum jure divino, sed etiam carere ratione: si enim Deus noluit, inquit, tolerare vendentes in Ecclesia, sed illos eiecit, Joan. 2, v. 15, quanto magis homicidas aliosque reos non vult? Atque has ignei & Ferrariensis contrarias sententias refert Remig. de Gonni in tr. De immunitate Eccles. in pr. n. 5, & seqq. sed utraque, cum falsissima sit, facile refellitur. Quod enim attinet ad igneum, nullum de hac immunitate præceptum extat divinum in Novo Testamento; ergo, &c. Nam præcepta veteris Testamenti per Christum sublata sunt, e. in pr. sup. De constit. cap. un. sup. De purif. pest. parte. Solummodò enim jure Pontificio & Cæsareo hæc immunitas introducta fuit, ut constat ex jurib. sup. allegatis. Quo verò ad Ferrar. hic turpius hallucinatur, quod adserit, hanc immunitatem nullâ ratione niti; eo ipso enim subvertit, absque ulla ratione, utriusque Juris, præcipuè Canonici, constitutiones. Nec obstat, quod Deus è templo eiecerit vendentes; quia id factum fuit, quod vendendo carius merces suas in ipsum templum peccaverant, ut est text. in can. Quid est aliud 13, dist. 38, & subsequenter beneficio Ecclesie se tueri non poterant, ut qui in ipsam deliquissent, cap. fin. in fine h. r. & l. Auxilium 37, §. un. D. De minorib. Nos verò agimus de iis, qui spe veniæ consequendæ ad sacra loca confugiunt.

11 Itaque generalis conclusio constituenda est hæc: quod liber homo, quantumcumque gravia maleficia perpetraverit, non sit violenter ab Ecclesia extrahendus: servus verò sit, si dominus impunitatem ejus Clericis ejusdem Ecclesie juraverit, text. est in d. cap. 6, h. r. cum similib. sup. citatis.

Hinc tamen excipiuntur publici latrones, & nocturni depopulatores agrorum, d. c. 6, & can. 6, xvii. qu. 4, nam horum delicta maximè in aliorum exitium tendunt. Non est autem misericordix, uni parcere, ut multi eo nomine in discrimen vocentur, per text. in can. Injuria 33, & xi. q. 4, Quibus adjiciendi sunt illi, qui in ipsis Ecclesiis, vel cæmeteriis, spe immunitatis ducti, delictum admittunt, per text. in c. fin. h. tit.

13 Atque hæc immunitas non tantum Ecclesiis consecratis competit, verum etiam non consecratis; in quibus tamen mysteria divina celebrantur, cap. pen. h. r. imò et si in iis mysteria divina non celebrentur. Hostiens. hic & alii apud Covarr. Var. resol. lib. 2, c. 10, n. 4, Quam sententiam probat & Panorm. ad d. c. 9, n. 5, motus ratione ejusdem textus, quo sufficit Ecclesiam dedicatam esse obsequiis divinis ex auctoritate Episcopi, junge can. 9, de consecr. dist. 1, quamvis putet idem Panorm. hac in re spectandam esse consuetudinem, quæ optima legis interpretis est, e. Cum d. lectus in fine sup. De consuet. c. l. Si de interpretatione 37, D. De legib.

14 Secundo hæc immunitas extenditur ad atria, porticus, can. Si quis 20, & can. Id constitutum 36, in pr. xvii. q. 4, & septa Ecclesie, can. Frater 10, & can. Mortuus 32, ead. q. 4. Præterea ad quadraginta passus in circuitu majoris, id est, baptismatis sive matricis; minoris vero triginta, per text. in can. Sicut 6, xvii. qu. 4, quem vide. Similis est in can. Quisquis 21, §. 1, d. qu. 4, ubi & pecuniaria pœna extrahenti imponitur, ex interpretatione Prosp. Farinacii in praxi crim. lib. 1, quib. 28, n. 5, Adde & text. in l. Presenti 6, in pr. in verbis, eorumq. finibus C. De his, qui ad Eccles. confug. Exceptis tamen Capellis, quæ intra castellorum muros sitæ sunt; hæc enim non gaudent horum passuum immunitate, d. c. 21, vers. Capella. Est autem passus spatium quinque pedum; pes vero sedecim digitos continet. Vide Alciat. ad l. Mille 154, D. De verb. sig.

Ex quo rectè sequitur, hac immunitate gaudere sita in his passibus cæmeteria, (imò & domus, dummodo sint ipsius Ecclesie, d. can. 21, in verbis, vel domos, & probant Hostien. & alii, quos vide apud Remig. de Gonni in tr. De immunitate Eccles. in V. domus 10, ampl. de quo extat præjudicium Senatus Mediolanensis apud Julium Clarum in §. fin. prax. crim. q. 30, vers. Hinc est, ubi testatur, hinc jussisse Prætozem Papiæ Ecclesie restituere quemdam imputatum de uxoricidio, caprum

captum in cubiculo ejusdam domus sitæ intra
17, passus ab Ecclesia majore ita pridem Facul-
tas nostra Juridica consulta respondit in homici-
cida, qui abductus fuerat Monachum ex cœme-
terio Franciscanorum : ut hinc omnino existi-
mum, cœmeteria vulgo *Freyhof* appellari. Et
quævis Joh. Igneus, quem refert Covar. *Var.*
res. lib. 2, c. 20, n. 5, attestetur, hanc immunitatem
quoad 30, vel 40, passus moribus receptam non
esse, rectè tamen respondet Prosper Farinac. *d. lo-*
co n. 12, ab hac immunitate passuum recedendum
non esse, nisi in loco catus evidenter contrarium
appareat.

16 Atque hæc licet expediti juris sint in cœme-
terii Ecclesiæ contiguus, nihilominus obtinere
vult Remig. de Gonni *d. tract. in V. Cœmeterium n.*
11, & in cœmeteriis separatis, cum communiter
consecrata sint ; ita ut non solum sint religiosa
per mortuorum illationem, sed & per consecra-
tionem Navar. *in Manuali. c. 25, num. 17*. Ut ita
tantum inspicere debeat, utrum cœmeterium ab
Episcopo religioni sit dedicatum, *d. cap. penult. h.*
tit. Vide latius Remig. de Gonni d. loco, & in V. passus,
& in V. Clausstrum : qui & consuetudinem valere
vult, ut supradicti passus hac immunitate non
gaudeant ; & rectè, cum per consuetudinem, si ea
rationabilis sit, derogetur juri communi, *c. fin. sup.*
De consuet.

17 Tertio hæc eadem immunitas competit & pa-
latio sive domui Episcopi, *per text. in can. In consti-*
tuimus, verb. vel domo Episcopi xv. i. quest. 4, licet
extra 40, passus ab Ecclesia sit constituta : liqui-
dem textus simpliciter absque ulla distinctione
de Episcopi domo loquitur. Quod & compro-
bant Gl. *ad cap. 36 & Panorm. ad cap. 9, num. 9, hoc*
tit. cum communi calculo receptum restatur Re-
mig. de Gonni d. tract. V. Palatium 11, ampl.

18 Quarto eadem ad Monasteria transfertur, *per*
text. in d. can. 21, in pr. xvii quest. 4, in l. 5, in verbis,
in aliis quidem venerabilibus C. De his, qui ad Eccles.
cons. iud. & ad Hospitalia per text. in l. Omnia 35, C.
De Episc. & Cler. ex sententia Bartoli ibid. & Pa-
norm. ad cap. 9, num. 6, h. tit. Idem probant D. d.
Covar. Var. res. lib. 2, cap. 29, num. 4, vers. Tertio
constat, & Remig. de Gonni V. Hosp. 17, ampl. dum-
modò erecta sint auctoritate Episcopi ; hoc enim
casu religiosa loca dicuntur, c. 6, sup. de relig. do-
mi. Vide si placet, Felin. ad c. 4 sup. De prescript. ubi à
num. 1, usque ad num. 19, latè de privilegiis Hospita-
lium disputat. & quibus casibus Ecclesiæ æquiparen-
tur.

Hinc quaeritur, Utrum oratoriis privatis, hoc
est, Capellis, quæ in domibus privatorum sunt
constructæ, competat hæc immunitas? Et com-
munis conclusio est, quòd non, etiam si in iis
Divina celebrentur, cum publicâ auctoritate per
Episcopum non sint dedicata, ac proinde ad pro-
fanum usum redigi possint. Unde excipiuntur il-
la, quæ Episcopi auctoritate erecta sunt, *de qui-*
b. vide, qua copiosè tradit idem de Gonni in 2,
ampl.

Sunt præterea, qui hoc jus immunitatis trans-
ferant ad sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramentum,
quando illud à Sacerdote in publicum deferatur,
sicut ex Hostien. & communi sententiâ tradunt
Covar. *d. cap. 10, num. 6*, & Jul. Clar. *in Praxi*
crim. quest. 30, vers. Ultimo quæro. quorum hæc ra-
tio videretur esse : si enim immunitas Ecclesiis
concessa est ob reverentiam divini loci, majori
profectò jure debetur ipsi Christo, quem præ-
sentem in Eucharistia cognoscimus, quique Ec-
clesiæ est sanctificator : propter quod enim
unumquodque tale, id ipsum magis est tale. Et
licet Covar. *d. num. 6*, ægrè admitat hanc sen-
tentiam, cum nullibi in sacris Canonibus hoc
legatur ; attamen omnino existimo, religionis
favore communem sententiam retinendam esse,
quod & censet doctiss. Prosp. Farinac. *lib. 1, Pr.*
crim. cap. 8, nam. 11, Dixi, in publicum ; nam reus
in carcere consistens, si ad se, vel ad alium Eu-
charistia deferatur, hac immunitate se tueri non
poterit ; sic enim Dd. hanc suam sententiam interpre-
tantur, teste Farinac. Idem tradit Remig. de Gonni
supè alleg. tract. in verb. De fugiente ad corpus Chri-
sti.

Ultimò eleganter idem de Gonni probat, & 11
Ecclesiis interdictis, vel destructis eandem im-
munitatem comperere, dummodò destructæ
non sint auctoritate superioris : interdictis idem,
quòd Ecclesia ob delictum alterius amittere non
debeat immunitatem, *argum. l. Sancimus, &c. De-*
lictum 79, De R. l. lib. 6, destructis verò, quòd iis
diractis nihilominus locus sacer perseveret, per
text. in §. Sacra 8, Inst. De rer. divis. Ut hinc & Eccl-
siis ab hæreticis occupatis idem privilegium re-
servatum sit. vide latius Remig. de Gonni in verb.
Eccles. interd. ampl. 14, & in verb. Eccles. destr.
ampl. 29.

Cæterum duo nobis adversari videntur ; unum,
quod hæc immunitas pugnet cum resp. salu-
te, cui magis expedit, ut crimina coercantur,

e. Vifama 35, §. 2. inf. De sent. excom. & l. Locatio 9, §. 5. D. De publican. & vectig. Alterum, quod Justinianus in *Novel. 17, c. 7. in pr.* denegat homicidis, adulteris, & raptoribus, virginitatem hanc immunitatem; quasi ea, quæ antea ab Imp. *subit C. De his, qui ad Eccles. confug.* constituta sunt, videatur hæc *Nov. sua* abrogasse. Verum, ut ad prius respondeamus, hoc jus immunitatis non tribuit meram impunitatem delicti, sed pœnam corporalem, & pecuniariam remittit, interim reus est aliàs legitimè puniendus, *per text. in c. Inter alia 6, vers. super hoczamen hoc sit.* scilicet, quanti partis adversæ interstituta enim, aliàs, communiter *Dd.* accipiunt, teste Panorm. *ad d. c. 6, num. 8, & probat text. in can. 36. xvii. quest. 1.* In quo exequendo is ordo servandus est, qui præscribitur in *l. Præsenti 6, §. 3, & 4, C. De his qui ad Eccles. conf.* Quo verò ad Justiniani *Nov. 17, cap. 7. in pr.* respondet Panorm. *ad d. c. 6, num. 18, hanc Nov. ibid.* nihil nocere Ecclesiasticæ immunitati, cum Imperatoribus in res Ecclesiasticas nulli jurisdictionis Pontifici acciperent, privilegii sui possint communire & ornare, *per text. in cap. fin. in pr. sup. De rebus Eccles. alien. vel non, & in cap. Ecclesia S. Maria 10, §. 1, sup. De consir.* unde ad hærendum est potius juris Pontifici decretis & statutis. Sic & communiter receptum testatur Covarr. *Variar. resolut. lib. 2, c. 20, num. 5, & confirmat Prosp. Farinae. d. quest. 28, num. 6.*

23 Nec solum directò, verum & indirectò reum extrahere sæcularis Judex prohibetur, puta subtrahere veltum, vestes, aliamve molestiam inferre, quæ cogatur locum immunem deserere, *d. l. 6, in pr. C. De his, qui ad Eccles. conf.* & *d. can. 35, xvii. quest. 4,* aliàs enim eludi facile posset hæc immunitas contra Juris reg. Cum quid unâ viâ prohibetur alicui, ad id aliâ non debet admitti, *cap. 84, De R. l. in 6, Quod notandum est contra Judices, qui quandoque iniectione compedum, vel alterius instrumenti, alioque terrore in hunc finem extorcent reum, Guido Pap. decis. 121, numero 2, & 3.*

24 Illud verò nequaquam improbandum est, ut rei ad Ecclesiam, vel alia loca religiosa confugientes tantisper adhibitis vigiliis custodiantur, donec cognoscatur, an immunitate Ecclesiasticâ digni sint, *arg. cap. Si iudex 12, in princ. De sent. excom. lib. 6, Jul. Clar. in Praxi crim. quest. 30, vers. Quarto modo.*

25 Sed si fugamus, contra hæc reum extractum esse: & respondet Barr. *ad d. l. 6,* eum agere posse, ut pristina libertati restitatur, cum de facto eâ sit

privatus, *arg. tit. D. De hom. lib. exhib.* Addit ex Oldrado Panorm. *ad l. cap. 6, nu. 26, hoc sit.* quod ipsa Ecclesia contra extrahentem ratione spoliij sive violatæ immunitatis agere possit, ut compellatur per excommunicationem extractum restituere, *per text. in can. Miror 8, xvii. qu. 4,* Et quamvis extrahens etiam de jure Civili majestatis læsæ crimen incurrat, adeoque ultimo supplicio afficiendus sit, *l. 2, §. 2, & d. l. 6, in pr. C. De his, qui ad Eccles. conf.* puro tamen hanc pœnam per *d. Nov. 17, cap. 7, in pr.* sublata esse. Tamen enim Justinianus immunitatem Ecclesiasticam à sacris Canonibus concessam tollere non potuerit, tamen pœnam violatoribus à jure Civili impostam abrogare potuit, *c. Innotuit 20, §. 1, sup. De elect.* Ut hinc constet, Rectores Ecclesiarum sive monasteriorum non inultè facere, si reum in loco immunitatis constitutum defendant contra Judicem sæcularem: nam cui damus actionem, eidem & exceptionem competere multò magis quis dixerit, *l. 1, §. 4, vers. planè D. De superficieb. & l. Inviatus 156, §. 1, D. De R. l.*

Hic duæ quæstiones incidunt? una, An reus, quem Judex sive eius ministri fugientem, & recipientem se in Ecclesiam, vel alium locum immunem, insequuntur, Ecclesiasticâ immunitate gaudeat? altera, An reus antè captus, sed per locum immunem ductus, proclamare ibidem possit ad loci immunitatem?

Ad priorem quædam attinet inter *Dd.* minimè *26* convenit: nam Cyn. Alex. Hippol. & alii, quos referunt Covarr. *Variar. resolut. lib. 2, cap. 20, num. 12, & Remig. de Gonoi in tract. De immunit. Eccles. fall. 31,* negant, quibus favere videtur text. in *l. Quod ait 23, in fine D. Ad L. Jul. de adult.* Contra verò consent. Bald. Rom. Archid. & alii citati ab *200.* Covarr. *d. loco,* & quidem rectius: nec enim sacri Canones, quos in hac materia sequimur, ullam distinctionem adhibent in reo ad locum immunem confugiente, an Judex eum persequatur, vel non; cum utrobique eadem ratio subsit, videlicet honor, & reverentia loci, *can. Reum 9, can. Quisquis 21, in fine xvii. quest. 4.* Quam sententiam, præter Covarr. probat & magis communem usuque receptam asserit Jul. Clar. in *Praxi crim. quest. 30, vers. Pone,* ubi & insigne decretum adfert Senatus Mediolanensis de incarceratis, qui cum Papiæ aperto carcere ad Ecclesiam confugissent, & inde extracti essent, iussi sunt Ecclesiæ restitui. Neque movet text. in *d. l. 23,* loquitur enim de patre filiam suam adulteram extra hunc locum occidente.

- 27 De posteriore quoque inter Dd. dissensio est; existimant enim Archid. Joan. Lupus & Igneus, quos refert, & sequi videtur Covarr. d. c. 26, num. 13, non posse; cum jam capto nulla violentia inferatur, ideoque non lædatur, c. 6, in pr. hoc tit. iis-que suffrag. videtur text. in l. Si quis 6, C. De adf. priv. Nihilominus tamen rectius contra sentiunt Bald. Jas. & eorum. Dd. prout attestatur Remig. de Gonni De immunitate Eccles. fall. 30, posse scilicet etiam si capitaliter sit damnatus, quos sequitur Jul. Clar. d. quæst. 30, vers. Scias autem num. 22, & Prosp. Farinac. quæst. 28, num. 47, Et profectò, si res bene expendatur, eadem ratio hic militat, quæ superiori casu, videlicet honor, & reverentia loci; censeturque reo nova violentia inferri. Neque impedit text. in d. l. 6, quem licet singularem appellet Covarr. jam dicto loco, is tamen hinc planè alienus est. Quòd si verò reus sponte sequatur per locum immunem, rectè condemnatur, ubi scilicet limites immunitatis excesserit; quo sensu accipiendum est, quod ex Hostien. Joan. Andr. Card. & aliis tradit Remig. de Gonni in sep. tract. fall. 12.
- 28 Nunc verò differendum est de his, qui ab hac immunitate excluduntur: primò scilicet de publicis latronibus, tum de nocturnis depopulatoribus agrorum, denique de iis, qui in ipsis Ecclesiis, vel cæmeteriis deliquerunt. Suadet autem reip. salus, ut primi & secundi generis immunitate non gaudeant; eosque proinde jure Civili unusquisque propriâ auctoritate occidere potest, per text. in l. 1, C. Quando litio unicus sine iud. se vind. Tertii excluduntur, quòd indignus sit Ecclesie auxilio, qui in ipsam admisit, c. fin. hoc tit. c. Quia frustra 14, inf. De usur. & l. Auxilium 37, in §. un. vers. in delictis D. De minorib. & Nov. 117, cap. 15, §. un. ubi Justinianus: Quis enim ibi delinquit, ubi salutem percat?
- 29 Hic autem addubatur, an de omni delicto hoc exaudiendum sit? Dubitationem movet textus in d. c. fin. hoc tit. quòd tantum loquatur de homicidiis, & mutilationibus membrorum: pœnalitiam autem, cum sint odiosa, extendi non debeant, c. In pœnis 49, & c. Odia 15, De R. I. lib. 6, Sed verius obrinuit apud Host. Panorm. & alios, quos citat Remig. de Gonni in sep. alleg. tract. fall. 1, num. 5, & sequitur Jul. Clar. d. quæst. 30, vers. item quæro num. 15, quòd sic, puta de furtis, adulteriis, raptu virginum, & c. cum eadem ratio militet & in his, neque moveant juris regula in d. cap. 49, & in d. c. 15, cum d. c. fin. ratio expressa, ac proinde illud sit producendum, per text. in tit. 24, §. 2, vers. porro lib. 2, de Feud. Mandol. in addit. ad Rom. cons. 234.
- Magis autem controversitur, An promiscuè id obtineat, si ve delictum sub spe immunitatis admissum sit, si ve simpliciter? Et quidem Did. Covarr. Variar. resol. lib. 2, c. 10, num. 15, existimat indifferenter obtinere, propterea quòd, licet in d. c. fin. hoc tit. duplex ratio adferatur ad excludendam hanc immunitatem; una, quòd in ipsam Ecclesiam peccetur; altera, quòd delinquens causam delinquendi ab Ecclesia sumat, & hæc posterior deficiat: prior nihilominus sufficiens sit, ac proinde dispositionem sustineat, per text. in §. Affinitatis Inst. De nupt. Panorm. ad d. c. fin. sub numer. 1, & Prosp. Farinac. in Pract. crim. cap. 28, num. 54, Verum his refragatur Host. quem alii communiter sequuntur, teste Remigio de Gonni in d. tract. fall. 3, num. 2, cum seqq. prius tantum admittens. Cujus certè sententiam apertè probato videtur textus in d. cap. fin. ubi & causa decisionis: sed responder Panorm. jam d. loco, non esse finalem, sed impulsivam; ac proinde magis standum rationi textus, quæ e jus est anima, l. 5, C. De legib. Unde cum hæc res valde dubia sit, putarem in primis confugiendum esse ad loci consuetudinem, per c. Cum dilectus 8, §. 1, sup. De consuet. & l. Si de interpretatione 37, cum l. seq. D. De legib. quæ & Jul. Clar. in d. quæst. 30, vers. Item quæro, posteriorem sententiam explodit. Celsante verò consuetudine adhuc existimarem de jure priorem sententiam defendi posse, ob rationem, quam supra attulimus, & Panorm. laucius probat; tamen posterior benignior sit in favorem religionis, pro qua in ambiguis solet responderi, per text. in l. 43, D. De relig. & sumpt. fun.
- Hinc etiam apertè liquet eum, qui prope Ecclesiam, vel cæmeterium spe immunitatis ductus delictum admisit, si ad Ecclesiam confugerit, rectè inde abduci posse, sicut ex Anchor. & aliis tradit Covarr. d. num. 15, vers. 27, nemini enim sub spe veniæ peccare permissum est, c. 5, §. 5, inf. De cler. excom. & c. Si qui 28, De consecr. dist. 4.
- Sunt qui hanc immunitatem denegent armatis ad Ecclesiam confugientibus, ut videtur est apud Prosp. Farinac. d. c. 28, num. 46, moti per text. in l. 3, §. 2, C. De his qui ad Ecclesiam confug. quòd fortè, cum armorum usus expressè sit à jure interdictus, l. un. C. Ut armorum usus in scio Princ. interd. sit lib. 11, & Nov. 85, tales videantur in Ecclesia deliquisse. Verum hæc sententia consistere non potest, nisi quoad

amissionem armorum, *d. Nov. 85, c. 3, in princ. Et tit. 27, §. 4. vers. si quis rusticus, lib. 2, Feud. cum text. in d. l. 3, §. 2.* loquatur singulariter de seruo armato. Certe in Germania nostra, cum hodie constitutiones de armis per contrarium usum sublatae sint, nihil tale colligetur. Blasphemantem in Deum propriè non frui immunitate, ob rationem *d. c. fin. rectius admiserim. vide Boët. decis. 110, num. 1, cum seq. & Prosp. Farinac. d. c. 28 num. 67.*

33 Postremò hinc videamus, An homicidæ hac immunitate se tueri possint? Et de his text. *in c. 1, inf. de homic. Si quis, inquit, per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo evellere eum, ut moriatur: ubi Panorm. ab altari &c. interpretatur, si laicus sit, de excommunicatione; si Clericus, de depositione. Interim magis sentio adhærendum esse textui, prout etiam adhæret Ant. Gomez Variar. resolut. tomo 3, c. 10, num. 2, malè tamen ad Panorm. inclinans. Licet enim sacri Canones, ut ibidem Panorm. objicit, mortis poenam numquam inferant; non tamen prohibent, quin morte delinquentes affici possint per Judicem sæcularem, *c. Cum non ab homine 10, §. fin. Et ibi latius Dd. sup. de judic. cæteris nimirum paribus, ut hic, quando reus evellitur. Itaque consequens est, alterius generis homicidam extrahi non posse, sicut ex communi sententia probat Covarr. d. c. 20 num. 7, & confirmatur delumptâ argumentatione à casibus exceptis in d. c. 6, in c. fin. hoc tit. Et in c. 1, hoc tit. per text. in l. Quæsitum 12, §. 42, vers. denique Neratius de instructo vel instrum. leg. Et ibi Gl. per d. c. 6, vers. si liber hoc tit. Neque huic refragatur, quòd aliter aliquando in praxi servetur; quia id accidit propter auctoritatem Dd. contra l. Nemo iudex 13, C. de sent. Et interloc. om. jud.**

34 Cæterum hic contrà contenditur, An in casibus quibus reus immunitate Ecclesiastica non gaudet, possit per Judicem sæcularem propriâ auctoritate abduci? Sunt enim, qui putent, eum per Judicem ecclesiasticum judici sæculari tradendum esse: ita Gomez. *d. c. 10 num. 2, per text. in Auth. Si quis C. Ad L. l. de adult. prater alios, quos recenset Prosp. Farinac. d. c. 28 num. 76, Alii tamen rectius contrà sentiunt, Covarr. d. c. 20, num. 18, vers. 34, & communiter receptum attestatur Rem. de Gonn. in d. traç. de immunit. Eccles. quaest. 1, neque enim immunitas Ecclesie ob id violari dicitur, cum ejusmo-*

di reum tueri nolit. Et ita, inquit Jul. Clar. *d. quæ. 30, vers. Quæronunc,* quotidie fieri videmus, non expectatâ licentiâ Episcopi: quia Prælati, & Judices Ecclesiastici reddunt se in hoc valde difficiles; & dum requiritur & expectatur licentia Prælati, sæpè Clerici faciunt delinquentem auferere. Nec obstat *d. Auth. Si quis,* quia loquitur de uxore adulterii suspecta, & sic in casu, quo delinquens per Judicem sæcularem extrahi non potest: illa enim profectò intelligenda sunt, quando verè constat reum indignum esse beneficio immunitatis.

Si verò obscurum, aut controversum sit, quis 35 in causa Judex erit? Et putat Prop. Farinac. *d. c. 28 num. 76, circa fin. si reus sit extractus à Judice sæculari, ejusdem esse cognoscere; sin in Ecclesia adhuc hæreat, judicis Ecclesiastici; & testatur se vidisse ita sæpius servatum. Male tamen, quoad prius, ut tamen utrobique Judex sæcularis intersit cognitioni, arg. text. in cap. Si iudex 12, in pr. de sent. excom. lib. 6, & jus enim interest, ut delicta puniantur, & malis hominibus purgetur territorium, l. 13, in pr. de off. pres. Porro extat Bulla Gregorii XIV. quâ expresse cavetur, ne sæculares Judices delinquentem extrahant ab Ecclesia etiam in casu aliis permisso, sine Episcopi licentia, nisi Episcopus licentiam denegaverit. Hujus Bullæ meminit idem Prosp. Farin. *d. num. 76, sed vereor, ne in praxi recepta sit, præcipue in locis, ubi nullus est Episcopus, aut longius distat. Atque hæc hæctenus de laicis.**

An autem Clerici eadem immunitate gaude- 36 ant, controvertunt Dd. Etenim Panorm. *ad c. 6, num. 15 hoc tit.* pluribus rationibus docere nititur, neque Clericos, neque Religiosos eâ frui, quas brevitate causâ prætereo. Contrà contendit Rom. *conf. 234,* tribus rationibus ductis, quarum hæc potissimè est, quòd hæc immunitas concessa sit loco Ecclesie; & propterea obtineat in quolibet eò se recipiente; neque conveniat, Clericos deterioris conditionis esse laicis. Atque hanc sententiam esse veriorem, & communiorem attestatur Diaz in *Praxi crim. can. cap. 115,* Rationes Panorm. refutatione non egent. Adde Conc. Trid. *Sess. 25, cap. 20,* quo renovantur, & exacte observari jubentur canones pro Ecclesiastica immunitate editi.

In Cap. Pervenit 2. c. Non minus 4. c. Adversus 7. cum c. seq.

S U M M A R I A.

1. Clerici & res Ecclesiasticae sunt immunes à muneribus civitatis personalibus.
2. Declaratur hæc regula.
3. An & quatenus à patrimonialibus & mixtis?
4. Et tam ab ordinariis quàm extraordinariis.
5. Tempore necessitatis etiam Ecclesia contribuere tenetur.

HAenus de locorum, jam de personarum & rerum immunitate, videlicet, ne Clerici aut res Ecclesiasticae muneribus, id est, oneribus civilibus subjiciantur, (quorum triplex genus est apud Jurisc. in l. Munerum 18. in pr. D. De mun. & honorib. quem vide) c. 4. in fine & d. c. 7. in pr. hoc tit. can. 1. & 3. dist. 88. c. 4. inf. Ne Cler. vel monachi, &c. c. 1. & 3. De immun. Eccles. lib. 6. junctâ Clem. un. eod. tit. l. 1. & 2. in pr. cum Auth. seq. l. Placet 17. in pr. & l. Generaliter 52. in pr. cum Auth. seq. C. De Episcopis & Cler. nimirum ne Clerici præpediantur à divinis officiis, contra doctrinam D. Pauli 2. ad Timoth. 2. vers. 4. can. 4. xx. quæst. 3. quodque indignum sit, Deo semel consecratum, sive id prædium sit, sive animal. sive aliud quid, ad functionem sæcularium onerum revocari, c. 3 & 5. xii. quæst. 2.

Hæc tamen aliquot declarationes recipiunt: nisi scilicet munera sint, quæ ex præscripto sacrorum Canonum licitè à Clericis exiguntur, ut sunt census, synodaticum, procuratio, & charitativum, ut appellant, subsidium, de quibus in cap. Congruentia 16. sup. De off. jud. ord. & toto tit. sup. De censib. sicut nec administratio rerum Ecclesiasticarum, can. 1. dist. 80. & can. 1. dist. 88. nec legitima tutela, nec cura iis interdicta est, juxta text. in d. can. 1. dist. 88. & Auth. Presbyteros C. De Episc. & Cler. neque cura pupillorum, orphanorum, & viduarum; cum hoc officium sit pietatis, d. cap. 1. dist. 88. cau. 1. & 2. dist. 87. Item ad vigiliis civitatis cogi possunt per suum Episcopum, si magna necessitas urgeat, per text. in cap. 2. hoc tit. & ibi Panorm. num. 6. per rationem c. Non in inferenda xxii. quæst. 3. quam omnino vid. prag. omnibus per c. Dilcto 6. in fine. De sent. excom. in 6. & facit text. in cap. penult. inf. De homic. Fortitudo, inquit pulchrè D. Ambros. quæ vel in bello tuetur à barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus socios, plena justitia est,

text. est in can. 5. xxiii. quæst. 3. Non obstat can. Reprehensibile 19. xxiii. quæst. 8. quo prohibetur Episcopi, & Clerici vigilare contra piratas maritimos, ne ab orationibus avocentur; quia illud exaudiendum est, ubi non subest magna necessitas, sicut interpretatur hic Panorm. sub num. 2. Et hæc quoad personalia munera.

De patrimonialibus & mixtis vix aliâ declaratione opus est, quàm quæ traditur in d. c. 4. & c. 7. in pr. hoc tit. quod videlicet à Clericis rectè obeantur, ubi necessitas vel utilitas suadet, & Episcopus cum clero consentit, consulto prius Romano Pontifice, alias pœna excommunicationis, vel interdicti in exigentes constituitur, c. 4. De censib. lib. 6. junctâ Auth. Cassa & irrita C. De sacros. Eccles. Navarr. in Manuali c. 17. num. 121. cum seq.

Verùm hic quæstio est, Utrum hæc tam de ordinariis, quàm extraordinariis accipienda sint? Et quidem rextus juris Civiliis Clericos excusant tantum ab extraordinariis, iis quæ sordidis solum, de quibus in l. 1. & l. 2. §. 2. C. De Episc. & Cler. Sed verius est, quod tradit Panorm. hic add. c. 4. num. 16. circa fin. cum seq. Clericos ad nulla onera patrimonialia teneri, & est text. in d. cap. 4. De censib. lib. 6. in d. cap. 4. & in d. cap. 7. in princ. hic, & in cap. 1. eod. tit. lib. 6. Bulla Cœne Domini, quæ extat apud Navarr. in Manuali cap. 27. nisi quatenus possessio sive fundus adnexum onus habuit, antequam perveniret ad Ecclesiam, per text. in cap. Cùm dilecti 6. sup. De donat. in cap. Præterea 23. sup. De jure patron. in cap. 1. sup. De censib. in can. Tributum 22. xxiii. quæst. 8. & in can. Tributum 27. in pr. xii. quæst. 4. quippe res cum onere suo in alium transit, cap. Ex literis 5. in fine sup. De pignori. cap. Pastoralis 28. sup. De decimis & l. Alienatio 67. D. De contrah. empt. Similiter Clerici rectè ad onera tenentur, quæ naturali ratione incumbunt ipsius rebus, veluti iter reficere ante domum suam, purgare purem necessarium tori viciniam, in qua Ecclesia est sita, arg. c. 55. De R. I. in 6. Panorm. d. loco. Et quamvis Hieron. Alb. Card. absolute contendat, Ecclesias à tributis immunes esse, exemplis Testamenti veteris, Esd. 1. cap. 7. & Genes. 47. cum aliis argumentis, nihilominus existimo Panorm. sententiam veriorē esse; quam & comprobatur Bart. ad l. 8. C. De exactorib. tribut. & confirmatur aperte text. in d. can. 22. & in d. cap. 1. supra De censib. Et si enim dicta exem-

exempla pia sint, vim tamen præcepti non habent; cum hujusmodi per Christum sublata sint, sicut constat ex c. un. sup. De purif. post part. Neque obest text. in cap. 4. De censib. lib. 6, ubi Ecclesiæ, personæ, & res Ecclesiasticæ à secularium personarum exactionibus exemptæ dicuntur, diuino jure, & quod tributum præstatio sit indicium subjectionis, per text. in cap. 2. sup. De censib. Nam, ut rectissime monet Covarr. Pract. quæst. cap. 31, nu. 2. vers. Tertio verò, sacri Canones, & Summi Pontifices frequenter vocant jus divinum, quod ex veteri lege deductum vel ad ejus imitationem est institutum. Exempla extant in c. Literas 13, vers. Porro sup. De restit. spol. & in c. 14. sup. De decimis & explicat elegantè Covarr. d. loco. Quo verò ad indicium subjectionis, illud tantum ad laicos pertinet, si- cut constat ex inscript. d. c. 2. De censib. August. super epist. ad Rom. Clerici enim idem tributum pendunt, ut in pace defendantur, & conserventur à Principibus sæcularibus, d. can. 12 q. 8. Quod autem attinet ad leges Civiles, quibus dicuntur Clerici ad ordinaria onera obligari, hæc per jus Canonicum sublata sunt, jurib. sup. adductis, cui

soli in personis, & rebus Ecclesiasticis stamus, c. Ecclesia S. Mariae 10, sup. De constit. & cap. fin. sup. De reb. Eccles. alien. vel non. Imò extat & constitutio Imp. Friderici II. quæ hujusmodi legibus aperte derogatum est, Auth. Item nulla communitas C. De Episc. & Cler.

Postremò hæc libet aditcere ex Panorm. ad d. 5 cap. 4. num. 20. quod, ubi necessitas vel utilitas principaliter simul concernit Ecclesias, puta quia hostis territorium civitatis, in quo & prædia Ecclesiastica sita sunt, depopulatur, etiam Ecclesiæ contribuere teneantur ad depellendum hostem, cum utriusque & Ecclesiarum & populi consensus accedit, quod enim omnes tangit, ab omnibus quoque comprobari debet, c. 1. in pr. De censib. in Clement. juu. cap. Quod omnes 29, De R. I. in 6. Neque hoc casu opus est auctoritate Romani Pontificis, cum versetur extra casum d. cap. 7. in pr. h. tit. secus autem ubi accessorij, uti accidit in excitandis aggeribus, vel aliis munitionibus, reficiendisve muris civitatis, per text. in d. cap. 4. in verbis, Sive quidem fossatam h. t. & ibid. latius Panorm.

IN TIT. L. NE CLERICI VEL MONACHI SÆCULARIBVS NEGOTIIS SE IMMISCEANT.

SUMMARI A.

1. Cuiusmodi negotiis Clerici se immiscere nequeant.
2. Medicina ac iuri civili incumbere cur ventur.

AD Clericorum ac Monachorum officium vel illud potissimum pertinet, ne sæcularibus se immisceant negotiis, juxta illud Apostoli 2, ad Timoth. 7. Nemo militans Deo implicet se negotiis sæcularibus. † Sive ea vitam sæcularem seu mundanam ducentium ferè propria sint, ut in deliciis vivere, gulam & ebrietatem sequi, injusta lucra aucupari, turpibus dictis aut factis jocularitatem agere, aliaque id genus, à quibus etiam laicos abstinere, & alienum esse decens sit, c. 1. h. t. sive laici quidem permittunt, verum interdicta omnino Ecclesiasticis: veluti iudicium sanguinis agitare, & iudicii criminalibus præesse aut adesse, consilium dando, testimonium perhibendo, sententiam dictando aut pronuntiando, c. 5. & a. panulc. h. t. sive denique negotia sint ad vitam tem-

porales & quotidianas necessitates sublevanda spectantia, non aliter permittunt Clericis, quàm quatenus per Canones licet: ut lites agere & persequi, d. c. 1. h. t. procuracionem aut administrationem bonorum Principis alicujus vel alterius laici suscipere, c. 2. & 4. h. t. ex negotiatio- ne seu mercatura lucrum quærere, non etiam agriculturam aut alio honesto artificio indigentiam suam sustentare, d. c. 1. in fine h. t. vide tot. dist. 88.

‡ Sic & verentur Monachi ac Clerici, (præsertim dignitatem aliquam vel patronatum Ecclesiæ obtinentes, vel si presbyteri sint) Medicinæ aut Juri civili tamquam principali suo studio incumbere, c. 3. & ult. h. t. quia illorum proprium studium esse debet Theologiæ & Juris Canonici, nec nisi pro majori studio sui principalis progressu Juris civilis libros, Institutionesque privatim legere, publiceque audire possunt. Vide Panormit. & Boëtium Eponem ad d. c. 3. & ult. h. tit. V. A.